BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. ....
Pl. ....

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ADM. REVERENDI, ET EXIMII PATRIS
P. REINERI SASSERATH
IN ALMA UBIORUM UNIVERSITATE
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS DE CONCILIO
ET PROFESSORIS PUBLICI, EXAMINATORIS
SYNOD. ORD. FR. MIN. S. P. FRANCISCI
CONVENT. EXPROVINCIALIS.

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS

IN QUATUOR PARTES DIVISUS
ADNEXIS CUIVIS TRACTATUI
CASIBUS PRACTICIS
SOLIDE, AC BREVITER RESOLUTIS.

PARS III.

COMPLECTENS
TRACTATUS DE CONTRACTIBUS,
DE SACRAMENTIS IN GENERE,
DUOBUS PRIMIS IN SPECIE,
ET DE EUCHARISTIA.

EDITIO QUINTA
EMENDATIOR, ET SANIORIBUS
PRINCIPIIS CONFORMIOR.

SUPERIORUM PERMISSU, ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER P. M. FILIORUM.
MDCCLXXX.

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/cursustheologiae00sass_2

INDEX
TRACTATUUM,
DISSERTATIONUM, QUÆSTIONUM, CASUUM,
IN HAC PARTE TERTIA CONTENTORUM.

In quo numerus paginam denotat.

TRACTATUS I.
De Contractibus.

DISSERTATIO I.
De Contractibus in communi.

Quæſt. I. Quid, & quotuplex ſit Contractus, & qualis ad eum requiratur conſenſus ? Pag. 1

Quæſt. II. An, & quomodo error obſit Valori Contractus ? 6

Quæſt. III. An metus invalidet Contractum ? 11

Quæſt. IV. An validus ſit Contractus ſub conditione initus ? 15

Quæſt. V. Quinam contrahere poſſint ? 20

Quæſt. VI. Quænam ſit materia Contractus ? 24

3223

Quæſt. VII. An Contractus invalidi firmentur Juramento ? Pag. 27

CASUS. *De Contractibus in genere.*

I. De natura Contractus, & cenſenſu ad eum requiſito. 31
II. De errore & dolo. 32
III. Rurſus de dolo. ibid.
IV. De eodem obveniente in ſuſceptione ad profeſſionem. 33
V. De metu. ibid. ſeq.
VI. De cauſa, modo, demonſtratione & conditione contractui adjectis. 34
VII. De materia contractus. 35
VIII. De juramento firmante Contractum. 36

DISSERTATIO II.

De Contractibus gratuitis.

Quæſt. I. Quid ſit promiſſio, & quomodo obliget ?
Quæſt. II. Quid, & quotuplex ſit donatio ? 44
Quæſt. III. Quid ſit commodatum, precarium depoſitum ? 48
Quæſt. IV. Quid ſit mutuum ? 52
Quæſt. V. Quid ſit uſura, quotuplex, & quale peccatum ? 55
Quæſt. VI. Qui ſint tituli ab uſura excuſantes? 60

CASUS. *De Contractibus gratuitis.*

I. De promiſſione & donatione. 66
II. Rurſus de donatione. 67
III. De Commodato. 68
IV. De Depoſito. 69

V. De

V. De Depoſitario. Pag. 70
VI. De Mutuo. ibid.
VII. De Uſura & titulis ab ea excuſantibus. 71
VIII. De parocho pro neceſſitate ſuæ Eccleſiæ ejus nomine petente ab alio pecunias mutuas. 72

DISSERTATIO III.

De Contractibus oneroſis.

Quæſt. I. Quid ſit Venditio, & quomodo licita? 73
Quæſt. II. An, & qualiter peccet vendens mercem vitiatam? 80
Quæſt. III. An licitum ſit monopolium, & quælibet alia negotiatio? 87
Quæſt. IV. Quid, & quotuplex ſit cenſus, & an licitus? 91
Quæſt. V. Quid, & quotuplex ſit cambium, & an licitum? 97
Quæſt. VI. Quid ſit Locatio, Conductio, & quænam Obligationes? 101
Quæſt. VII. Quid ſit Emphyteuſis, Feudum, & Libellus? 108
Quæſt. VIII. Quid de Contractu Societatis? 110
Quæſt. IX. Quid ſit Fidejuſſio, Aſſecuratio, Pignus & Hypotheca? 113
Quæſt. X. Quid de Ludo, Sponſione, & Transactione? 117

CASUS. *De Contractibus oneroſis.*

I. De Emptione & Venditione. 122
II. De Venditore, qui tenetur emptori de evictione rei. 123

III. De Vendente mercem vitiatam. Pag. 123
IV. De Cenſu. 124
V. De eodem. 125
VI. De Cambio. ibid. ſeq.
VII. De Conductione. 126
VIII. De obligatione famuli conducti. 127
IX. De mercede ſolvenda famulo conducto. 128
X. De Canone ab Emphyteuta ſolvendo. 129
XI. De Emphyteuta profitente in religione. 130
XII. De Societate & Fidejuſſione. ibid.
XIII. De Ludo & Sponſione. 131

DISSERTATIO ULTIMA.

De Ultimis Voluntatibus.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit ultima voluntas, & quænam ſolemnitates requiſitæ? 132
Quæſt. ult. Quinam poſſint teſtari, & hæredes inſtitui? 144

CASUS. *De Ultimis Voluntatibus.*

I. De Teſtamenti ſolemnitate. 149
II. De Legatis. 150
III. De iisdem. 151
IV. De legato ſub conditione. 152
V. De eodem. 153
VI. De executore Teſtamenti. 154
VII. De hærede obligato, ut famulum teſtatoris in aliqua arte erudiri curaret. 155
VIII. De eodem obligato a patre teſtatore, ut partem mediam det filio ſpurio. 156

APPEN-

APPENDIX.

De Obligationibus Juſtitiæ ad publica judicia ſpectantibus.

Quæſt. I. Quænam requirantur in Judice? Pag. 157
Quæſt. II. Quomodo Judex procedere debeat contra criminoſos? 159
Quæſt. III. An liceat reum examinare per torturam? 161
Quæſt. IV. Quid de Accuſatore, Denuntiatore, Teſtibus & Reo? 163
Quæſt. V. Quid de Advocato, Procuratore, aliisque Juſtitiæ miniſtris? 167

CASUS. *De Judicio publico.*

I. De Corruptione Judicis, ſive oblatione munerum. 169
II. De obligatione Judicis & cæterorum Juſtitiæ miniſtrorum. 170
III. De Teſtibus. 171

TRACTATUS II.

De Sacramentis in genere, & duobus primis in ſpecie.

DISSERTATIO I.

De Sacramentis in genere.

Quæſt. I. Quid, & quotoplex ſit Sacramentum? 173
Quæſt. II. Quid, & quotuplex ſit gratia? 178

Quæſt. III. Quomodo materia Sacramentorum ſit a Chriſto determinata, & quænam mutatio obſit? Pag. 180
Quæſt. IV. An, & qualis intentio requiratur in miniſtro? 186
Quæſt. V. An in miniſtro requiratur fides & ſtatus gratiæ? 393
Quæſt. VI. An liceat petere Sacramentum a miniſtro indigno, & econtra miniſtrare indigno? 195
Quæſt. VII. Quid ex parte ſubjecti requiratur ad valide, & licite ſuſcipiendum Sacramentum? 201
Quæſt. VIII. Quinam ſint effectus Sacramentorum? 206
Quæſt. IX. An Sacramenta ficte ſuſcepta remoto obice reviviſcant, & gratiam cauſent? 208
Quæſt. X. De Sacramentalibus, & Ceremoniis. 210

CASUS. *De Sacramentis in genere.*

I. De materia & forma Sacramentorum, earumque mutatione. 213
II. De ſimultanea coexiſtentia materiæ & formæ. 214
III. De Sacramento in dubio reiterando. 215
IV. De Intentione Miniſtri. 216
V. De Adminiſtratione conditionata. 217
VI. De ſtatu gratiæ ex parte miniſtri requiſito, & modo illum acquirendi. 218
VII. De eo, qui petit Sacramentum a Miniſtro indigno. 219
VIII. De parochi obligatione adminiſtrandi Sacramenta. 220
IX. De eo, qui Sacramentum adminiſtrat indigno. 222

X. De diſpoſitionibus in ſuſcipiente requiſitis. 223
XI. De obice & reviviſcentia Sacramentorum. 224

DISSERTATIO II.

De Baptismo.

Quæſt. I. Quid ſit baptismus, & quæ ejus materia? 225
Quæſt. II. Quænam ſit legitima forma baptismi? 231
Quæſt. III. Quis ſit miniſter? 233
Quæſt. IV. Quodnam ſit ſubjectum baptismi? 236
Quæſt. V. An baptismus ſit iterabilis, & quomodo neceſſarius? 240
Quæſt. VI. Quænam in baptismo adhibendæ ſint Ceremoniæ, & ſpecialiter de patrinis? 244
Quæſt. VII. Quid ſit baptismus flaminis, & ſanguinis? 252

CASUS. *De Baptismo.*

I. De materia baptismi. 255
II. De ejus forma. 256
III. De Miniſtro. 257
IV. De baptismo reiterando. 258
V. De eodem & intentione miniſtri. ibid.
VI. De patrinis. 259

DISSERTATIO III.

De Confirmatione.

Quæſt. I. Quid ſit Confirmatio, quæ ejus materia & forma? 261
Quæſt. II. Quis ſit miniſter, & quodnam ſubjectum? 263

CASUS. *De Confirmatione.*

I. De Materia, forma, & ſubjecto hujus Sacramenti, item de diſpoſitione ad illud requiſita. Pag. 267
II. De obligatione & neceſſitate illius, item de patrino. 268 ſeq.

TRACTATUS III.
De Euchariſtia.

DISSERTATIO I.
De Euchariſtia ut eſt Sacramentum?

Quæſt. I. Quænam ſit materia ex qua hujus Sacramenti? 271
Quæſt. II. Quomodo materia debeat eſſe præſens, & determinata? 276
Quæſt. III. Quænam ſint formæ Conſecrationis? 280
Quæſt. IV. Quomodo Chriſtus ſit præſens in hoc Sacramento? 282
Quæſt. V. Quis ſit miniſter Euchariſtiæ? 285
Quæſt. VI. Quinam ſit ritus obſervandi in diſtributione Euchariſtiæ? 287
Quæſt. VII. An, quandonam, & quos obliget præceptum divinum Communionis? 291
Quæſt. VIII. Quænam requirantur diſpoſitiones ex parte corporis? 296
Quæſt. IX. Quænam requiratur diſpoſitio ex parte animæ? 303
Quæſt. X. Quinam ſint effectus hujus Sacramenti, & per quid impediantur? 306

DISSERTATIO II.

De Euchariſtia, ut eſt Sacrificium.

Quæſt. I. An in miſſa ſit verum ſacrificium, & in qua actione conſiſtat? Pag. 312
Quæſt. II. Quinam ſint hujus ſacrificii effectus? 315
Quæſt. III. Qualis requiratur applicatio in celebrante? 319
Quæſt. IV. Quid de ſtipendio Miſſæ, & obligatione legendi Miſſas titulo ſtipendii, vel beneficii? 324
Quæſt. V. Pro quibus offerri poteſt ſacrificium? 330
Quæſt. VI. Quoties, quibus diebus, & qua hora celebrandum ſit? 333
Quæſt. VII. In quo loco celebrandum ſit? 337
Quæſt. VIII. Quænam ulterius requirantur ad celebrandum? 344
Quæſt. IX. Quid de Rubricis Miſſæ? 350
Quæſt. X. Quomodo corrigendi ſint defectus in Miſſa? 354

CASUS. *De Euchariſtia.*

I. De Materia primæ conſecrationis. 357
II. De materia ſecundæ conſecrationis, & aqua vino affundenda. 358
III. De hoſtiis ad altare adferri ſolitis. 339
IV. De miniſtro Euchariſtiæ. 361
V. De eodem & obligatione parochi adminiſtrandi Euchariſtiam. 362
VI. De neceſſitate & ſubjecto Euchariſtiæ. 363
VII. De præcepto Divino Communionis, & illius impletionem impedientibus. 364
VIII. De Viatico, an in dubio de mortis periculo, vel irreverentia forte Sacramento per ſpecierum ejectionem irroganda miniſtrandum ſit? 366

IX. De

IX. De jejunio ad Euchariſtiæ ſumptionem requiſito. Pag. 367
X. De eodem & aliis in ſumptione, & poſt illam obſervandis. 368
XI. De diſpoſitione ex parte animæ requiſita. ibid. ſeq.
XII. De eadem & de diſpoſitione ex parte corporis. 370
XIII. De ſtipendio & applicatione miſſæ. 370
XIV. De dilatione miſſarum pro ſtipendio legendarum. 372
XV. De Miſſa ex fundatione legenda. 373
XVI. De obligatione celebrandi. ibid.
XVII. De Matutino cum laudibus & oratiunculis inter induendas ſacras Veſtes celebrationi præmittendis, item de diſtractionibus in miſſa, & de Rubricis Miſſalis. 374 ſeq.
XVIII. De ſpatio temporis lectioni Miſſæ impendendo, & acceleratione. 376
XIX. De Interruptione Miſſæ. 377
XX. De defectibus in Miſſa corrigendis, & quid ſi celebrans inter Miſſam graviter infirmetur, aut patiatur animi deliquium, aut moriatur. 378 ſeq.

PARS TERTIA.

TRACTATUS I.

DE CONTRACTIBUS.

DISSERTATIO I.

DE CONTRACTIBUS IN COMMUNI.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid, & quotuplex ſit Contractus, & qualis ad eum requiratur Conſenſus?*

Contractus definitur: ultro citroque obligatio; ubi obligatio in ſenſu cauſali accipienda eſt, contractus enim non eſt ipſa obligatio, ſed eam cauſat. *Clarius*

D. 1. Contractus eſt ***duorum vel plurium in idem placitum conſenſus obligationem juſtitiæ pariens ſaltem in uno contrahentium.*** *Dr.* 1. *Juſtitiæ;* intellige: ***commutativæ;*** & per hoc differt a ſimplici conventione, vel pacto, quod ſaltem majorem non inducit obligationem, quam ex honeſtate alterius virtutis à ju-

ſtitia diſtinctæ V. G. fidelitatis: ad contractum autem ſtricte ſumptum requiritur obligatio juſtitiæ. *Dr.* 2. *Saltem in uno*; ut includantur etiam contractus gratuiti.

(2) *D.* 2. Contractus alius eſt *oneroſus*; per quem utrique contrahentium imponitur onus juſtitiæ: ſic per emptionem uni imponitur onus extradendi mercem, alteri ſolvendi pretium. Alius eſt *gratuitus*, per quem uni tantum contrahentium imponitur, V. G. donatio acceptata, quæ ſolum donatorem obligat ad extradendum, donatario autem proprie nullum onus imponit. Alius eſt *nominatus*, qui in jure habet proprium nomen ſpecificum: V. G. venditio, depoſitum, &c. Alius *innominatus*, qui tale non habet, ſed tantum generaliter exprimitur nomine conventionis, vel pacti: V. G. *do*, *ut facias*: *facio*, *ut des*: *facio*, *ut facias*: vel modis oppoſitis: *do*, *ut non facias &c.* V. G. do veſtem, ut non exigas debitum, non exigo, ut pro me labores. Alius eſt *Nudus*, alius *veſtitus*. *Nudus* eſt ſimplex conventio ſine ſpeciali aliquo modo contrahendi, vel alia circumſtantia dante robur contractui, & actionem in foro civili, hoc eſt: jus proſequendi in judicio, quod ſibi debetur. *Veſtitus* dicitur, qui veſtitur aliqua circumſtantia, ob quam robur habet, & actionem civilem parit. Poteſt contractus veſtiri ſcriptura privata, vel publica, traditione, impletione ex una parte, juramento, &c. Alius eſt contractus *explicitus*, & *formalis*, & eſt expreſſa conventio ex juſtitia faciendi, vel omittendi aliquid. Alius *implicitus*, vel *quaſi contractus*, & eſt quævis actio habens annexam obligationem juſtitiæ: V. G. accepto officium tutoris, judicis, medici, cui ſcio annexam obligationem curandi negotia, judicandi ſecundum leges, adhibendi medicamenta ſecuriora, &c. Alius contractus fit *in gratiam ſolius recipi-*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cipientis, ut: commodatum; alius *ſolius dantis*, ut: depoſitum; alius *in gratiam utriusque*, ut: emptio, locatio, &c. Alius *abſolutus*, qui fit independenter; alius *conditionatus*, qui fit dependenter ab aliqua conditione; *de quibus per decurſum.*

(3) *Reſ.* 1. Obligatio hic alia eſt *naturalis tantum*, quæ adſtringit in conſcientia, ſed non parit actionem in foro externo: ſic V. G. qui vendidit rem ultra juſtum pretium; non tamen ultra dimidium juſti, tenetur in conſcientia reſtituere exceſſum pretii; ne tamen lites multiplicentur, in foro externo non conceditur contra eum actio. Alia eſt *civilis tantum*, quæ parit actionem in foro externo, ſed non ſtringit in conſcientia, talis eſt obligatio, quæ oritur a lege poſitiva ex aliqua præſumptione falſa: ut, ſi V. G. juxta allegata, & probata falſo exiſtimeris debitor, & cogaris ad ſolvendum. Alia eſt *mixta*, quæ ſtringit in conſcientia, & dat actionem in foro externo: & hæc communiter venit nomine obligationis ſimpliciter.

Reſ. 2. Omnis contractus etiam nudus, etiam minus ſtricte talis, parit obligationem naturalem: niſi jure poſitivo ſit irritus, vel irritabilis; *de quo infra. Ratio eſt:* quia jure naturæ tenetur quis præſtare id, quod alteri promiſit, licet ne lites multiplicentur, jus externum ei non aſſiſtat.

(4) *D.* 3. Ad valorem contractus requiritur 1. conſenſus *internus*, ſive animus ſe obligandi, ſaltem implicitus; hinc non ſufficit conſenſus fictus, vel ponere verba aut ſigna externa, per quæ contractus fieri ſolet; quia obligatio, quæ ex contractu oritur, pendet a voluntate ſe obligantis; ergo ubi non eſt hæc voluntas, non eſt obligatio; ergo nec contractus, qui eſſentialiter cauſat obligationem.

[library stamp]

Reſ. 1. Siquis exterius contractum ſimulet, V. G. ſponſalia, ſi animus ſe obligandi deſit, nil efficit in foro conſcientiæ, nec obligationem naturalem contrahit, niſi reparandi damnum ex tali ſimulatione comparti ſecutum, cujus eſt injuſta cauſa: in foro tamen externo judicabitur pro valore contractus, niſi probet defuiſſe conſenſum; quia homines de ſolis externis judicant: ordinarie etiam obligabitur in conſcientia, ſed mediate tantum, in quantum tenetur tollere fictionem, ponendo verum conſenſum; qui enim ſerio contrahit cum alio, habet jus, ut & alter ſerio agat. *Dixi* 1. *requiri animum ſe obligandi*; quia non requiritur animus obligationem implendi; ſtant enim ſimul ſe obligare ad aliquid, V. G. caſtitatem per votum, & tamen ex malitia non velle huic obligationi ſatisfacere: ſi autem velit quis contrahere, & tamen ſe nolit obligare, habet voluntates repugnantes, & videndum, quænam prævaleat. *Dixi* 2. *ſaltem implicitus*; non enim requiritur explicitus, & formalis, minus reflexa voluntas ſe obligandi, ſed ſufficit inire contractum, qualem communiter homines ineunt, ex quo contrahens antehac ſcivit, & adhuc virtualiter ſcit oriri talem obligationem.

Reſ. 2. Cum conſenſus ſit de eſſentia contractus, nequit ſuppleri a Deo, minus republica; hinc ſi hæc transferat dominium de uno in alterum, fit vi dominii alti, non vi contractus.

Reſ. 3. Conſenſus debet eſſe reciprocus; quia contractus debet eſſe conſenſus duarum voluntatum in idem.

Reſ. 4. Ad contractum ſimpliciter, de quo jura loquuntur, non ſufficit animus ſe obligandi leviter, ubi materia eſt gravis; quia in contractu transfertur in alium jus in re, vel ad rem, cui dein lex aſſiſtit ſecundum ſuam gravitatem; hinc Profeſſio religioſa, ma-

matrimonium, ſponſalia, &c. ſunt nulla, ubi quis vellet ſe tantum obligare leviter; nec ſimilis venditio eſt contractus, cui lex aſſiſtit.

2. *Requiritur* conſenſus *deliberatus*, ac *liber* libertate ſufficiente ad peccatum mortale; hinc nulla obligatio etiam levis oritur, ubi tantum eſt ſemiplena libertas; quia per contractum quaſi alienatur libertas propria, ad quod requiritur, ut totus homo conſentiat, & plene libere agat.

Reſ. Conſenſus debet eſſe liber actualiter; quia obligatio non oritur ex cauſa contractus, ſed ex ipſo contractu libero, qui ideo debet eſſe actus humanus; hinc contractus factus in ebrietate eſt nullus, licet te inebriaſſes cum intentione contrahendi; quia tunc contractus eſſet liber per modum objecti, non in ſe actualiter.

3. Conſenſus debet eſſe *legitimus;* hoc eſt: a lege non reprobatus, qualis eſt: V.G. conſenſus pupilli ſine authoritate tutoris.

4. Conſenſus internus debet *aliquo ſigno ſenſibili exprimi;* cum enim homines pro hoc ſtatu ſola ſenſibilia percipiant, etiam ſolis ſenſibilibus inter ſe communicare poſſunt.

5. Debet eſſe *acceptatus;* quia nemo vult alteri ſe obligare, niſi acceptet, & ante acceptationem non eſt duorum in idem conſenſus.

(5) *Reſ.* 1. Ad contractum oneroſum non tantum requiritur acceptatio mutua conſenſus, ſed & manifeſtatio illius mutuæ acceptationis; ſine hac enim mutua non oritur obligatio: in gratuitis vero ſatis eſt acceptationem eſſe ex parte illius, qui jus acquirit. Hinc

Reſ. 2. Si offeram tibi domum 100. aureis venalem, & tu acceptes, venditio non completur, niſi quando tua acceptatio mihi manifeſtatur.

Reſ. 3. Si mecum onerofe contrahas per procuratorem, contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat me præſente; quia, cum agat nomine tuo, acceptatio illius eſt moraliter tua. Si contraham tecum onerofe per literas, contractus perficitur, quando mihi per reſponſum innoteſcit tua acceptatio.

Reſ. 4. Si mihi mittas donum, donatio completur, dum accepto, licet nihil reſcias de mea acceptatione.

QUÆSTIO II.

(6) *An, & quomodo error obſit valori Contractus?*

N. 1. In contractu poteſt aliquis dupliciter errare, *vel circa ſubſtantiam rei*, de qua contrahitur, aut *ipſius contractus; vel circa accidens*, ſive *qualitates.* Uterque error, ſi ex propria errantis deceptione vel ignorantia oriatur, dicitur ſimpliciter *error:* ſi ex alterius contrahentis, vel tertiæ perſonæ ad contractum non pertinentis inductione, dicitur *dolus*, aut *fraus.*

N. 2. Uterque error poteſt eſſe *antecedens*, & dans cauſam contractui; quando ex ſola deceptione provenit, quod velis contrahere, alias non contracturus. Poteſt etiam eſſe *incidens*, vel *concomitans tantum:* quando deceptus inde non movetur ſimpliciter ad contrahendum, ſed ſecundum quid ad libentius contrahendum, carius emendum, &c. V.G. ſciens hoc vinum non eſſe vetus, adhuc emeres, ſed viliori pretio.

(7) *D.* 1. Error circa ſubſtantiam objecti, vel ipſius contractus ſive antecedens, ſive concomitans, ſive vin - ſive invincibilis, facit contractum omni jure nullum. *Ratio eſt;* quia ſubſtantia rei, vel contra-

ctus

ctus non præcognita nequit eſſe volita; ergo deficit conſenſus; ergo contractus eſt ipſo jure naturæ nullus.

Reſ. 1. Si emas vitrum putans eſſe adamantem, mulſum putans eſſe vinum: ſi des mutuum Cajo putanti id ſibi donari: ſi ſolvas, falſo putans te debere &c., contractus eſt nullus.

Reſ. 2. Si des pauperi ducatum, putans eſſe nummum argenteum, donatio eſt nulla, nec poteſt retineri a paupere. Idem eſt de aliis multis.

Reſ. 3. Si res notabiliter differat ab objecto intento, eſt error in ſubſtantia: V. G. emiſti 100. ducatis in auro, qui hoc tempore notabiliter pluris valent, quam putabas, emptio eſt nulla; quia eſt error in ſubſtantia reſpectu pretii.

Reſ. 4. Si emas vas vini putans eſſe oleum, quamvis æque libenter, vel eodem pretio emiſſes vinum, emptio eſt nulla; quia deficit conſenſus in vinum: nam hoc, quod contractum perficit, eſt conſenſus re ipſa præſtitus, non qui eſſet præſtandus.

(8) *D.* 2. Error circa qualitatem, vel accidens rei aut contractus qua tale etiam antecedens, & ab altero contrahente cauſatus non facit contractum irritum; quia manet conſenſus jure naturæ requiſitus, ſcilicet quoad ſubſtantiam, quod ſufficit; alias nimis ſæpe contractus eſſet nullus. Quod autem adſit involuntarium ſecundum qualitatem, non obeſt; quia acceſſorium debet ſequi principale; neque ulla lex poſitiva talem contractum irritat. Quando autem jus dicit, contractum ex dolo contrahentis eſſe irritum, &c. tantum vult, poſſe irritari; quia in jure ſæpe vox, *nullus* idem ſignificat, ac *annullandus*.

Ob. Sæpe fit, quod, ſi qualitas fuiſſet cognita, contractus non fuiſſet initus; ergo tunc error impediet obligationem contractus. ℞. *n. c.* tantum ſequitur,

tur, quod poſita cognitione qualitatis futura fuiſſet volitio, quæ impediiſſet obligationem, non quod jam adfuerit; hinc fruſtra caput ſcalpis, & dicis: *ſi ſciviſſem, non duxiſſem, non emiſſem, &c.*: quia non quæritur, quid feciſſes, ſed quid feceris: neque conſenſus tuus fuit conditionatus, ut ſupponitur. *Dixi ſupra: circa accidens qua tale*, pro quo

Reſ. 1. Licet aliquid ſit accidens, ſi tamen 1. ſit materia primario intenta, vel motivum principale, ingreditur ſubſtantiam rei: vel 2. Si contrahens ad tale accidens ita afficiatur actualiter, vel habitualiter ex actu præterito, ut illo deficiente nolit contrahere. Si dubitetur, an fuerit motivum primarium, præſumendum eſt ex circumſtantiis, ex uſu aliorum hominum, vel ex diſpoſitione legum circa tales contractus; in foro autem externo non ſufficit dicere: erravi, ſed teneris hoc probare; alioquin judicabitur pro valore contractus.

Reſ. 2 In dubio, an error fuerit ſubſtantialis, præſumitur pro valore actus, pro quo videtur eſſe poſſeſſio; quod magis tenet, ſi dubitetur de dolo: quia delicta non præſumuntur.

(9) *Reſ.* 3. Quia in contractibus gratuitis plerumque perſona ingreditur ſubſtantiam, hinc, ſi donaverim Petro, putans eſſe Paulum, donatio eſt nulla, niſi donaſſem, quia eſſet pauper, & uterque foret talis; tunc enim perſona eſt accidens, prout eſt in onerofis; hinc, ſi vendam Petro, putans eſſe Paulum, valet emptio; niſi illa venditione voluiſſem ſpecialiter gratificari Petro.

Reſ. 4. Qui ſe fingit pauperem, & hoc titulo accipit eleemoſynam, tenetur reſtituere eam; quia dans erravit in ſubſtantia: volebat enim ſublevare miſeriam pauperis (a). Nihilominus in Praxi, ut plurimum ſimi-

(a) *Vid. de Virtut. Theolog. ubi de eleemoſyna. n. 67.*

ſimiles excuſantur; quia licet plurimi non darent, ſi ſcirent, dum tamen dederunt, præſertim modica, & quæ conſumpta ſunt, nolunt reſtitui.

Reſ. 5. Econtra valet donatio, ſi accipiens fingat ſe Catholicum, Sanctum, ſtudioſum, claudum, fuiſſe captivum apud Turcas, pauperiorem, quam ſit, ſicque alliciat ad eleemoſynam; adeſt enim motivum principale, ſcilicet: inopia ſublevanda, licet deſit impulſivum, & forte non dediſſet, ſi improbitatem ſciviſſet. Excipe: niſi per fictionem ad extraordinariam eleemoſynam moviſſet. *Vid. De Virtut. Theolog. ubi de Eleemoſyna.* Si Petro promittas 100. aureos; quia putas eſſe tuum conſanguineum, cum non ſit, nulla eſt promiſſio; quia voluiſti actum pietatis, aut ſingularis amicitiæ.

Reſ. 6. Si emam vinum Rhenanum, putans eſſe Moſellanum, contractus valet, niſi qualitas ſit per ſe intenta: V. G. aliud vinum in patria mea vendere non poſſum; tunc enim accidens tranſit in ſubſtantiam.

Reſ. 7. Si conduxerim Advocatum, præceptorem, quem putavi peritum, & eſt imperitus, eſt error in ſubſtantia; nam, licet non erraverim in perſona phyſice, erravi tamen in ea moraliter; quia conduxi propter operam, ad quam eſt inhabilis. *Similiter* abſens emi pannum, volens me clericum veſtire, ſi pannus ſit ruber, eſt error in ſubſtantia; quæ facile aliis caſibus applicantur.

(10) *Reſ.* 8. Ob errorem accidentalem ſine dolo, contractus nequidem reſcindi poteſt: V. G. ex imperitia emiſti vinum novum, putans eſſe vetus, non potes contractum reſcindere; quia pars contrahens non fecit tibi injuriam: habes tamen actionem *quanti minoris* contra venditorem; hoc eſt: potes petere, ut contractus reducatur ad æqualitatem. Idem eſt de ſimilibus; excipitur tamen contractus ſponſalitius, & gra-

tuitus, ut promiſſio, & donatio liberalis, qui uterque reſcindi poteſt, quando error antecedens fuit circa qualitatem notabilem; quia ſponſalia requirunt majorem libertatem propter difficultatem inſolubilis matrimonii: & promiſſiones gratuitæ, cum pendeant a ſola libera voluntate promittentis, benigne interpretandæ ſunt; hinc de his communiter datur hæc regula: gratuita promiſſio deſinit obligare, ſi re adhuc integra ſupervenit notabilis mutatio.

Reſ. 9. Si error ſit ab altero contrahente cauſatus per dolum, contractus, ſi ſolubilis ſit, poteſt reſcindi pro arbitrio decepti, non decipientis; quia decipiens fecit injuriam; ergo eam tenetur tollere ponendo in ſtatum priſtinum, & ſimul compenſando damna cauſata: ſi deceptus reſcindere nolit, adhuc tenetur decipiens, compenſare damna, & reſtituere exceſſum pretii, utpote jure naturæ, & in conſcientia debitum: ſi vero contractus ſit inſolubilis, ut eſt matrimonium, & Profeſſio religioſa, dolus accidentalis nil juvat ad reſcindendum; unde tunc injuria alio modo poſſibili debet reparari.

Reſ. 10. Si dolus ſit a tertio, non ab altero contrahente cauſatus, conceditur quidem actio *quanti minoris*, non tamen poteſt reſcindi; niſi decipiens ſit tutor, curator, procurator, vel ſimilis, qui reputatur una moraliter perſona cum contrahente: datur tamen actio contra tertium de damno per dolum cauſato. *Denique* licet errans, vel deceptus erroris, aut doli ignarus nihil excipiat, adhuc tamen in conſcientia reſarciendum eſt damnum injuſte cauſatum, & exceſſus pretii; *de quo adhuc infra* (a).

QUÆ-

(a) *Diſſ.* 3. *de contract. oneroſis.* Q. 2. *n.* 12.

QUÆSTIO III.

An metus invalidet Contractum?

Suppoſitis iis, quæ alibi (a) de metu ad longum explicantur.

(11) *D.* 1. Metus proveniens ab intrinſeco: V. G. morbo, vel incuſſus a cauſa extrinſeca naturali: V. G. tempeſtate, incendio, fera, non invalidat contractum per ſe loquendo, nec facit reſcindibilem. *Ratio eſt:* quia metus relinquit ſimpliciter voluntarium, nec ibi intercedit injuria: ergo non eſt, cur ſit invalidus, aut reſcindibilis; ſic ſine dubio valent vota in ſimili metu facta. *Dixi: per ſe;* ſi enim metus omnino turbaret rationem, poſſet contractus eſſe nullus, defectu plenæ libertatis.

Reſ. Si mulier in metu naufragii, aut dum eam beſtia invadit devorandam, liberanti ſe promittat matrimonium, tenetur ad illud; quod magis tenet in alia materia.

(12) *D.* 2. Metus gravis ab extrinſeco libero juſte incuſſus etiam in ordine ad extorquendum conſenſum, non impedit valorem contractus, nec facit reſcindibilem. *Ratio eſt:* quia nec ibi intervenit injuria, nec moraliter minuitur libertas; quia metus eſt ipſi voluntarius in cauſa.

Reſ. 1. Petrus poſt contracta ſponſalia compelli poteſt ad matrimonium per gravem metum, V. G. excommunicationis, quamvis hoc ſæpe non expediat. Paulus, dum Virginem corrupit, poteſt metu gravi compelli, ut eam dotet, vel ducat.

Reſ. 2. Si deprehendam te in furto, homicidio, &c. & miner, quod te velim deferre apud Judicem, niſi des pecuniam, matrimonium promittas, &c. valet promiſſio, nec teneor reddere; quod probabilius verum

(a) *Part.* 1. *Tract. I. de act. human. n.* 11.

rum eſt, licet non habuerim animum te deferendi; quia habui ad hoc jus, quod autem non ſerio minarer, eſt quidem dolus, ſed non injuſtus: ſupponi tamen debet, non eſſe obligationem accuſandi; alias eſſet turpe lucrum, *de quo infra* (a).

(13) *D.* 3. Metus gravis injuſte incuſſus, ſed ad Contractum non ordinatus, relinquit ipſum validum, nec reſcindi poteſt, ſi non ineatur cum eo, qui metum incuſſit, ſed cum alio innocente. *Ratio eſt:* quia metus tunc non eſt cauſa contractus, ſed occaſio tantum: motivum autem proximum eſt V. G. comparatio operæ ex juſtitia non debitæ.

Reſ. Si latro tibi minetur mortem, & Petro tranſeunti promittas 10. aureos, ſi te liberet, teneris liberatus promiſſum implere. *Dixi: ſi non ineatur cum eo &c.;* quia ſi ipſi latroni V. G. aliquid des, ut deſiſtat, Contractus eſt nullus, aut ſaltem reſcindi poteſt, *ut jam patebit.* Dein ſi contrahens metum incuſſerit, tenetur tollere incommoda, quæ ex injuria proveniunt, inter quæ eſt obligatio ex tali contractu orta: ergo reſcindi poteſt.

(14) *D.* 4. Metus injuſte incuſſus ad extorquendum Contractum jure naturæ, adeoque, & poſitivo illum invalidat cum injuſto vexatore initum, ſi tantum habeat pro objecto liberationem a vexatione injuſta. *Ratio* videtur efficax; nam ceſſatio ab injuſta vexatione debetur ex juſtitia, ut certum eſt; ſed etiam dicunt omnes, non poſſe contrahi de re aliunde ex juſtitia debita; alias æquivalenter emerem rem meam, & alter venderet, quod ſuum non eſt: ſic in ſimili dicunt omnes, Judicem non poſſe aliquid accipere pro ferenda ſententia juſta.

Reſ. Si volenti incendere tuam domum, rapere pallium, occidere, &c. des burſam, ut deſiſtat, nulla eſt

(a) *Vid. Num.* 29.

eſt datio, teneturque accipiens ante ſententiam Judicis reſtituere.

Ob. Metus non tollit voluntarium; ergo non deeſt conſenſus ad valorem ſufficiens; ergo Contractus eſt jure naturæ validus. ℟. *n. ult. c.* Quia non dico eſſe invalidum defectu conſenſus, ſed defectu materiæ vendibilis, quæ aliunde ex juſtitia eſt debita, vel defectu tituli; non enim do liberaliter, ſed ut liberem me ab illo metu, pro quo alter nil poteſt accipere; quia tenetur ex juſtitia me ab illo metu liberare, imo non inferre; eſtque contractus oneroſus innominatus, do, ut facias, vel non facias: donatio item liberalis eſſet nulla; cum hæc requirat plenam libertatem.

Inſt. Ergo idem valebit de metu levi. ℟. *c.* Et ideo dixi ſimpliciter: *metus.* Si *S. Thomas* videatur contrarius, vel hi contractus in jure dicantur irritandi, &c. loquuntur de iis, in quibus intervenit res vendibilis. Pro quo

(15) *D.* 5. Metus gravis etiam ab altero contrahente injuſte, & ad extorquendum conſenſum incuſſus, non invalidat contractum jure naturæ, ſi pro materia habeat aliquid diſtinctum a vexatione: V. G. Petrus cogit me per metum, ut emam ipſius equum 100. aureis, jure naturæ valida eſt emptio; vel enim contractus tunc foret nullus defectu conſenſus, & hoc non; quia metus relinquit voluntarium ſimpliciter: vel ob injuriam, & hoc non; quia injuria non immediate irritat contractum, ut patet de dolo: vel quia deeſt titulus, ſed nec hoc; in caſu enim equus non eſt emptori ex juſtitia debitus, ſicut debetur ceſſatio ab iniqua vexatione: nec metum incutiens acquirit jus ex injuria, ſed ex voluntario alterius conſenſu; ſicut, ſi filius occidat patrem, per ſucceſſionem ab inteſtato immediate acquirit jus in hæreditatem, per occiſionem nonniſi mediate.

Obſ.

Obſ. Hi contractus nequidem jure poſitivo ſunt irriti; quia jura de his loquuntur ut validis, qui indigeant reſciſſione. Excipe matrimonium, & profeſſionem religioſam, qui ſaltem jure poſitivo ſunt irriti; quia ob perpetuitatem, & difficultatem ſtatus, aliasque graves cauſas omnimodam requirunt libertatem. Similiter jure poſitivo irritatur promiſſio, aut traditio rerum Eccleſiæ, abſolutio a cenſuris, teſtificatio teſtium in teſtamento, tutoris conſtitutio, promiſſio matrimonii metu extorta, & promiſſio, aut ſolutio dotis, reſignatio beneficii.

Reſ. 1. Si metus ſit a tertio, & non altero contrahente incuſſus, adhuc contractus jure poſitivo poteſt reſcindi; ita enim ſtatuitur in jure (a). *Nec obſtat;* quod ſupra dictum ſit, non poſſe reſcindi, ſi ſit initus per dolum a tertio cauſatum; nam ratio, quæ ad aliter diſponendum movit, eſt, quod dolus per circumſpectionem facilius præcaveri poſſit, quam metus.

Reſ. 2. Metum paſſus pro libitu reſcindere poteſt contractum ante ſententiam Judicis; hoc enim poſtulat æquitas ob injuriam illatam.

Reſ. 3. Metus etiam levis facit contractum jure naturæ reſcindibilem in conſcientia, ſi reſcindibilis ſit; quia adeſt injuria; ergo qui fecit, tenetur eam tollere; ergo injuriatum in priorem ſtatum ponere. *Nec obſtat*, quod metus ſit levis; nam in ratione injuriæ, & damni poteſt eſſe peccatum grave: ſic, ſi levi percuſſione frangas vitrum pretioſum, infers damnum grave, & licet patiens potuerit facile depellere, ad hoc tamen non tenebatur, ſed poterat permittere cum reſervatione ſui juris. Interim ad evitandas frequentes lites non datur actio in foro externo metum levem patienti.

(a) *L.* 14. §. *in hac actione. ff. quod metus cauſa.*

Reſ. 4. Qui rem per metum ſaltem gravem extortam eſt conſecutus, tenetur eam reſtituere, ſive ipſe, ſive alius metum incuſſerit; quia cum hoc onere res tranſit ad quemcunque poſſeſſorem: ſæpe tamen in praxi excuſatur; quia multi, licet inviti conſentiant, ſi tamen ſemel conſenſerint, non cupiunt reſtitui, vel facillime condonant.

QUÆSTIO IV.

(16) *An validus ſit Contractus ſub conditione initus?*

N. 1. Contractus, vel diſpoſitio dicitur dicitur fieri *ſub cauſa*, quando explicatur motivum, propter quod fit: V. G. do eleemoſynam, quia eſt conſanguineus: duco te, quia es virgo, &c. Cauſa autem poteſt eſſe vel *finalis*, vel *impulſiva* tantum: prima non ſubſiſtente contractus eſt nullus: ſecus non ſubſiſtente ſecunda. Contractus dicitur fieri ſub *demonſtratione*, quando indicatur aliqua qualitas, vel rei, de qua diſponitur, vel ejus, in quem fit diſpoſitio: V. G. do tibi agrum meum ad portam S. Severini; vel contraho tecum, quæ es nobilis, dives. Contractus fit *cum die*, quando denotatur tempus, quo incipit obligatio: V. G. ducam te poſt tres menſes; ſi dies ponatur æquivoce: V. G. ducam te in paſchate, ex lege intelligendum eſt paſcha proximum. Fit *cum modo*, quando contractui adjicitur aliquod onus: V. G. do tibi hæreditatem, ut mihi conſtruas ſepulchrum, ſi hoc onus ſit honeſtum, & poſſibile, ſtatim valet contractus: ſi tamen executio operis ſit cauſa principalis motiva, onere non impleto poteſt revocari contractus: ſecus, ſi tantum ſit impulſiva; an autem talis ſit, colligi debet ex verbis diſponentis. In dubio, ſi apponatur in favorem diſponentis: V. G. lego Ti-

tiæ

tiæ centum, ut nubat meo conſanguineo, modus cenſetur eſſe cauſa principalis; hinc, ſi per illam ſtet, ne conſanguineo nubat, nihil debetur: ſi vero tantum ſit in favorem accipientis: V. G. dono Titiæ centum, ut emat ſibi veſtem, præſumitur impulſiva, & valet donatio, licet ſibi veſtem non emat.

(17) *N.* 2. Contractus poteſt eſſe vel *conjunctivus:* V. G. dono equum, & bovem, vel *disjunctivus*, V. G. dono equum, vel bovem. Pro his jura ſtatuunt: *in disjunctivis electio eſt debitoris.* Si tamen contractus dirigatur ad creditorem, aut in ejus favorem fiat, optio ad eum ſpectat: V. G. teſtator dicit: lego Titiæ domum, vel agrum, hæres tenetur dare, quod Titia eligit, & ſi deficiat V. G. domus, tenetur dare agrum; nec ſufficit, dare pretium rei deſtructæ; facta vero ſemel electione non poteſt variare.

N. 3. In copulativis, ſi dicat teſtator: lego Petro, Paulo, & Joanni 100. aureos, dubium eſt, an ſingulis debeantur 100. an tantum 100. dividendi inter tres; pro ſimilibus, ſi aliunde non poſſit haberi prudens conjectura, ſerviunt hæ regulæ: *In dubio minimum eſt ſequendum. In dubio magis favendum reo, quam actori, magis debitori, quam creditori:* leges enim miſerentur eorum, qui obligatione premuntur.

N. 4. Conditio alia eſt *neceſſaria*, alia *impoſſibilis*, alia *contingens;* & hæc vel *honeſta*, quæ ſine peccato impleri poteſt; alia *turpis*, quæ non poteſt impleri ſine peccato, &c.

(18) *D.* 1. Error in demonſtratione non invalidat contractum: modo demonſtratio non apponatur ut conditio, vel cauſa finalis, vel qualitas indicata non redundet in ſubſtantiam. *Ratio eſt:* quia talis error eſt qualitatis; ſed hic non vitiat contractum; ergo.

Reſ. 1. Si dicatur: relinquo tibi 100. aureos, quos mihi debet Petrus, ſi Petrus nihil debeat, dona-

tio

tio eſt invalida; cum ſit error in ſubſtantia: ſi tantum debeat V. G. 50. hi dandi ſunt; quia eſt error in quantitate tantum.

Reſ. 2. Si dicatur: dono tibi hunc agrum, qui eſt 100. jugerum, ſi ſit 100. & 50.: dono hanc catenam inauratam, &c. cum ſit aurea, valet donatio, quia teſtator demonſtrans, & donans rem ipſam præſumitur illum exceſſum voluiſſe dare, quamdiu non conſtat de oppoſito.

Ob. Hic eſt error in ſubſtantia; catena enim aurea eſt moraliter alia a deaurata, qualem putat eſſe teſtator: ſicut ſi pauperi dem nummum aureum, putans eſſe argenteum. ℟. *d.* Eſt error in ſubſtantia contractum afficiens. *n.* Non afficiens. *c.* In ſecundo ſum certus, quod non intenderim dare nummum aureum; econtra poſt mortem teſtatoris (de cujus intentione non conſtat, & tamen rem ipſam deſignavit) præſumitur, quod ſimpliciter dare voluerit, qualiscunque ſit. Idem eſt de aliis contractibus gratuitis, in quibus res deſignata eſt, & de voluntate contraria non conſtat.

(19) *D.* 2. Si contractui apponatur conditio impoſſibilis, aut turpis, quamdiu hæc eſt futura, contractus eſt nullus jure naturæ, ſi illi alligata ſit intentio. *Ratio primi eſt:* quia, cum conditio ſit impoſſibilis, impleri non poteſt; ergo nec purificari contractus. De turpi etiam patet: quia non poteſt eſſe obligatio ad peccatum; obligatio autem eſt de eſſentia contractus: hoc jura extendunt ad conditiones civiliter tantum, & politice turpes: V. G. ſi cum litigante transactionem non feceris, ſi virgo manſeris innupta, ſi non feceris teſtamentum, ſi illud revocaveris; hæc enim in jure civili dicuntur contra bonos mores. *Dixi: jure naturæ nullus;* nam jus canonicum ſtatuit, ut conditiones impoſſibiles, & turpes adjectæ matri-

 mo-

monio, ſi non ſint contra ſubſtantiam illius, cenſeantur non adjectæ; *de quo alibi.* Quod autem Jus Canonicum ordinavit circa matrimonium, ordinavit jus civile in teſtamentis, volens illa eſſe valida non obſtante conditione turpi, vel impoſſibili: & licet in ſe deſit voluntas teſtatoris, tamen reſpublica, quæ juſtis de cauſis poteſt diſponere de bonis particularium, hic ſupplet defectum.

(20) *D.* 3. Conditio de futuro, ſi ſit neceſſaria, non ſuſpendit valorem contractus: ſecus, ſi contingens. *Ratio primi eſt:* quia cum ſit neceſſario futura, cenſetur eſſe moraliter præſens, & habetur pro impleta: niſi bona fide credatur contingens, aut ex circumſtantiis colligatur eam apponi tanquam temporis deſignationem: V. G. ducam te, ſi pater meus moriatur, hoc eſt: tempore, quo fuerit mortuus. *Ratio ſecundi eſt:* quia conditio de futuro contingente poteſt non evenire; ergo, ſi huic alligatus ſit conſenſus, contractus non eſt ſtatim validus.

Reſ. 1. Pendente conditione non poteſt contrahens reſilire altero invito; ſicut enim in contractu abſoluto oritur obligatio abſoluta, quam nullus pro libitu poteſt repellere, ita in conditionato conditionata, quam pariter pendente conditione non poteſt extinguere; cum ortum habeat ex conſenſu utriusque. Hinc

Reſ. 2. Si vendas, & tradas pallium Petro, quod conditionate promiſeras Paulo, valet venditio; manſeras enim dominus pallii: debes tamen Paulum indemnizare, tradendo V. G. æquivalens; quia feciſti ipſi injuriam: ſi autem non fuiſſet facta traditio, non valeret venditio.

(21) *Reſ.* 3. Si diſpoſitio ſit ultimæ voluntatis, vel alius contractus gratuitus, & conditio impleri non poſſit, vel per tertium ſtet, quominus impleatur, vel qui implere debuit, neſcivit eſſe appoſitam, & ideo non

non implevit, habetur pro impleta; ſic enim interpretamur mentem diſponentis.

Reſ. 4. Si aliquid legetur Cajæ ſub conditione virginitatis, poteſt acceptare, licet occulte ſit corrupta; non enim præſumitur legans obligare illam ad manifeſtandum crimen occultum, repudiando legatum.

Reſ. 5. Si quis diſponat pro puella: hoc tibi relinquo, ſi nupſeris; per ſe loquendo valet, ſi Religionem ingrediatur; quia Religio æquivalet aliis nuptiis: neque debuit excludi; alias foret conditio turpis, quod non præſumitur. Si dixerit: relinquo, ſi non nubas, valet diſpoſitio, ſi eſſet vidua; non enim cenſetur turpe, ſi vidua amplius non nubat; ſi autem nunquam nupſerit, conditio iſta ſpectato ſaltem jure civili juxta num. 19. eſt turpis, & habetur pro non adjecta; ideoque gaudet diſpoſitione, quamvis nubat.

(22) *Reſ.* 6. Ubi conditio de futuro contingente evenit, ſtatim contractus tranſit in abſolutum ſine novo conſenſu. *Ratio eſt:* quia primus conſenſus non revocatus manet moraliter usque ad adventum conditionis: minus requiritur notitia de hoc, quod conditio evenerit; quæ tamen notitia in matrimonio requiritur, antequam conſummetur; ne ſe periculo fornicationis exponant.

Reſ. 7. Si vendas V. G. domum ſub conditione: ſi pater conſentiat, habito conſenſu tranſit in abſolutum, licet antea revocaſſes conſenſum ſine juſta cauſa; quia revocatio tua nil poteſt contra jus alteri quæſitum. Excipe matrimonium.

(23) *Obſ.* In contractu etiam ſæpe apponitur pœna ex conſenſu contrahentium, ubi breviter

N. 1. Si pœna imponatur propter moram, non poteſt ordinarie eſſe notabilis, ſi mora ſit levis, V. G. aliquot dierum; niſi qualitas negotii, indigentia alte-

rius contrahentis, vel mos patriæ aliud requirant; deinde mora debet eſſe culpabilis Theologice.

N. 2. Si impoſita ſit pœna ad compenſandum damnum emergens, vel lucrum ceſſans, eſt obligatio ſolvendi, licet alter non petat: in aliis vero non eſt, niſi exigatur; quia videtur hæc eſſe mens contrahentium. Sufficit autem exigere extra judicium; non enim præſumuntur contrahentes ſe voluiſſe obligare ad moleſtam Judicis implorationem. Denique cavendum eſt, ne pœna addatur mutuo, & ſic pallientur uſuræ: *de quo infra.*

QUÆSTIO V.

(24) *Quinam contrahere poſſint.*

N. 1. In jure tam maſculi, quam fæmellæ usque ad annum ſeptimum completum dicuntur *infantes;* abhinc maſculi ad annum decimum quartum, fæmellæ ad duodecimum completum dicuntur *impuberes:* qui impuberes, ſi morte patris deveniant extra patriam poteſtatem, dicuntur *pupilli:* ſi uterque parens ſit mortuus, *orphani.* Maſculi ante completum annum decimum cum medio, fæmellæ ante nonum cum dimidio, dicuntur *infantiæ proximi*, abhinc usque ad annum pubertatis, pubertati proximi. Maſculi dicuntur *puberes* anno decimo quarto completo, fæmellæ anno duodecimo: usque ad annum vero 25tum completum, dicuntur *minores* vel *minorennes.* Pupillo etiam nolenti datur *tutor ;* cujus principale munus eſt, pupillum tueri, ut pie, & honeſte educetur: dein illius bona adminiſtrare tali cura, qualem bonus paterfamilias propriis bonis adhibet: minori volenti datur *curator*, qui & datur prodigo etiam nolenti, cujus eſt bona illorum adminiſtrare; *prodigus* autem eſt, qui indiſcrete bona ſua dilapidat. *Filius*, &

filia-

filia - familias dicuntur, quamdiu ſub patris, vel avi poteſtate manent usque ad emancipationem.

(25) *D.* Omnis, & ſolus ille poteſt valide contrahere, qui uſu rationis præditus habet dominium, & liberam adminiſtrationem bonorum, de quibus eſt contractus, & in jure non impeditur. *Prob.* Qui ſe alteri obligat, ut fit in contractu, exercet actum dominii; ergo hic dominium, & liberam adminiſtrationem habere debet; alias agit contra jus alterius. In contractu tamen gratuito ex parte acceptantis ſufficit, quod ſit dominii capax, habeat uſum rationis, & velit acceptare dominium.

Reſ. 1. Amentes, furioſi, ebrii, infantes ante uſum rationis non poſſunt contrahere, ob defectum conſenſus liberi.

Reſ. 2. Contractus ab infante, vel infantiæ proximo initus, eſt plane nullus; quia jus poſitivum conſenſum illorum irritat, licet in uno, vel altero malitia ſuppleat ætatem; quia jus attendit, quid communiter fiat, non quid in caſu particulari.

Reſ. 3. Religioſus ſine conſenſu ſuperioris invalide contrahit; quia nec dominium, nec adminiſtrationem, ut ſupponitur, habet.

Reſ. 4. Irriti ſunt contractus uxorum absque conſenſu mariti circa bona, quorum dominium, aut adminiſtratio ad maritum pertinet; ideoque de ſolis bonis paraphernalibus contrahere poſſunt.

(26) *Reſ.* 5. Filius - Familias pubes poteſt contrahere de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, manetque naturaliter, & civiliter obligatus; poteſt quoque contrahere de ſuis operis eas locando, nec poteſt pater impedire, ne domo paterna exeat, artem diſcat &c. niſi forte pater inops indigeat ejus opera ad victum, ut habet ſententia communis. De bonis adventitiis, magis de profectitiis, contrahere non po-

 teſt;

teſt; quia dominium, vel adminiſtratio ad patrem pertinet.

Reſ. 6. Sufficit hic licentia tacita patris, quam habet, dum a patre accipit bona expendenda pro libitu, vel exponitur negotiationi. Hinc

Reſ. 7. Si filius-familias: V. G. ſtudioſus, ludendo, potando, &c. patre inſcio & invito contrahat notabilia debita, nec habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, prout ſimiles habere non ſolent, pater vi S. C. Macedoniani non tenetur illa ſolvere; quia facta ſunt in præjudicium patris.

Reſ. 8. Nec tenetur pater ſatisfacere pro delictis vel damnis ſine ſua culpa a filio illatis; quia nequitia filii patri innocenti imputari non poteſt.

(27) *Reſ.* 9. Pupillus, aut minorennis habens curatorem, non obligatur civiliter ex ullo contractu ſine conſenſu tutoris vel curatoris inito: ſi tamen compars contractum impleverit, tenetur, quantum factus eſt ditior; alias nonniſi de dolo, qui ante decimum annum non præſumitur. An obligetur naturaliter? Diſputatur in utramque partem probabiliter, quod ſufficit in praxi ſcire. Interim

Reſ. 10. Si pupillus contrahet cum ipſo tutore, V. G. ipſi vendat prædium, nequidem naturaliter obligatur, ſi non ſit factus ditior, vel dolum commiſerit, vel niſi alter tutor conſentiat: idem eſt de minore reſpectu curatoris; quia lex poſitive reſiſtit.

Reſ. 11. Si pupillus alienet immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſervari poſſunt per triennium (ut habet gloſſa) nequidem naturaliter obligatur, niſi accedat authoritas Judicis, & juſta cauſa apud ipſum probata: V. G. ad emenda alimenta, ſolvenda debita. In aliis ſufficit pro utroque foro licentia tutoris, vel curatoris.

Reſ.

Reſ. 12. Qui rem immobilem, vel mobilem pretioſam ſine licentia Judicis, vel juſta cauſa a pupillo habet, tenetur ante ſententiam Judicis reſtituere; quia contractus fuit nullus: niſi tamen detineat titulo compenſationis, donec alter pretium reddat. Qui autem aliam rem mobilem ſine licentia tutoris accepit, non tenetur illam reſtituere, donec Judicis vel tutoris authoritate repetatur; quia contractus probabilius eſt validus in conſcientia.

Reſ. 13. Pupillus vel minor ſine authoritate tutoris aut curatoris contrahens, licet non obligetur civiliter, obligat tamen alium contrahentem, ſive compartem: niſi is etiam eſſet pupillus, vel minor eodem privilegio gaudens.

Reſ. 14. Si contrahat de rebus mobilibus, quæ ſunt in quotidiano uſu, vel aliqua donet, in luſum, aut recreationem expendat juxta conditionem ſuam, valet pro utroque foro; quia præſumitur licentia, aut ſaltem conſuetudo derogavit legibus.

Reſ. 15. Pupillus, aut minorennis, ſi ſint læſi, licet contractus ſit validus, gaudent beneficio reſtitutionis in integrum, hoc eſt: poſſunt repetere rem vel pretium cum fructibus, damnis, & lucro ceſſante, intra 4. annos a completo anno 25to.

Reſ. 16. Impuberes non obligantur civiliter ullo contractu circa quævis bona, quamvis contrahant cum conſenſu patris; pupillus tamen authoritate tutoris contrahens, obligatur civiliter. *Ratio legum eſt:* quia pupillo datur actio contra tutorem, ſi male egerit, non filio contra patrem ob reverentiam. Idem eſt de minorenni habente curatorem.

(28) *Reſ.* 17. Minorennis non habens curatorem, ſi contrahat de rebus mobilibus etiam aliquantulum pretioſis, obligatur civiliter & naturaliter: ſi tamen læſus fuerit, competit ei reſtitutio in integrum.

Reſ. 18. Prodigus non habens curatorem valide contrahit naturaliter, & civiliter: habens curatorem & abſque hujus authoritate contrahens, invalide contrahit, prout ſtatuunt plures leges; hinc, qui accepit, tenetur in conſcientia reddere, licet non repetatur; quia contractus irritatur.

QUÆSTIO VI.

(29) *Quænam ſit materia Contractus?*

D. Materia Contractus debet eſſe *honeſta*, *poſſibilis*, *ſaltem in ſpe exiſtens*, *propria*, *nec aliunde ex juſtitia debita*, *& non prohibita*. *Dr. Honeſta*; quia ad turpe & illicitum non poteſt eſſe obligatio. 2. *Poſſibilis & in ſpe exiſtens*; quia, ſi non ſit talis, & hoc contrahens faciat, non poteſt ſe ſerio velle obligare: ſi neſciat, eſt error in ſubſtantia. 3. *Propria*; quia nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ipſe habeat. 4. *Aliunde ex juſtitia non debita*; quia dans aliquid pro re ſibi ex juſtitia debita æquivalenter emit rem ſuam: ſi ſit debita ex alia virtute: V. G. charitate, contractus eſt validus; quia per eum acquirit novam ſtrictum jus, quod eſt pretio æſtimabile. 5. *Non prohibita*; ſic enim ſpecialiter irritantur alienationes bonorum Eccleſiaſticorum mobilium pretioſorum, niſi fiant cum conſenſu Papæ, & certis conditionibus.

Reſ. 1. Quamvis contractus de re illicita ſit invalidus, poteſt tamen contractus illicitus eſſe validus, ſi V. G. mala intentione fiat, ut emo gladium ad occidendum inimicum; vel ſi in ſe ſit prohibitus fieri, ſuppoſito tamen, quod fiat, non irritatur, ſecundum regulam juris; *Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent.* Sic valet venditio armorum hoſti patriæ, ſi tamen quis ſe obligaret ad ſic vendendum, contractus eſſet irritus; quia de re mala.

(30) *Reſ.* 2. Licet contractus de re mala ſit irritus, poſito tamen, quod unus ſuam partem impleverit, alter tenetur pariter implere ſuam, ſi poſſit ſine peccato: V. G. conductio ad injuſtum homicidium eſt irrita, ſi tamen conductus homicidium patrarit, conducens tenetur dare pretium. Idem eſt de multis aliis. *Ratio eſt:* quia in his intervenit duplex contractus, unus faciendi rem illicitam, & hic nunquam valet, nunquam obligat, neque ex hoc oritur obligatio dandi pretium, imo ante impletum opus pretium retineri non poteſt: alter contractus eſt conditionatus, ut, ſi hic partem ſuam impleverit, alter teneatur implere ſuam, & hic contractus prius perficitur poſito opere turpi; quo poſito non eſt ex objecto malum dare pretium pro actu, qui, licet non qua malus, attamen qua laborioſus, periculoſus, uni utilis, delectabilis, &c. erat pretio æſtimabilis; neque poſt opus dare pretium magis eſt approbare delictum, quam implere votum ſub conditione peccati commiſſi; hinc ſic accepta reſtituenda non ſunt, niſi poſt ſententiam Judicis; quod tantum volunt leges civiles hos contractus merito reprobantes. Excipitur hic contractus ſimoniacus, ex quo etiam impleto nulla ſequitur obligatio.

Confirm. Qui promiſit puellæ matrimonium ſub conditione copulæ, tenetur eam ducere, nec ſervare fidem eſt hujus approbatio, ergo idem de injuſto homicidio &c.

Nec Dicas. Talem teneri ducere non vi contractus, ſed in pœnam & ad compenſandum damna.

Contra eſt. Si ſine promiſſione, metu, aut fraude copulam extorſiſſet, eſſet deceptio, eademque damna, nec tamen teneretur ducere, ſed ſufficeret dotare vel compenſare, ergo quod in primo teneatur ducere, eſt vi promiſſionis.

Ob. 1. Malitia eſt inſeparabilis a fornicatione V. G. ergo non poteſt pro illa dari pretium; ſicut 2. non poteſt pro tali actione dari præmium; 3. ſic foventur ſcelera; ſi enim meretrix ſciret ſe nihil accepturam, non ſe proſtitueret. ℞. *Ad* 1. *d.* Eſt inſeparabilis in patrando *c.* in ſolvendo *n.* Dein ſufficit utilitatem, vel voluptatem ab actu malo poſſe præſcindi, ut contrahens ex ea moveatur. *Ad* 2. *n. c.* Præmium ſupponit meritum, quod requirit actionem bonam & honeſtam; pretium eſt propter debitum, quod eſt ex contractu, licet de re non honeſta. *Ad* 3. Id eſt per accidens, & habet ſe tantum remote ac indirecte.

Ob. 2. Pro ſacrificio miſſæ & actionibus illi intrinſecis non licet accipere pretium, etiam ut ſunt utiles in ordine ad beneficium temporale; ergo nec pro opere turpi, quatenus utile eſt. ℞. *n. c. Diſp. eſt:* quia actio ſacra elevata eſt ad ordinem ſuperiorem; in quo ſuperat omne pretium; hinc pretio temporali ſine irreligione æſtimari non poteſt. Actio mala non eſt in tali ordine, in quo ſuperet pretium; ſic indubie, ſi iter facerem ex malo fine, in tuam tamen utilitatem, opus foret malum: poſſem tamen pro eo, ut tibi utili, mihi laborioſo, accipere pretium.

Reſ. 3. Quando contractus, vel promiſſio eſt de re partim licita, partim illicita, eſt obligatio ponendi rem licitam: quia ***utile per inutile non vitiatur*** (a). Hinc.

(31) *Reſ.* 4. Quando materia eſt partim poſſibilis, partim impoſſibilis, valet contractus, ſi materia ſit diviſibilis, & conſenſus feratur diviſibiliter: V.G. contraxi tecum de tradendis 100 modiis tritici, ſi non poſſis dare niſi 50., ad hos teneris; econtra emi a te duos equos ejusdem coloris & magnitudinis pro trahenda rheda, ſi non poſſis dare utrumque, contractus eſt

(a) *R. J.* 37. *in* 6.

eſt nullus; quia conſenſus ferebatur indiviſibiliter in utrumque.

Reſ. 5. Si contraham de re, quæ eſt in ſpe, V. G. vendo poma, quæ colligam in autumno, ſingula maldera ad florenum, ſi hæc poma ſuo tempore non exiſtant, contractus eſt nullus. Econtra ſi vendam ſpem, quæ nunc eſt ad poma mei horti, quamvis nullum creſcat, valet venditio, & teneris ſolvere pretium.

(32) *Reſ.* 6. Si vendam rem mihi cum aliis communem, V. G. gregem ovium pertinentem ad me, & duos fratres meos, valet venditio pro tertia parte, quia mea eſt.

Reſ. 7. Si Titius accipiat pretium a Cajo, ut vadat Pariſios, poteſt adhuc pro tali itinere idem pretium accipere ab alio, tacendo de priori; non enim illi vendit jus alterius, ſed novam obligationem ad iter illi utilem, quæ manet, ſi Cajus cedat juri ſuo.

Reſ. 8. Si pater det filio veſtem, ut communicet in paſchare: Petrus Paulo pecuniam, ut deſerat turpia conſortia, licite retinent: quia hæc non ſunt debita ex juſtitia: neque hic eſt ſimonia; quia non datur pretium pro ſpirituali, ſed ut alliciatur ad actum honeſtum, vel deſerenda peccata. Major eſt difficultas: ſi V. G. Petro dem pecuniam, ut non occidat Paulum: ubi plures dicunt contractum valere; quia non emo rem mihi ex juſtitia debitam. Alii tenent oppſitum; quia omiſſio occiſionis ex juſtitia eſt debita Paulo; ergo non poſſum illam emere a Petro.

QUÆSTIO VII.

(33) *An Contractus invalidi firmentur Juramento?*

Suppono 1. Aliud eſt juramentum *valere:* aliud *firmare Contractum.* Valet *juramentum*, ſi ex religio-

ligione erga Deum obligat: *firmat*, ſi faciat contractum ex juſtitia obligare, qui alias ex diſpoſitione juris irritus non obligaret.

Suppono 2. Si contractus jam ſit validus, proprie non dicitur firmari juramento; ſed ei tantum ſuperadditur nova obligatio ex virtute religionis, & tunc juramentum ſequitur naturam contractus; hoc eſt: obligatio juramenti eousque ſe extendit, quousque obligatio contractus, non ultra; hinc, ſi contingat cauſa, ob quam contractus V. G. ſponſalia non jurata ſint ſolubilia, etiam diſſolubilia ſunt jurata.

(34) *D.* Probabilius eſt, omnes contractus puberum firmari juramento, qui ex jure naturæ non habent, quod ſint nulli, & ſervari poſſunt ſine peccato tum jurantis, tum exigentis juramentum. *Prob.* Jura dicunt, tales contractus inviolabiliter ſervandos; ſed non ex religione tantum, ut dicunt aliqui; ergo *p. m.* In jure datur actio contra jurantem, & creditor non tenetur acceptum reſtituere; ſed ſi juramentum non firmaret contractum, jurans ſatisfaceret ſolutione momentanea, ut vocant, poſſetque repetere, & creditor teneretur reſtituere; ut patet in contractibus jure naturæ irritis; ergo.

Ob. 1. Juramentum non excedit limites religionis; ergo non tribuit obligationem juſtitiæ; ergo non firmat contractum. ℞. *d. c.* Non tribuit poſitive dando ipſam obligationem. *c.* Auferendo impedimentum, ſive prohibitionem juris, qua ſublata contractus ſtatim recuperat valorem, quo jure humano erat privatus. *n.*

Ob. 2. Si contractus firmentur juramento, ceſſat finis legum, nam contractus, quos leges faciunt irritos, facile quis faciet validos addendo juramentum; nec erit ſatis proviſum V. G. pupillo, qui facile adduci poterit, ut addat juramentum. ℞. Juramen-

mentum ſupponitur factum cum majori deliberatione. *Dein* hoc non obſtante jus vult valere ob reverentiam Dei invocati; ſiquis ideo patiatur damnum, ſibi imputet. *Deinde* ſæpe non firmatur; quia adeſt turpitudo ex parte exigentis. *Denique* per relaxationem vel reſtitutionem in integrum datur locus obviandi incommodis.

Reſ. 1. Non firmatur contractus jure naturæ irritus, in quo V. G. deeſt conſenſus; de quo verum eſt, quod juramentum ſequatur naturam contractus, cui apponitur.

Reſ. 2. Firmatur contractus, quo V. G. pupillus addito juramento alienat bona immobilia ſine authoritate tutoris, licet dictum ſit (a) eum nequidem naturaliter obligari; quia jus poſitivum vult conſenſum pupilli haberi tanquam nullum; ſi tamen accedat juramentum, idem jus in reverentiam juramenti revocat hanc ſuam diſpoſitionem, & vult, ut conſenſus pupilli maneat, qualis ipſe eſt præciſo jure poſitivo; ideoque ut ſit validus. Quod facile applicatur aliis contractibus ſola juris diſpoſitione nullis.

Reſ. 3. Non firmatur contractus injuſto metu, vi, dolo extortus ab eo, cui juratur; quia ſervari non poteſt ſine peccato juramentum exigentis, nec juramentum poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Attamen juramentum in conſcientia ſervari debet ex virtute religionis, ſi ſervari poſſit ſine peccato; ſic enim exigit reverentia debita Deo, qui vocatur in teſtem & veluti fide-juſſorem: ſic eſt obligatio ſolvendi uſuras ex religione, non juſtitia, ſi juraveris; quia licite ſolvere potes; attamen ſatisfacis ſolutione momentanea, hoc eſt: potes repetere, & uſurarius tenetur reſtituere. Idem eſt de multis aliis.

(a) *Vid. Num.* 27.

Reſ.

Reſ. 4. Ut juramentum firmet contractum, debet fieri homini, & ab eo acceptari in ſecuritatem contractus; hinc, ſicut promiſſio V. G. ſic & juramentum additum ante acceptationem poteſt revocari; includit enim hanc conditionem: ſi alter acceptet. Si tamen fiat Deo per modum voti, V. G. juraſti Deo, te daturum Petro 100., obligat juramentum, licet Petrus deſuper nil ſciat, ideoque teneris ſaltem Petro offerre 100., quos ſi acceptare nolit, es liber.

(35) *Reſ.* 5. Dum contractus non firmatur juramento, juſte petitur illius relaxatio; nam adeſt ex parte exigentis turpitudo, qua V. G. exigit, uſuras, fecit vim &c. ergo eſt juſta cauſa relaxationis, quam in foro conſcientiæ dant confeſſarii mendicantium: ſi deductum ſit ad forum externum, petenda eſt ab Epiſcopo; imo Judex ſæcularis poteſt indirecte relaxare, ſcilicet nomine ſui ſubditi illud injuſte renuentis.

Reſ. 6. Econtra ſi juramento firmetur contractus, illicite & invalide relaxatur ab alio, quam ab eo, cui præſtitum eſt: quia contractus per juramentum validatur; ergo contrahens acquiſivit jus. Superiores autem Eccleſiaſtici non habent poteſtatem irritandi juramentum in damnum tertii. *Excipe:* niſi Papa faciat ex graviſſima cauſa, ob bonum publicum.

Reſ. 7. Juramentum irritari poteſt a creditore, ſive juſte ſive injuſte exegerit; acceptavit enim in favorem ſuum; ergo ſi cedat juri ſuo, ceſſat obligatio juramenti, quæ eſt quaſi acceſſoria.

Reſ. 8. Juramentum Clerici, quo renuntians privilegio fori jurat ſe compariturum coram Judice ſæculari, non firmat promiſſionem, imo eſt invalidum; cum ſit de re illicita, utpote in detrimentum Ordinis Clericalis, cui principaliter hoc privilegium conceſſum eſt. Idem eſt de matrimonio jure poſitivo nullo;

lo; & generaliter, dum irritatio principaliter eſt facta ob bonum commune.

De Contractibus in genere.

Caſus I. Cajus 1. audiens, quod, ſi Berta haberet 100. florenos, nuberet optimo artifici, intra ſe dicit: promitto, imo dono illi 100.: quod 2. coram aliis ſe facturum jurat: 3. cum Titio iniit contractum, cui ſtare renuit dicens, ſe non habuiſſe animum implendi, imo nec ſe obligandi ſaltem graviter, vel de hoc dubitare. *Q. 1. Quid, & quotuplex ſit contractus? 2. qualis ad eum requiratur conſenſus? 3. quid ad caſum?*

℞. *Ad* 1. Eſt *duorum vel plurium in idem conſenſus obligationem juſtitiæ pariens ſaltem in uno contrahentium:* alius eſt *onerofus*, alius *gratuitus nominatus, innominatus*, &c. (a) *Ad* 2. Requiritur conſenſus internus, & animus ſaltem implicitus ſe obligandi, liber, legitimus, ſigno externo manifeſtatus (b). *Ad* 3. Si dixerit ob cauſam non omnino piam, ante acceptationem poterat revocare, etiam poſt juramentum; quia hoc ſequitur conditionem actus, ſuper quem cadit; ſi autem intuitu paupertatis, & pietatis, valde probabiliter tenebatur, dum intra ſe dixit; quia Deus loco pauperis, vel cauſæ piæ acceptat ut ſibi donatum: quod certum eſt, ſi fiat per modum voti dirigendo intentionem ad Deum: V. G. promitto Deo, quod velim huic pauperi dare &c. Quod contrahendo cum Titio animum implendi non habuerit, nil refert, ſufficit animus ſe obligandi, qui adfuiſſe præſumitur, niſi contrarium doceat, & tunc peccavit graviter in contractu oneroſo; nam, qui ſic contrahit, habet

(a) *Vid. Num.* 1. & 2. (b) *Num.* 4.

bet jus, ut alter ſerio agat, & per ſe graviter ſe obliget.

Caſus II. Titius 1. emit vinum, quod falſo putat eſſe talis loci: 2. duxit puellam pauperem putans eſſe divitem: 3. conduxit pro filio ſuo præceptorem, quem falſo putavit eſſe peritum. *Denique* emerat cenſum per 5. ad 100. a Cajo, qui pecunia carens fingit ſe velle redimere, ſicque inducit Titium ad penſionem minuendam: *Q. 1. An, & qualis error, aut dolus dirimat contractum? 2. Quid ad caſum?*

℞. *Ad* 1. Omnis error circa ſubſtantiam objecti, vel contractus irritat, jure naturæ; circa accidens non irritat, niſi hoc redundet in ſubſtantiam, ut: ſi per ſe intendatur, vel voluntas ad illud ſe reſtringat ſaltem virtualiter, quod in dubio ex circumſtantiis, vel natura contractus eſt colligendum (a). Error circa accidens per dolum compartis cauſatus facit reſcindibilem pro arbitrio decepti, non decipientis; alias tantum datur actio quanti minoris (b). Hinc *Ad* 2. Emptio vini per ſe eſt valida niſi qualitas ſubſtantiam rei ſubeat. Uti, & matrimonium quamvis noluiſſet, ſi ſciviſſet; non conductio præceptoris, in qua per ſe intenditur peritia (c). *Ad* 3. Cajus peccavit graviter contra juſtitiam, teneturque reſtituere integras penſiones propter injuſtum dolum: aliud eſt, ſi poſſet redimere, ad quod jus habet.

Caſus III. Pharmacopola vendit ſpecies exoletas, & dum non habet præſcriptas a Medico, alias ſubſtituit. Vinipola vino debili addit varias ingredientias vinum guſtui gratum reddentes, ſicque vendit pro bono. Mercator pannum corroſum recenter

(a) *Vid. Num.* 7. & 8. (b) *Num.* 10. (c) *Num.* 9.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ter coloratum vendit pro bono, ſemina emortua pro recentioribus. *Denique* artifex horologium portatile Coloniæ factum inciſo nomine artificis Anglici vendit pro Anglico. *Q. Qualiter peccent, & ad quid teneantur?*

℞. *Primus in* 1. Peccat graviter; quia exponit Medicum periculo proſtitutionis, infirmum periculo mortis, vel tardioris reconvaleſcentiæ; hinc tenetur refundere pretium, inſuper compenſare damnum, & lucrum ceſſans tum Medico, tum infirmo. *Idem eſt in* 2.: niſi ſubſtituta eſſet medicina æque utilis; tunc enim nec medicus, nec infirmus eſſet rationabiliter invitus ſaltem graviter, ſed Confeſſarius non facile credat ſubſtitui æque utilia, quia cupiditas lucri æqualitatem fingit. *Secundus* tenetur reſtituere exceſſum pretii, quo vinum vendidit. *Tertius* magis peccat, & reſtituere debet damna inde ſecuta. *Ultimus* ſi ideo notabiliter plus acceperit, tenetur augmentum reſtituere, alias non, præſertim ſi ſit æque bonum,

Caſus IV. Religioſi ad profeſſionem ſuſcipiunt Cajum minus talentatum, quia parentes ſummam pecuniæ offerunt, & monaſterio multa promittunt, ex poſt inveniuntur nihil habere. *Q. Quid de tali ſuſceptione?*

℞. Aſſumptio, & profeſſio eſt valida, quia pecunia nec eſt, nec eſſe debet motivum principale, ſed tantum accidentale impulſivum ſuſceptionis ad profeſſionem, imputent ſibi, quod ab ante non melius indagaverint.

Caſus V. Berta a Cajo maritato oppreſſa falſo dicit ſe concepiſſe, ideoque poſtulat 100. aureos tum pro defloratione, tum pro prole alibi occulte parienda, & educanda, ſecus minatur accuſatio-

[faint library stamp]

nem coram Judice & criminis divulgationem: Cajus ex metu dat, licet invitus. Q. 1. *An, & qualis metus dirimat contractum? 2. An Berta teneatur ad reſtitutionem?*

℟. *Ad* 1. Metus gravis ab agente libero injuſte in ordine ad extorquendum conſenſum incuſſus non invalidat contractum, ſi pro materia habeat quid diſtinctum a vexatione; relinquit enim actum ſimpliciter voluntarium: excipitur matrimonium, & profeſſio religioſa, ad quæ major requiritur libertas; attamen reſcindi poteſt a metum paſſo ob injuriam illatam, quod tantum volunt jura, dum dicunt illum carere robore &c. (a). *Ad* 2. Poteſt retinere partem, non totum; quia motivum principale ſaltem partialiter non ſubſiſtit: quia tamen ob illatam ſibi injuriam vi ſtupri potuit accuſare, hinc pro eo, quod cedat juri ſuo eum proſtituendi, potuit aliquid acceptare; idque licet accuſare non voluerit, quia potuit juſte minari (b). Quantum autem retinere poſſit, determinandum eſt ex quantitate injuriæ, facultatibus adulteri &c. nec opus eſt, ut confeſſarius hos intricatos caſus ſubito reſolvat, ſed petenda mora, ut ponderet circumſtantias, interroget doctiores &c.

Caſus VI. Cajus legat Bertæ pauperi virgini 100. imperiales in ſacco viridi repoſitos, ut nubat Titio ejus conſanguineo: illa nec virgo eſt, nec imperiales in viridi, ſed alio ſunt ſacco, neque Titio ſed Petro nubit, licet Paulo matrimonium ſub conditione de futuro nondum impleta promiſiſſet. Q. 1. *Quid ſit cauſa, modus, demonſtratio, conditio contractui adjecta? quomodo obligent? & 2. quid ad caſum?*

℟. *Ad*

(a) *Vid. Num.* 14. (b) *Num.* 12.

℞. *Ad* 1. Cauſa eſt ratio, propter quam initur contractus: alia motiva ſeu finalis, alia impulſiva tantum; prima, non ſecunda impedit valorem. Modus eſt onus adjectum contractui, quod ſervari debet, vel res accepta reſtitui, quantum intereſt modum non eſſe ſervatum. Demonſtratio eſt qualitas rem, vel perſonam determinans. Conditio de futuro poſſibili, & honeſto ſuſpendit contractus obligationem usque ad eventum conditionis, quem exſpectare tenentur (a). *Ad* 2. Paupertas cenſetur eſſe cauſa motiva, ideoque hac deficiente nequit legatum acceptare: quod non ſit virgo, non obeſt, modo communiter habeatur pro tali; non enim tenetur ſe prodere repudiando legatum: error circa ſaccum eſt accidentalis, ideoque non obeſt: quod non nubat Titio, ſi per ipſam hoc ſtet, obeſt; quia modus tunc eſt cauſa principalis. *Denique* matrimonium eſt validum; adhuc enim erat domina corporis ſui: ſponſalia fuiſſent nulla; quia de traditione corporum illicita.

Caſus VII. Advocatus pecuniam accipit, ut cauſam non nimis protrahat: Judex pecunia corruptus iniquam tulit ſententiam in favorem Titii, cujus uxorem oblato pretio ad adulterium induxit: filiæ varia offert munera ex animo, ut ipſa advertit, minus recto, quæ acceptat quidem, ſed aperte proteſtatur ſe nolle conſentire in ullum opus turpe. *Q.* 1. *Quæ ſit materia contractus, & an contractus de re turpi ſit validus?* 2. *an in caſu pecunia licite acceptari aut ſaltem retineri poſſit?*

℞. *Ad* 1. Materia contractus debet eſſe honeſta, poſſibilis, ſaltem in ſpe exiſtens, propria, aliunde ex juſtitia non debita, nec prohibita. De re turpi ante impletum opus eſt invalidus; quia nequit eſſe obli-

(a) *Vid. Num.* 20. *& ſeq.*

obligatio ad peccatum: ex poſt validus, quantum ſine peccato ſervari poteſt (a). *Ad* 2. Advocatus poteſt acceptare, ſi detur omnino liberaliter ad alliciendum, magis, ſi ob laborem extraordinarium indebitum: non poteſt, & tenetur reſtituere, ſi detur quaſi pretium; quia creditur non velle præſtare hoc, ad quod ex officio tenetur, niſi mediante pecunia. Judex peccat graviter acceptando, teneturque reſtituere: poſt latam autem injuſtam ſententiam licite retinet, imo in conſcientia exigit non pro peccato, ſed periculo V. G. infamiæ, cui ſe expoſuit: interim tenetur in defectu alterius compenſare damna alteri injuſte ſententiato. Simile eſt de uxore. Filia peccat graviter acceptando, ſi ei conſtet de mala intentione; quia non obſtante proteſtatione fovet impurum animum, & ſpem; attamen acceptum non tenetur reddere, non enim peccavit contra juſtitiam, cum ſit liberaliter datum: ſi vero tantum dubitet, licite recipit; quia in dubio nemo præſumitur malus, modo non ſit præſumptio gravis contra ipſum, prout hic eſt.

Caſus VIII. Titius pupillus ſine conſenſu tutoris addito juramento 1. donat rem pretioſam: 2. jurat ſe non contracturum ſponſalia, quæ tamen poſtea contrahit, & juramento confirmat: 3. in neceſſitate mutuum accipiens jurat ſe ſoluturum uſuras, imo non petiturum relaxationem juramenti, nec datum repetiturum. *Q.* 1. *Quinam contractus firmentur juramento? 2. quid ad caſum?*

℞. *Ad* 1. Omnes, qui ex jure tantum poſitivo habent, quod ſint nulli, & ſervari poſſunt absque peccato tam jurantis, quam exigentis juramentum (b). ſi ſit turpitudo ex parte exigentis tantum, obligant jurantem, ſed non firmatur contractus; hinc donatio Titii

(a) *Vid. Num.* 29. *&* 30. (b) *Vid. Num.* 34.

Titii eſt valida, modo ſit pubes; ſi non ſit, obligatur quidem juramento, ſed non firmatur donatio, jus enim poſitivum agens de confirmatione per juramentum tantum loquitur de juramentis puberum. *Ad* 2. Sponſalia contra prius juramentum contracta valent; quia contractum ſacrilege celebrari ſtat cum valore ipſius, & obligatio religionis non obſtat obligationi fortiori juſtitiæ. Jurans ſe ſoluturum uſuram ſatisfacit ſolutione momentanea, vel poteſt petere relaxationem juramenti, quam ſi juraverit ſe non petiturum, non poteſt petere; attamen adhuc poteſt inſinuare Superiori, tuncque facile a juramento injuſte extorto abſolvetur.

DISSERTATIO II.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid ſit promiſſio, & quomodo obliget?*

D. 1. Promiſſio ſolet definiri: *liberalis ſpontanea, & deliberata fidei donatio de exhibenda re licita, & poſſibili. Dr. Liberalis;* ſi enim fiat cum onere viciſſim præſtando, habet rationem contractus oneroſi, ſaltem innominati. *Dr. Spontanea;* nam vi, & metu injuſto extorta non obligat; promiſſio enim, & donatio ex ſe poſtulant fieri liberaliter. *Dr. Deliberata;* deliberatione ſufficiente ad mortale; hinc ſemiplene deliberata nec ſub veniali obligat, *ut ſupra dictum* (a). *Dr. Fidei donatio;* quæ non

(a) *Diſſ. præced. Num.* 4.

non eſt fidei, ſed rei. Eſt autem fides hic voluntas ſincera conformandi facta promiſſis; unde promiſſio eſt de re danda, donatio de actualiter data. *Additur: licita, & poſſibili;* quia, *ut ſupra* (a), ad illicitum, & impoſſibile nulla poteſt eſſe obligatio: hinc nulla eſt promiſſio rei jam promiſſæ alteri, etſi donatio valeat facta traditione: quia promiſſio eſt de objecto illicito, ſcilicet actione translativa dominii; donatio pro objecto habet ipſum dominium, cujus eſt translatio.

(2) *Reſ.* 1. Promiſſio differt a ſimplici propoſito etiam ſerio, & firmiſſimo, quod propoſitum externe etiam alteri expreſſum ſit ſimplex intentio, vel voluntas præſens aliquid faciendi in futurum absque obligatione etiam fidelitatis.

Reſ. 2. Non obligantur illi, qui ex politica quadam urbanitate promittunt ſe omni loco, & tempore fore paratos ad aliorum obſequia; quia modus ille loquendi denotat propoſitum, non promiſſionem, & verba urbanitatis, ut dici ſolet, non obligant. Sic etiam ſpecialem obligationem non imponit promiſſio facta Confeſſario de facienda reſtitutione, vitanda occaſione, &c.

(3) *Reſ.* 3. Promiſſio tantum interna facta homini nullam inducit obligationem *ut ſupra* (b).

Reſ. 4. Promiſſio externa nondum acceptata a promiſſario, hoc eſt: antequam quis ratihabeat, velitque alium ſibi obligare, non inducit obligationem in promittente: non civilem, patet *ex L.* 2. §. 6. *& l.* 10. *ff. de donat.:* nec naturalem; quia, ut alicui novum jus acquiratur vi contractus, haberi debet duorum conventio: imo nequidem eſt obligatio fidelitatis; quia mens promittentis non eſt ſibi imponere obligatio-

(a) *Diſſ. præc. Num.* 29. (b) *Ibid. Num.* 4.

tionem, niſi alter velit; ideo quævis promiſſio, vel donatio ante acceptationem eſt revocabilis.

Reſ. 5. Hoc verum eſt, licet accedat juramentum; quia juramentum ſequitur naturam actus, cui additur: ſed promiſſio nondum acceptata ex natura ſua non obligat; ergo. Aliud eſt, ſi jurares te non revocaturum ante acceptationem, vel intimationem.

(4) *D.* 2. In promiſſione liberali pendet a voluntate promittentis, an velit ſe obligare ex ſola fidelitate, an etiam ex juſtitia, ex hac enim ſola perficitur; ideo promiſſio ex ſe non eſt contractus proprie, qui obligationem juſtitiæ pariat. In dubio non præſumitur quis velle ſe obligare ex juſtitia, niſi addat juramentum, faciat inſtrumentum, aut det aliquid in aſſecurationem; nam (a) *in obſcuris minimum eſt ſequendum.*

Reſ. 1. Si liberaliter promittens etiam rem gravem voluerit ſe obligare tantum ex fidelitate, gratitudine aut alia virtute, per ſe obligatio eſt tantum levis; quia ſic non implendo peccat tantum in hoc, quod facta non conformet, verbis, in quo non videtur eſſe gravis inhoneſtas, ſicut nec in mendacio. Aliud eſt de promiſſione oneroſa, in qua debet eſſe intentio ſe obligandi ex juſtitia, & quidem graviter, ſi materia ſit gravis. *Dixi: per ſe;* quia ſi ex promiſſione non ſervata ſequeretur grave damnum alteri, eſſet obligatio gravis: V. G. liberaliter promiſiſti mihi mutuare frumentum, quod poſtea debeo carius emere, quam tempore promiſſionis valebat.

Reſ. 2. Idem eſt, ſi liberaliter promittens voluerit ſe ſimpliciter obligare non cogitans, ex qua virtute, aut an graviter, an leviter, prout communiter contingit; quia cenſetur ſe voluiſſe ad id obligare præciſe, ad quod obligat promiſſio liberalis ex genere

 ſuo;

(a) *R. J.* 30. *in* 6.

ſuo; ſed hæc obligat tantum venialiter ex virtute fidelitatis etiam in re gravi. Hinc communiter notant Doctores, in promiſſione liberali, ut plurimum deeſſe, & in dubio præſumi defuiſſe animum ſe graviter aut ex juſtitia obligandi.

Reſ. 3. Si liberaliter promittens voluerit ſe obligare ex juſtitia, obligatur ſub mortali ex genere ſuo cum onere reſtitutionis; quia obligans ſe alteri ex juſtitia transfert in ipſum jus ſtrictum; ſicut autem donare poſſum alteri rem meam, ſic & jus ad illam. Attamen

(5) *Reſ.* 4. Ad mortale ſatis probabiliter hic requiritur quadruplo major materia, quam in furto; quia magis rationabiliter invitus quis cenſetur, ſi ei non reſtituatur unus florenus furtim ablatus, quam ſi non dentur 4. liberaliter promiſſi. Res ſpiritualis promiſſa, ut cenſeatur gravis, debet eſſe notabilis in ordine ſpirituali, attenta communi æſtimatione hominum; hinc roſarium una Miſſa audienda, imo ſatis probabiliter legenda gratuito promiſſa per ſe non videtur materia gravis; quia negatio unius Miſſæ liberaliter promiſſæ, non videtur apta ad graviter lædendam charitatem. Hoc certum videtur, quod in materia etiam gravi hic poſſim me obligare tantum ſub veniali; cum obligatio promiſſionis gratuitæ etiam quoad modum pendeat a voluntate promittentis: ſicut in ſimili dicimus *de legibus* (a). *Dixi notanter per ſe;* quia certum eſt, illum, qui Miſſas alterius ex voto, vel ſtipendio legendas gratis in ſe ſuſcipit, & poſtea non perſolvit, peccare mortaliter; quia in ſe ſuſcipit totum onus alterius, nec poteſt hic velle ſe tantum obligare leviter. Hoc notent bene multi Religioſi, & ſæculares Sacerdotes, qui ad alterum honorandum indifferenter, neſcio quot Miſſas offerunt, interne nil

(a) *Part.* 1. *de Legib. N.* 20.

nil minus, quam de facienda applicatione cogitantes; quid enim, ſi acceptans habuerit Miſſas ex voto, ut V. G. monialis, aut etiam ex ſtipendio legendas, & propter promiſſionem tuam ſe exoneratum putans non legat aut legi curet?

(6) Q. 1. *Quomodo promiſſio debeat acceptari?*

℞. 1. Ut promiſſio acceptetur, non ſufficit quomodocunque manifeſtari, ſed debet promittens voluntatem ſuam dirigere ad promiſſarium, illique promiſſam rem offerre, vel per ſe, vel per alium a ſe deſignatum. Hinc ſi audias Petrum promittentem Paulo abſenti equum, & motu proprio referas Paulo, acceptatio non facit promiſſionem validam; quia promittens non cenſetur velle jus in rem ſuam transferre, niſi ipſemet, vel per ſe, vel per alium intimet.

℞. 2. Si promiſſio fiat præſenti, hic debet verbis, vel ſignis exprimere gratam ſibi eſſe promiſſionem, & quidem ſtatim moraliter; quia tunc non cenſetur promittens velle ſuſpendere ſuum conſenſum. Attamen ſi promiſſio ſit omnino gratuita, & in promiſſarii commodum, ſufficit, quod taceat; quia ſicut in odioſis, qui tacet, diſſentire videtur, ſic in gratioſis, *qui tacet, conſentire cenſetur* (a), niſi forte ex circumſtantiis colligeretur ſilentium oriri ex verecundia, ne offendatur promittens, ſi non acceptetur, vel quod res utpote vilis, non curetur.

℞. 3. Si promiſſio fiat abſenti per literas, promiſſarius non cenſetur acceptare juxta aliquos, niſi reſcribat: ſi per nuntium, niſi coram ipſo ſaltem tacite acceptet, licet promittenti non intimetur.

℞. 4. Si promiſſio fiat tertio, diſtinguendum eſt; vel enim fit per verba directa ad abſentem, ut, ſi coram me dicas: promitto Titio, qui eſt Romæ 100. florenos, & tunc nemo poteſt pro Titio acceptare, niſi

(a) *R. J.* 43. *in* 6.

niſi fuerit ſpecialiter deputatus : vel ſit per verba directa ad alium præſentem : V. G. promitto tibi, quod Titio abſenti velim dare 100., & tunc nomine abſentis, poteſt acceptare 1. habens ſpeciale mandatum: 2. reportans commodum ex promiſſione : 3. gerens curam promiſſarii, ut: Parochus nomine Eccleſiæ, ſuperior pro ſubdito, parens pro filio &c., 4. qui non eſt ſui juris pro eo, cui ſubjicitur, filius pro patre, Religioſus pro monaſterio &c.; quia in his cenſetur una civiliter perſona : non ſic famulus pro hero, diſcipulus pro magiſtro, nec filius emancipatus pro patre ; quia ſunt ſui juris. *Denique* quilibet privatus pro cauſa pia *ex jure civili* (a), ubi id ſtatuitur in favorem dotis, & merito extenditur ad cauſas pias. Ex his

(7) *Reſ.* 1. Si ante acceptationem moriatur promiſſarius, dum V. G. epiſtola aut nuntius eſt in via, non poſſunt pro illo acceptare hæredes ; quia intentio ferebatur in perſonam, quæ deſinit, & hæredes tantum ſuccedunt in jura realia acquiſita defuncti, quale jus hic non eſt, ſi tamen ex circumſtantiis pateat, quod promiſſio ſimul facta ſit in favorem uxoris, vel prolium, ab his acceptari poteſt.

Reſ. 2. Si econtra ante acceptationem moriatur promittens, V. G. infirmus per nuntium, vel epiſtolam facit promiſſionem, aut donum, & antequam ad promiſſarium veniat, moritur infirmus, poteſt adhuc acceptari, & hæredes promittentis tenebuntur; quia promiſſio facta, & non revocata, nuntio, vel literis mandata, cenſetur adhuc eſſe moraliter: eſtque gratia facta, quæ non exſpirat morte concedentis, ut habet communis. Si tamen promittens mittat nuntium, non ut indicet promiſſionem a ſe factam, ſed ut nomine ſuo promittat, aut donet, diciturque Commiſſarius,

(a) *L.* 45. *ff. ſoluto Matrimonio.*

ſarius, non tenet promiſſio, ſi ante acceptationem moriatur promittens; quia mandatum gratiæ faciendæ re adhuc integra exſpirat morte mandantis: hinc res illa reſtituenda eſt hæredibus defuncti. Excipitur cauſa pia; quia tunc præſumitur promittens voluiſſe manere poſt mortem, quando maxime prodeſt animæ.

Reſ. 3. Promiſſio facta abſenti, antequam acceptetur, revocari poteſt, &, ſi revocetur, invalide acceptatur, etſi nuntius, vel promiſſarius de hoc non ſciat. Si tamen nuntius ſit ipſius procurator, vel commiſſarius, & revocatio neutri innoteſcat, promiſſio acceptari poteſt; quia de jure facta puri mandatarii revocato mandato ſunt invalida, facta vero per procuratorem, antequam conſtet de revocatione, valida ſunt. *L.* 15. *ff. mandati.* Excipitur contractus matrimonii inter abſentes, in quo conſenſus a jure ſuppleri non poteſt.

Reſ. 4. Qui nomine abſentis acceptavit, non poteſt promiſſionem remittere; quia non ſibi, ſed alteri jus acquiſivit: abſens vero poteſt acceptationem nomine ſuo factam ratam habere, vel non habere.

(8) Q. 1. *Quando promiſſio acceptata deſinat obligare?*

℞. Deſinit 1. Si promiſſarius remittat. 2. Si res promiſſa fiat impoſſibilis, vel illicita per leges, ſi damnoſa ipſi promiſſario. 3. Si promiſſarius non ſtet promiſſo prius facto; nam *frangenti fidem, fides frangatur eidem.* 4. Si aliquid promittas ob cauſam, quæ non ſubeſt: V. G. ſub ſpe beneficii, quod poſtea non accipis, vel quia putabas certum beneficium, vel obſequium tibi ab eo obveniſſe, poſtea vero cognoſcis, quod non iſte, ſed alius fuerit author impetrati: 5. Si cauſa finalis ceſſet. *Denique:* ſi ſtatus rerum aut perſonarum ita mutetur, ut promiſſor prudenter

non

non videatur illum eventum voluiſſe comprehendere: V. G. pauperi promiſiſti 100. & ille inopinato evadit dives, vel tu ipſe ob ſuperveniens infortunium indiges: ſi promiſeris laborare in horto Petri hodie, & reliquis hebdomadæ diebus, & interim gravis infirmitas V. G. uxoris tuam requirat præſentiam.

QUÆSTIO II.

(9) *Quid, & quotuplex ſit donatio?*

D. 1. Donatio eſt *contractus gratuitus, quo plenum rei dominium ſtatim gratis transfertur in alium. D. Plenum;* per quod differt ab emphyteuſi, commodato, & ſimilibus contractibus, quibus, vel non transfertur dominium, vel tantum utile. *dr. gratis;* per quod differt a mutuo, & aliis; quia in mutuo eſt obligatio reſtituendi rem ſimilem: vel *dr. gratis;* hoc eſt: omnino liberaliter absque obligatione etiam gratitudinis, aut alterius virtutis: hinc donatio *antidotalis*, ſeu *remuneratoria*, quæ fit ex gratitudine ob beneficium, vel obſequium præſtitum, non eſt ſtricte talis, & in odioſis non venit nomine donationis. *dr. ſtatim;* & differt a promiſſione, *de qua ſupra.* Quæ autem de promiſſione, præſertim fit abſenti, dicta ſunt, cum proportione applicanda ſunt donationi. Quis vero, & quid donare poſſit, habetur ex præcedentibus; qui enim poteſt contrahere, poteſt, & donare per ſe loquendo (a).

(10) *D.* 2. Donatio alia eſt *verbalis* ſive *incompleta*, alia *realis*, & *completa:* per hanc fit rei donatio, & ſimul traditio, per illam fit donatio, non traditio, ut ſi dicas: dono tibi equum, quem habeo domi in ſtabulo. Realis dat jus in re, verbalis jus ad rem

(a) *Vid. diſſ. præc. Num.* 25. *& ſeq.*

rem tantum; hinc ſi poſt donationem verbalem rem dones, & tradas alteri, hæc traditio valet, & primo donatario manet tantum actio perſonalis pro jure ad rem, & damno forte illato. Sola realis eſt ſtricta donatio, verbalis eſt quaſi promiſſio: cui autem res donata ante traditionem pereat, colligetur *ex dicendis infra* (a). Donatio alia dicitur *inter vivos*, qua quis ſic donat, ut rei donatæ dominium velit ſe vivente transferre in donatarium: alia *mortis cauſa*, qua quis actualiter quidem donat, ſed vult ſe mortuo tantum transferri dominium: V. G. do tibi 100. aureos poſt mortem meam habendos. Hæc donatio etiam re tradita, ſicut teſtamentum ſemper revocari poteſt; & ſi donatarius prius moriatur, non tranſit ad hæredes. In dubio, an donatio ſit inter vivos, vel mortis cauſa, cenſetur inter vivos; quia hæc eſt principalior.

(11) *D.* 3. Jure poſitivo communi invalida eſt donatio inter vivos omnium bonorum tam præſentium, quam futurorum; quia donator per hoc ſibi aufert proteſtatem teſtandi, quod leges civiles improbant: valet tamen, ſi fiat mortis cauſa; cum enim revocari poſſit, non privat poteſtate teſtandi. Eodem jure invalida eſt donatio ultra quingentos ſolidos ſive ducatos aureos noſtræ monetæ ſimul, & quaſi unico impetu eidem, vel pluribus facta ſine inſinuatione coram Judice; eſt autem tantum invalida quoad exceſſum: imo, & hic retineri poteſt, donec repetatur; quia jus tantum dat poteſtatem repetendi. Nomine donationis etiam venit remiſſio debiti liquidi, ſive certi. Excipitur in utroque caſu: ſi donatio fiat cauſæ piæ; huic enim non præjudicat jus civile, eſtque conformis Evangelio (b): *vade, vende, quæ habes,*

(a) *de contract. oneroſis. Num.* 13.
(b) *Matth.* 19. *v.* 21.

bes, &c. *dein* ſi donatio firmetur juramento, ut colligitur *ex cap. quamvis pactum* 2. *de part. in* 6. *item* ſi donationi accedat contractus oneroſus, V. G. fiat ratione matrimonii contrahendi. Pariter donationes ſimplices, quæ fiunt inter conjuges, ad donantis placitum revocari poſſunt; idque ne conjuges mutuo amore ſe bonis ſuis indiſcrete ſpolient, & ne detur cauſa diffidii, ſi conjux alteri negaret, quod valide donare poſſet. *Dixi: jure communi;* in his enim, & ſimilibus conſulendæ ſunt locorum conſuetudines, quæ juri communi ſæpe derogant.

(12) Q. *An donatio ſit revocabilis?*

℟. Donatio etiam perfecta per traditionem rei inter vivos eſt revocabilis ex triplici cauſa in jure aſſignata: 1. propter *enormem ingratitudinem donatarii.* Poteſt autem 5. modis eſſe ingratus: 1. atrocibus injuriis donantem afficiendo. 2. Manus impias injiciendo. 3. Gravem injuriam bonis ipſius afferendo. 4. Ejus vitæ inſidiando. 5. Conditionem appoſitam donationi non implendo. His probabiliter additur: ſi donatori valde indigenti neget alimenta. Ubi

Reſ. 1. Non poteſt revocari ob alias cauſas, etiam graviores in jure non expreſſas; quia ex regula communi: in poſitivis, & pœnalibus non valet extenſio ad caſus ſimiles.

Reſ. 2. Donatio facta ingrato poteſt revocari, licet ſit jurata; quia ex diſpoſitione juris imbibebat hanc conditionem: niſi fueris ingratus. Si tamen donator inſuper juraſſet ſe non revocaturum, etſi accederet ingratitudo, teneretur ſervare.

Reſ. 3. Debet ingratitudo coram Judice probari, ante cujus ſententiam non tenetur donatarius reſtituere; poſt illam tenetur etiam fructus perceptos poſt litem conteſtatam.

Reſ. 4.

Reſ. 4. Si donatarius rem donatam in alium tranſtulerit vendendo, permutando &c., revocari non poteſt; quia actio eſt perſonalis, ergo non habet locum contra tertium, niſi hic ſcienter, & doloſe rem acceperit.

Reſ. 5. Non poteſt revocari ob ingratitudiuem, ſi ſit facta loco pio, & prælatus, vel monachus ſit ingratus; quia primario facta eſt Deo, qui ingratus eſſe non poteſt. Similiter ſi ſit facta propter obſequia; quia, *ut ſupra* (a), in odioſis non venit nomine donationis: nec ſi ſit facta filiæ in dotem.

(13) 2. Cauſa revocandi eſt, *ſi donatori inſperato naſcatur proles:* ſic ſi quis absque ſpe liberorum magnam partem bonorum donaſſet, & poſtea inſperato naſcatur proles legitima, donatio revocari poteſt; quia in jure cenſetur facta ſub hac conditione: niſi naſcatur proles. Excipitur iterum donatio remuneratoria, & facta ob cauſam donatori utilem, quæ non niſi ſecundum exceſſum revocari poteſt: *item* facta in cauſam piam non revocatur, niſi quantum requirit legitima ſupervenientium prolium. Difficultas hic eſt: ſi donatio talis ſit revocata, & poſtea proles moriatur ante patrem, an reviviſcat obligatio donandi Eccleſiæ? ℟. *negative*, quia donatio ab initio erat conditionalis: niſi naſcatur proles; ergo nata prole deficit conditio; ergo & obligatio, quod autem ſemel extinctum fuit, amplius reviviſcere non poteſt.

(14) 3. Revocari poteſt donatio, *ſi fuerit inofficioſa;* hoc eſt: contra officium paternæ pietatis in filios; ut ſi parens tantum donaverit, ut filii priventur portione legitima, *de qua infra* (b); tunc enim querela per filios interpoſita donatio per ſententiam judicis infirmatur, ſaltem usque ad legitimam. *De his plura J. J.*

QUÆ-

(a) *Num.* 9. (b) *Diſſ. ult. num.* 18.

QUÆSTIO III.

(15) *Quid ſit commodatum, precarium, & depoſitum?*

D. 1. Commodatum eſt *contractus, quo res gratuito conceditur ad ſolum uſum pro determinato tempore. Dr. contractus;* quia non ſumitur hic commodatum pro re commodata, ſed pro actu, quo res ad uſum conceditur. Idem eſt de precario, & depoſito. *Dr. quo res*, intellige: unico uſu non conſumptibilis: V. G. veſtis, equus: etiam res immobilis, V. G. ſtabulum, cella; quæ enim uſu conſumuntur, ut: vinum, panis, etiam pecunia, non poſſunt commodari, niſi forte ad pompam, & oſtentationem. *Dr. gratuito conceditur;* ſi enim detur pretium pro uſu, eſt locatio, vel conductio. *Dr. ad ſolum uſum;* & diſtinguitur a mutuo, quo etiam transfertur dominium: *item* a depoſito, in quo per ſe nec uſus, nec dominium conceditur. Idem eſt de pignore; hinc, ſi creditor pignore, depoſitarius depoſito utatur contra voluntatem domini, furtum cenſetur committere. *Dr. pro determinato tempore;* & differt a precario ad nutum concedentis revocabili; commodatum autem revocari non poteſt, niſi elapſo tempore determinato, vel expreſſe: V. G. ad menſem, vel implicite: dum V. G. conceditur equus pro hoc itinere; hinc precarium eſt contractus, quo alicujus rei uſus gratis conceditur ad nutum concedentis revocabilis, vocatur *precarium;* quia datur ad preces petentis.

(16) *Reſ.* 1. Commodatarius non poteſt uti re commodata niſi ad uſum conceſſum: V. G. equo conceſſo ad itinerandum non poteſt uti ad arandum: ſi commodetur equus, ut pergas Bonnam, non potes uti ulterius; quod ſi facias, teneris uſum ſolvere, in quo

quo uſu, ſi equus etiam caſu fortuito pereat, cogeris illum ſolvere, niſi eodem modo apud dominum, vel in uſu tibi conceſſo periiſſet.

Reſ. 2. Tenetur rem commodatam conſervare ea cura, quam homines diligentiſſimi in rebus ſuis ſimilibus adhibere ſolent; non tenetur de caſu fortuito, niſi pactum ſpeciale, aut culpabilis mora reſtituendi intervenerit.

Reſ. 3. Commodatarius, quia habet commodum, tenetur ad ſumptus ordinarios: V. G. paſcere equum, & famulum, ſoleis ferreis inſtruere, ſi deficiant &c. non extraordinarios: V. G. ad magnos ſumptus pro equo ſanando, ſi ægrotet, redimendo, ſi capiatur ab hoſtibus &c.; niſi de hoc ſpecialiter fuiſſet conventum: quia tunc poterit dominum monere; hoc ſi non poſſit, tenetur exponere ſumptus, poteſtque rem commodatam reſtituere finito tempore, etſi non repetatur.

(17) *Reſ.* 4. Commodans tenetur aperire vitium rei commodatæ, V. G. equum eſſe furioſum; alias tenetur de damno.

Reſ. 5. Commodans tenetur ante tempus non repetere: ſi repetat, tenetur de damno, quod ideo obvenit commodatario, niſi tamen ſimile damnum commodanti inopinato obveniat; quia non cenſetur talem eventum ab initio voluiſſe comprehendere.

Reſ. 6. Qui precario dat rem aliquam, non debet ſine neceſſitate ſtatim repetere; alias cenſetur voluiſſe, illudere, vel alteri cauſare damnum.

Reſ. 7. Precarium finitur morte ejus, cui res eſt conceſſa; cenſetur enim gratia perſonalis: econtra non finitur morte concedentis, ſi abſolute conceſſa ſit: hinc retineri poteſt, donec hæredes repetant.

(18) *D.* 2. Depoſitum eſt *contractus, quo res alteri cuſtodienda traditur, ut eadem gratis integra red-*

datur ad nutum deponentis. Huc refertur *ſequeſtrum*, quod eſt contractus, quo res inter plures controverſa apud tertium deponitur, eo fine, ut poſtea tradatur illi, qui cauſam evicerit. Additur: *gratis;* ſi enim pro cuſtodia aliquid ſolvi debeat, non manet merum depoſitum, ſed eſt quaſi locatio; depoſitarius enim locat operas ſuas ad rem cuſtodiendam.

(19) *Reſ.* 1. Si depoſitor depoſitario aliquid debeat, non poteſt hic ex re depoſita compenſare in foro externo, in conſcientia tamen, ſi debitum ſit certum, nec alia via obtineri poſſit, licite retinebit, usquedum depoſitor ſatisfecerit.

Reſ. 2. Si depoſitarius advertat frumentum, vinum &c. apud ſe depoſitum corruptum iri, vel irruptione hoſtium auferendum, debet monere dominum; hoc ſi non poſſit, poteſt conſumere animo reddendi ſuo tempore æquale; ſic enim utiliter gerit rem domini.

Reſ. 3. Depoſitarius non poteſt re depoſita uti ſine conſenſu deponentis ſaltem rationabiliter præſumpto; unde, ſi uſus pretio ſit æſtimabilis, ut: uſus equi, veſtis &c. debet ſolvere illius pretium: conſenſum dare cenſetur, ſi pecuniam V. G. deponat non clauſam, aut obſigillatam, nec adſit periculum amittendi. Si res ſit unico uſu conſumptibilis, & depoſitarius ſit certus, ſe, dum repetetur, habiturum ejusdem ſpeciei, & bonitatis, non peccat ſaltem graviter contra juſtitiam, ſi utatur; quia non infert grave damnum domino; hinc excuſari poſſunt Theſaurarii, quæſtores, & ſimiles, qui pecunia dominorum negotiantur; dum autem quis incipit ſic uti, acquirit dominium, & ſuſcipit in ſe periculum etiam caſus fortuiti: ſic enim tranſit in mutuum. Lucrum retineri poteſt; eſt enim fructus induſtriæ, non rei, quæ de ſe ſterilis eſſe ſupponitur: quod valet, licet dominus inhibuiſ-

ſet,

ſet, ne tali pecunia negotiaretur; quia agendo contra, peccat tantum contra obedientiam. Aliud eſt, ſi fructus ſint naturales, vel mixti: V. G. equum apud te depoſitum alteri elocaſti, lucrum ex tali equo competit domino equi.

Reſ. 4. Si Titius apud te depoſuerit V. G. aliquot maldera tritici, eaque ex conſenſu præſumpto alteri vendas, conſignans Titio tot alia æque bona, aut meliora, & hæc, antequam Titio innoteſcat iſta permutatio, caſu pereant, tibi, non Titio pereunt, quidquid dicant alii; quia ante traditionem manes dominus, nec cenſetnr Titius conſentire in illam permutationem, quam nomine tuo in tui commodum facis; niſi rem ſimilem in facto tradas, ſicut ipſius in facto occupaſti.

(20) *Reſ.* 5. Sartores, molitores, aurifabri &c., quibus res laboranda, reficienda &c. tradi ſolet, tenentur ex culpa levi; quia hæc depoſitio fit ſimul in eorum commodum. Ideoque generaliter ex culpa levi tenetur depoſitarius. 1. Si mercedem accipiat pro cuſtodia. 2. Si ſe ipſum obtulerit ad cuſtodiendum; quia hoc ipſo cenſetur ſe obligaſſe ad diligentiorem cuſtodiam: alias nonniſi ex culpa lata.

Reſ. 6. Depoſitarius non tenetur ex caſu fortuito: attamen in foro externo tenetur probare, rem ſine ſua culpa periiſſe; alias contra ipſum præſumitur. In dubio, an res depoſita caſu, vel ex culpa perierit, ad nihil tenetur in conſcientia; quia in dubio delictum non præſumitur. Si res depoſitarii manſerint incolumes, & depoſitæ perierint, præſumitur de dolo; niſi probet contrarium.

Reſ. 7. Depoſitum factum apud religioſum privatum, imo & apud ſuperiorem ſine conſenſu capituli conventus, poſtea a conventu exigi non poteſt, licet culpa depoſitarii periiſſet, ut habetur expreſſum

in jure; quia delicta perſonæ non debent redundare in detrimentum Eccleſiæ. Aliud ſtatuitur, ſi quid de tali depoſito in utilitatem monaſterii fuiſſet converſum: *Item* ſi interveniſſet conſenſus totius capituli; niſi hoc ſpecialiter excepiſſet, quod nolit recipere per modum veri depoſiti, ſed in ſimplicem tantum cuſtodiam ſine omni obligatione; & hoc ſaltem deberent facere ſuperiores, dum V. G. tempore belli ſimilia ab extraneis deponuntur.

QUÆSTIO IV.

(21) *Quid ſit mutuum?*

D. Mutuum, quaſi ex meo tuum, eſt *contractus, in quo traditur res numero, pondere, vel menſura conſtans, eo animo, ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione ſimilem ſpecie, & bonitate reſtituendi.* *Dr.* 1. *Traditur;* quia mutuum perficitur traditione, ante quam non eſt mutuum. *Dr.* 2. *Res numero &c.;* quia in his conſiſtit ratio mutui: ut: dum datur pecunia pro pecunia, panis pro pane ſuo tempore reſtituendo. *Dr.* 3. *Ut ſtatim fiat recipientis;* quia mutuum transfert dominium rei, ideoque & periculum: per quod differt a commodato, depoſito &c. *Dr.* 4. *Cum obligatione;* alias eſſet donatio. *Dr.* 5. *Ut ſimilis in ſpecie reddatur;* ſi enim res alterius ſpeciei eſſet re reddenda, foret permutatio, vel venditio. Ut autem ſervetur æqualitas; debet eſſe paris bonitatis, ſive valoris in, ſive extrinſeci. Pro quo

Obſ. Bonitas intrinſeca rei eſt, quam res habet ex ſe, ſive ſua natura: *extrinſeca* quam habet ex impoſitione, vel taxa magiſtratus: ſic bonitas intrinſeca tritici eſt, quam cum ſubſtantia hauſit ex ſemine, agro, cæteriſque cauſis naturalibus: extrinſeca eſt valor judicio publico magiſtratus, vel communi hominum intel-

intelligentium conſtitutus. Idem eſt de pecunia, & aliis.

Reſ. 1. Pecunia regulariter reſtituenda eſt in valore extrinſeco, aliæ res in intrinſeco, quem habebant tempore accepti mutui: hinc, ſi mutuo accipias ſcapham tritici, dum valet 6. florenis, ſatisfacis reddendo ejusdem bonitatis intrinſecæ, quamvis valeat tantum 4. Econtra ſi mutuo acceperis, quando valebat 6. & nunc valet 12., non ſatisfacis reddendo mediam ſcapham valentem 6. Si mutuo acceperis 10. piſtolettas, debes reddere in valore extrinſeco, quem habebant, dum accepiſti, ita ut, ſi valor ſit diminutus, debeas ſuperaddere, ſi auctus, poſſis ſubtrahere; quia in pecunia per ſe attenditur valor extrinſecus, in aliis bonitas intrinſeca. *Dixi: Regulariter;* niſi aliter ſit conventum, ut V. G. moneta eadem in ſpecie reddatur: hoc tamen ut per ſe liceat, debet eſſe æquale periculum creſcendi, & decreſcendi valoris; ſic etiam in pecunia ſufficit, ut reddatur eadem ſpecies moralis: V. G. argentea pro aurea, niſi aliter conventum ſit.

Reſ. 2. Qui ſcit, vel prudenter dubitat, prout multi dubitare debent, an poſſit reddere, non poteſt ſine injuſtitia mutuum accipere, niſi in extrema neceſſitate, ubi omnia ſunt communia; quia exponit ſe periculo ſaltem alium injuſte damnificandi. Idem eſt de illis, qui pecuniam hinc inde ſumunt ad cenſum, prævidentes ſe nec capitale, nec cenſum ſuo tempore reddituros. *Nec juvat:* quod egeant ad ſuum ſtatum conſervandum; quia iniquum eſt, ut propter conſervationem ſtatus tui alium defraudes, vel etiam, ut frequenter fit, a ſuo ſtatu juſte acquiſito dejicias.

(22) *Reſ.* 3. Mutuans tenetur 1. mutuatarium monere de vitio rei traditæ, ſi quod ſit; alias tenetur de damno: quia fecit injuriam. 2. Non repetere ante tem-

pus præfixum, quamvis poſſit alter prius reddere. *Ratio primi eſt:* quia vi contractus ad hoc ſe obligavit: niſi tamen incideret in parem neceſſitatem, aut prudenter timeat periculum amiſſionis; ad hos enim caſus non cenſetur ſe obligaſſe. *Ratio ſecundi eſt:* quia tempus præfigitur in gratiam mutuatarii ſaltem ordinarie; ergo poteſt huic favori cedere.

Reſ. 4. Dum nullum tempus eſt præfixum, id arbitrio boni viri determinandum eſt, penſatis circumſtantiis, & fine, ad quem datur.

Reſ. 5. Si dies certa non ſit præfixa, per ſe differri poteſt redditio, donec creditor exigat; niſi debitor advertat ſe ex longiori mora fore impotentem ad reddendum, vel creditorem, aut ejus hæredem non urgere ſolutionem propter oblivionem, aut ignorantiam mutui dati; tunc enim tenetur ſponte, quamprimum moraliter poteſt, reſtituere.

Reſ. 6. Notabiliter differens redditionem mutui peccat graviter, vel leviter pro ratione damni, quod ob talem moram alter patitur, teneturque in utroque foro ad compenſandum omne damnum emergens, & lucrum ceſſans, quorum injuſta cauſa fuit. *Nec juvat:* quod mutuans non repetat; quia ipſa dies præfixa clamat, & ſatis interpellat pro mutuante.

Reſ. 7. Qui ſimul accipit V. G. mutuo mille florenos, per ſe loquendo non ſatisfacit reſtituendo per partes; quia ſolutio per partes ſæpe annexa habet gravia incommoda; ſed non debet imponi onus mutuanti; ergo

(23) *Reſ.* 8. Mutuatarius non poteſt V. G. loco frumenti dare pecuniam, vel econtra: nec mutuans poteſt hoc exigere; quia eſt contra rationem mutui: ſi tamen mutuatarius dicat, ſibi eſſe moraliter impoſſibile habere rem ex mutuo debitam, tenetur alter accepta-

ceptare aliam æquivalentem: V. G. frumentum pro pecunia.

Reſ. 9. Reſtitutio mutui per ſe loquendo fieri debet in loco, ubi mutuo fuit datum; ideoque, ſicut mutuatarius non tenetur propriis expenſis in alium locum mittere, ita nec alter in alio loco acceptare: niſi tempore dati mutui ob juſtas cauſas aliter fuerit conventum.

Reſ. 10. Commoda ex re mutuo data, ejusque in valore incrementum, cedunt mutuatario; quia hæc ſecluſo ſpeciali pacto pertinent ad dominum, ſicut econtra incommoda; ſed mutuatarius eſt dominus rei mutuo datæ; ergo ipſi creſcit, & decreſcit valor frumenti V. G. ſicut, & ipſi perit totum, ſi pereat.

QUÆSTIO V.

Quid ſit Uſura, quotuplex, & quale peccatum?

Uſura ſumitur vel pro lucro, vel pro contractu uſurario.

(24) *D.* 1. Uſura eſt *contractus, quo præciſe ratione mutui ultra ſortem aliquid indebitum tanquam debitum exigitur, vel intenditur. Dr. Præciſe ratione mutui;* ſubintellige: vel alicujus in mutuo eſſentialiter incluſi, aut neceſſario connexi; ſi enim ex alio juſto titulo concomitante aliquid exigatur, V. G. ob lucrum ceſſans, non eſt uſura. *Dr. Ultra ſortem;* hoc eſt: ultra capitale, vel hoc, quod mutuo datum eſt. *Dr. Aliquid;* quidcunque illud ſit, ſive ſpirituale, ſive temporale, modo ſit oneroſum mutuatario. *Dr. Indebitum;* ſi enim aliunde debitum ſit, V. G. ut deſinat inique nocere, non eſt uſura. *Dr. Tanquam debitum:* ſive ex juſtitia, ſive ex gratitudine, modo ex ve-

ra obligatione, ob Propoſ. (a) damnatam, quæ ſic ſonat: *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum, ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum. Dr. Exigitur;* vel explicite, vel implicite. *Dr. Vel intenditur;* quia, ſi etiam tantum intendam aliquid tanquam debitum, eſt uſura.

Reſ. 1. Si ſperem aliquid ex gratitudine, vel benevolentia, non eſt uſura; quia, ſi ſponte ex gratitudine detur, poſſum accipere; cur ergo non ſperare?

Reſ. 2. Omne pactum mutuatario gravaminoſum mutuo extrinſecum eſt uſura: hinc, ſi mutuo des 100. cum pacto, ut non ſine labore, moleſtia, forte & expenſis exigantur a tuo debitore: vel ſi obliges, ut ſummam mutuatam reddat tibi in alio loco, in meliori ſpecie &c. eſt uſura; quia præter redditionem ſortis gravatur mutuatarius. Poſſum quidem dare pecuniam anticipate pro vino V. G. dando tempore vindemiæ, ſed eſt emptio, non mutuum; & pecunia debet dari irrevocabiliter. Poſſum anticipate conducere operas coloni: *Item* volenti agrum meum colere, mutuare pecuniam, ut V. G. emat equum. Non poſſum illi non parato ad colendum agrum meum mutuare pecuniam cum pacto, ut colat agrum meum etiam juſto pretio; quia imponitur onus.

Reſ. 3. Uſura eſt, ſi injungas, ut frequentet tuam officinam, molendinum, merces tuas etiam juſto pretio emat &c.; quia licet nullum inde pateretur damnum, patitur tamen ejus libertas: quod eſt onus. Sic etiam in praxi periculoſum eſt, ſi addatur conditio, ut ſortem reddat, quando deſinet officinam frequentare, filium inſtruere &c. quamvis hæc ſpeculative defendi poſſint.

(a) *42. ab Innoc. XI.*

Reſ. 4.

Reſ. 4. Uſura eſt, ſi ideo des mutuum, ut alter deſinat a lite juſta, ne ædificium altius extollat, ut certam feneſtram obfirmet, ut beneficium, vel officium tibi, vel altero digno conferat, ut te recommendet &c., quia obligatio hæc præſtandi eſt pretio æſtimabilis, non ſi des, ut deſinat a lite injuſta, quia hoc onus non oritur ex mutuo, ſed aliunde. Sic

Reſ. 5. Non eſt uſura, ſi obliges ad aliquid præſtandum, ad quod jam ante erat obligatus ex juſtitia: V.G. ut ſolvat antiquum debitum; ſic enim non imponitur novum onus. Si autem des, ut exequatur aliquid ex ſola charitate debitum, probabilius committitur uſura; quia imponis novum onus grave: magis, ſi tantum ſit obligatio ex gratitudine; hæc enim non obligat ad aliquid determinatum.

(25) *Reſ.* 6. Uſura eſt petere aliquid ex eo, quod numerata pecunia ſit melior numeranda, præſens abſente; hoc enim præciſis extrinſecis (*de quibus infra*) (a) eſt falſum, & abſentia pecuniæ compenſatur per hoc, quod mutuatarius teneatur portare periculum ſortis, quomodocunque pereat; contrarium eſt damnatum (b). Oblectatio autem, quam præſens pecunia ſæpe cauſat poſſeſſori, eſt pecuniæ extrinſeca, conſiſtens in affectu, qui vituperio, non pretio dignus eſt.

Reſ. 7. Nihil poteſt exigi pro labore in pecunia numeranda; hic enim eſt intrinſecus mutuo: nec pro onere mutuandi, commoditate mutui, carentia pecuniæ, obligatione non repetendi ſortem, niſi poſt certum tempus, vel quia tempus hoc prolongatur &c.; quia hæc ſunt cum mutuo neceſſario connexa, & carere re mutuata ſecluſo damno emergente, & lucro ceſſante, non eſt onus pretio æſtimabile.

(a) *Diſſ. ſeq. num.* 28. *& ſeq.*
(b) *Prop.* 41. *ab Innocent. XI.*

Ob. Obligatio mutuandi eſt pretio æſtimabilis, & poteſt pro illa aliquid exigi; ergo & obligatio non repetendi ante certum tempus. ℞. *n. c.* Obligatio mutuandi non eſt mutuum, ſed actio prævia onerosa gravans mutuantem ad habendas paratas pecunias: non ſic pura mutui non repetitio. Obligatio hæc eſt mutuum continuatum, nec importat onus a mutuo diſtinctum.

Reſ. 8. Uſuram committit, qui mutuat ſub pacto, ut mutuatarius teneatur ſtatim, vel in futurum remutuare in alia materia; eſt enim obligatio onerosa. Admittunt tamen aliqui, me dicere poſſe: nolo mutuando tibi gratificari, niſi viciſſim mutuando mihi gratificeris; ſed periculoſiſſimum hoc eſt in praxi, nec ſuaderi poteſt.

(26) *D.* 2. Uſura alia eſt *realis*, qua lucrum ex mutuo in pactum deducitur ſaltem implicite: alia *mentalis*, dum mutuans revera aliquid ſupra ſortem intendit, ut debitum; hoc tamen ſigno externo non deducit in pactum: alia eſt *aperta*, quæ ſolum mutui titulum præſefert: alia *palliata*, quæ falſo alterius contractus titulo, velut pallio tegitur.

(27) *D.* 3. Uſura ex genere ſuo eſt peccatum mortale, prohibita jure naturali, divino, & humano; quia lex naturalis juſtitiæ prohibet exceſſum ultra debiti æqualitatem exigere. *Deinde* mutuans accipit lucrum ex re non ſua, & ſterili; mutuum enim ſtatim transfert dominium. De divino patet ex variis ſcripturæ locis: de humano, ex variis legibus, & pœnis in jure ſtatutis.

Ob. Licite aliquid exigo pro uſu equi, cur non pro uſu pecuniæ, qui eſt pretio æſtimabilis? 2. Mutuans confert poteſtatem mutuatario utilem; ergo ob illam poteſt aliquid exigere. 3. Pecunia præſens melior eſt abſente; quia cum prima poſſum negotiari,

non

non cum ſecunda. 4. Jus Civile permittit uſuras moderatas. 5. Deuter. 23. v. 19. dicitur: *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram . . . ſed alieno.* 6. In ſcriptura (a) reprehenditur ſervus nequam, quod pecuniam non dederit nummulariis, ut paterfamilias potuiſſet exigere cum uſuris; ergo ſupponitur honeſtum. *Denique* ſic habet praxis quotidiana timoratorum in Germania. ℞. *ad* 1. *n. c.* Quia in commodato, vel locato non transfertur dominum, ſicut in mutuo, adeoque res mutuo data non fructificat mutuanti, ſed mutuatario: dein uſus pecuniæ eſt indiſtinctus a pecunia, non ſic uſus equi. Interim ſi pecunia daretur ad ornandam V. G. domum, ad oſtentationem, forte poſſet accipi lucrum; ſed foret locatio, non mutuum. *Ad* 2. ℞. Confert utilitatem diſtinctam a pecunia *n.* indiſtinctam *c.* hinc, ſi cum pecunia lucretur mutuatarius, provenit ex induſtria, non ex utilitate a pecunia diſtincta; ergo præter pecuniam nil recipitur pretio æſtimabile. *Ad* 3. *d.* Præſens prævalet abſenti ratione ſui. *n.* Ratione lucri ex ea ſperati. *c. Sed de hoc infra* (b). *Ad* 4. Jus civile in hoc eſt correctum per Jus Canonicum, nec poteſt aliquid ſtatuere contra Jus naturale, licet permittere poſſit, ſive non punire, ſicut alia mala permittit. *Ad* 5. ℞. Cum *D. Thoma*, uſuras ab exteris fuiſſe permiſſas Hebræis, non ut licitas, ſed ad evitandum gravius malum, ſcilicet uſuras cum fratribus, ad quas erant nimis proclives, attamen dici poteſt, Deum tanquam ſupremum dominum dediſſe illis poteſtatem accipiendi uſuras ab infidelibus, ſicut dedit in ſpolia Ægyptiorum. *Ad* 6. *n. c.* Quia tantum intendit ibi CHRISTUS, factum domini narrando, non approbando, oſtendere diſcipulis ſuis, quod, ſicut homines mundani ubique lucrum quærunt, ſic

(a) *Luc.* 19. *v.* 23.
(b) *Diſſ. ſeq. Num.* 28. *& ſeq.*

ſic magis debeant uti temporalibus, & ſpiritualibus ad lucrum æternum. *De praxi dicetur infra.*

QUÆSTIO VI.

(28) *Qui ſint tituli ab Uſura excuſantes?*

D. 1. Tales tituli ſunt tres: *lucrum ceſſans*, quod mutuator fuiſſet conſecuturus V. G. negotiando, cujus ſpe ſe privat in gratiam mutuatarii, quod eſt pretio æſtimabile; ne tamen ſit uſura palliata, prout ſæpe eſt, videndum eſt, an mutuum ſit vere cauſa lucri ceſſantis; ſi enim habeas pecuniam in arca otioſam, negotiationi, vel alteri cauſæ non deſtinatam, non excuſat hic titulus: ſicut nec, ſi lucrum haberi potuiſſet, non autem erat moraliter habendum. *Item* deduci debent expenſæ, & pericula. Certe lucrum in ſpe incertum non valet tanti, quanti ipſum lucrum in re. *Item* mutuatarius debet ab initio ſponte in hoc conſentire; idem eſt de ſequentibus: quia forte non vult cum tali onere: non debet lucrum compenſari per aliquid aliud, quod habeatur occaſione mutui. *Denique* lucrum ceſſans debet fuiſſe juſtum; alias non fuiſſet jus ad illud.

2. Titulus eſt *damnum emergens:* quod mutuans prævidet ſibi obventurum ex mutuo: V. G. ideo debet poſtea familiæ neceſſaria carius emere, reparationem domus negligere, unde oritur ejus ruina &c.; quia igitur nemo tenetur cum ſuo damno alteri præſtare beneficium, poteſt ad ſe indemnem ſervandum de compenſando paciſci: ſi vero in pactum non deducat, ſibi imputet, & mutuatarius ad illud non tenetur; niſi ſolutionem ſortis injuſte differendo fuerit cauſa damni. Si tantum ſit periculum damni, poteſt quidem aliquid exigi, ſed non plus, quam ipſe mutuans rationabiliter vellet in tali caſu dare alteri. *Deni-*

que

quæ ſi damnum ſit ſecutum ex incuria mutuantis, vel aliunde, non præciſe ex cauſa mutui, non poteſt peti compenſatio.

3. Titulus eſt *periculum ſortis extraordinarium:* quando V. G. mutuatarius eſt homo prodigus, dubiæ vel ignotæ fidei, gravatus debitis, defert merces per caſtra hoſtium & ideo eſt probabile periculum non recipiendi ſortem, aut nonniſi cum magnis moleſtiis; quia & hoc periculum eſt extrinſecum mutuo, & pretio æſtimabile; ut patet in multis aliis. Sic mutuans poteſt pro illo periculo exigere fidejuſſorem, cui pro ſubeundo periculo dandum pretium. *Deinde*, ſi ſors amitteretur, eſſet mutuanti damnum emergens, ergo periculum amittendæ ſortis, eſt periculum damni emergentis, ſed hoc eſt titulus legitimus, ergo & illud. Attamen in praxi ſæpe eſt uſura palliata; quia periculum fingunt, qui ubique lucrari cupiunt, & ſi adeſſet verum periculum, non mutuarent.

Obj. 1. Si aliquid pro periculo ſortis exigi poſſit, ergo & aliquid pro periculo Auctarii, & ſic deinceps; quia periclitante ſorte etiam periclitatur Auctarium.

℞. *N. c.* Quia ſimul & ſemel conſtituitur pretium pro toto periculo, quod ex illo mutuo ſequitur.

Inſt. Petendo aliquid ſupra ſortem augetur periculum, quia quo plus debet, plus eſt periculi.

℞. *N. Aſſ.* Quia ſingulis annis recipiens aliquid propter periculum, quamvis poſtea amitteret totam ſortem, minus pateretur, & mutuatarius interim poteſt per ſortem lucrari, ergo non eſt plus periculi.

Obj. 2. *Cap. Naviganti ult. de Uſuris*, dicitur uſurarius, qui ob periculum ſortis aliquid exigit.

℞. Authores probati, per incuriam omiſſam eſſe particulam *Non*, legendumque: *uſurarius cenſendus non eſt;* quod probant ex contextu. ℞. 2. Si alterum cogat &c. *C.* ſi ſponte conſentiat *N.* Mutuatario liberum

berum eſſe debet cavere per pignus hypothecam vel fidejuſſorem, & tunc nihil ob periculum exigi poteſt.

Ob. 3. Saltem pauperes, apud quos eſt frequentius periculum, nimis gravarentur.

℞. His in neceſſitate ſæpe ſuccurrendum eſt gratis; cæterum ſi extra hanc non liceret paciſci ob periculum, ſic magis gravarentur; quia difficulter invenirentur, qui vellent hoc periculum ſubire gratis.

Reſ. 1. Nil poteſt exigi ob periculum remotum; quia hoc includitur in omni mutuo, & compenſatur per hoc, quod mutuatarius teneatur reddere ſortem, quomodocunque pereat.

Reſ. 2. Si detur ſufficiens cautio vel pignus, tollitur periculum, adeoque nil exigi poteſt.

Reſ. 3. Quo periculum eſt majus, eo plus poteſt peti. In praxi mutuans hoc petat, quod ipſe bona fide dare vellet alteri, qui tale periculum pro ſe ſubiret, non plus.

Reſ. 4. Intereſſe, quod ratione horum titulorum eſt dandum, non debet accipi ſtatim, alias mutuum ſtatim decreſceret, nec dici poſſet mutuaſſe V. G. 100. ſi ſtatim detraheret V. G. 5.; ergo accipi debet tunc tantum, quando revera lucrum ceſſat, vel damnum emergit.

Reſ. 5. Qui pactum fecit de compenſando V. G. damno emergente, ad nihil tenetur, ſi revera nullum ſequatur damnum ob mutuum: ſi autem pactum iniverit ſolvendi aliquid pro periculo damni, tenetur illud ſolvere, ſi fuerit periculum, & tanti æſtimetur, licet nullum damnum ſit ſecutum. Idem eſt de ſpe lucri.

Reſ. 6. Si ob hos titulos plus æquo petatur, non eſt proprie uſura: cum non petatur ratione mutui; eſt tamen injuſtitia, & obligatio reſtituendi.

(29) *Reſ.* 7. Licitum eſt ab initio imponere pœnam, ſi tempore præfixo non reſtituat; quia omni jure permiſſum eſt, ut homines privati ſe mutuo pœnis conventionalibus obligent ad tollendam pigritiam & moroſitatem culpabilem. Ubi tamen 1. mora debet eſſe culpabilis ſaltem in cauſa; quia V. G. per compotationes reddidit ſe impotentem; ubi enim non eſt culpa, nec pœna eſſe debet. 2. Non debet apponi ad palliandam uſuram, ut fit V. G. ſi mutuum detur propter ſpem pœnæ. 3. Debet pœna eſſe moderata juxta menſuram culpæ, & mora eſſe notabilis. Hæc pœna, quia ex pacto debita, ſolvenda eſt ante ſententiam judicis.

(30) *Reſ.* 8. Uſurarius eſt contractus *Antichriſios* germanice: Pfandſchaft, a jure civili toleratus, quo pro aſſecuratione ſortis datur pignus vel hypotheca cum jure percipiendi fructus ex ea aut utendi V. G. veſte, donec ſors refundatur; quia imponitur onus mutuo extrinſecum, & res fructificat ſuo domino; ſed mutuatarius manet dominus pignoris, ergo. Intellige: niſi adſit titulus ex aſſignatis.

(31) *Reſ.* 9. Uſurarium per ſe eſt *pactum legis commiſſoriæ in pignore pro mutuo:* ut, ſi mutuatarius non ſolvat tempore præfixo, pignus fiat mutuantis, & ſic debitor incidat in commiſſum, hoc eſt amittat jus rei ſuæ. *Ratio eſt:* quia ordinarie pignus pluris valet, quam res mutuo data; videmus enim quotidie, quod mutuo accipientes offerant pignora in pretio longe ſuperantia ſortem, ut ſic alliciant ad mutuandum; ergo exigitur aliquid ultra ſortem vi mutui.

Reſ. 10. Licite tamen additur pactum: ut, niſi intra tale tempus reſtituat, pignus vendatur juſto pretio, aut maneat venditum, & reſiduum reddatur mutuatario; quia per hoc ille non gravatur, & apponitur pœna, ut mutuans ſe reddat indemnem: modo adſint conditiones, *ut ſupra de pœna* (a).

(a) *Vid. Num.* 29.

(32)

(32) *Reſ.* 11. Uſurarius eſt contractus *Mohatræ*, ab Innoc. XI. damnatus, quo res venditur juſto, ſed magno pretio, cum pacto revendendi pretio minori: V. G. Petrus indiget pecunia, petit a mercatore eam ſibi dari mutuo, reſpondet mercator, ſe non habere mutuandam; ſuadet tamen, ut a ſe emat merces credito, idque ſummo pretio V. G. 100. cum pacto revendendi pretio infimo V. G. 90. pecunia numerata, ſic Petrus accipit 90. & mercator poſtea 100., quod eſt uſurarium. Attamen ſecluſo pacto revenditionis poteſt quis rem a ſe ſummo pretio venditam licite emere pretio infimo non minus, ac alii.

(33) *Q.* 1. *Quid ſint montes pietatis? Et an liciti?*

℞. 1. Sunt æraria publica eo fine erecta, ut indigentes ad hæc recurrant, ne ab uſurariis nimium graventur, depoſito certo pignore, cujus periculum in ſe ſuſcipiunt miniſtri illius ærarii.

℞. 2. Sunt liciti; quia nihil datur præciſe ratione mutui, ſed pro neceſſariis ſumptibus & ſtipendiis miniſtrorum, qui debent habere paratam pecuniam, ut cuilibet mutuum dare poſſint, & curam agere in cuſtodiendis pignoribus ſuſcepto in ſe periculo ſub culpa etiam levi.

Ob. Reſpublica debet conſervare hos montes; ergo & ſuſtentare miniſtros. *Dein* ſi privatus ex pietate mutuaret pauperibus, non poſſet aliquid exigere pro ſuſtentatione miniſtrorum. *Denique* pignora ſunt valde diverſa; aliqua enim majorem requirunt curam, ut: veſtes, quæ debent ſæpe purgari &c. econtra poculum argenteum ſimpliciter ſervatur in ciſta, & tamen æque multum cogitur ſolvere unus ac alter; ergo eſt inæqualitas, adeoque injuria. *Imo* ſolvitur aliquid ratione temporis longioris; ſed hoc eſt uſura; ergo. ℞. *ad* 1. *n. aſſ.* montes hi ſunt in bonum pauperum; ergo horum

horum eſt conſervare. *Ad* 2. *n. c.* quia privati non eſt exſtruere montem. *Ad* 3. *d. C.* eſt inæqualitas privati ad privatum *c.* reipublicæ ad membra *n.* Non poteſt hic ſervari exacta proportio æſtimationis expenſarum in tanta pignorum varietate; hinc respublica ſupplet defectus, & condonat, quidquid proportionis deeſt: ſic dum in hoſpitio plures ſimul bibunt, æqualiter ſolvunt; licet unus plus bibat, quam alter. *Ad ult. n. m.* tantum ideo exigitur plus, quia toto illo tempore plus expenditur in ſtipendia miniſtrorum, quam tempore breviori.

(34) Q. 2. *An uſurarius acquirat dominium uſurarum?*

℟. 1. Si res exſtet in individuo non permixta cum aliis rebus uſurarii, non acquiſivit dominium; quia ad hoc transferendum non ſufficit traditio, niſi adſit juſtus titulus V. G. venditio, liberalis donatio &c. ſed talis hic non eſt, ut ſupponitur; ergo. *Dixi: non permixta;* quia per mixtionem indiſcernibilem acquirit dominium, *prout alibi dictum eſt* (a).

(35) ℟. 2. Sive dominium acquirat, ſive non, tenetur reſtituere omnia acquiſita per uſuras, eo modo, quo fur & poſſeſſor malæ fidei. Idem eſt de efficaciter cooperantibus & famulis magis principalibus. Princeps autem ac Magiſtratus tenentur Judæis vel aliis ſibi ſubditis prohibere uſuras; alias ſine juſta cauſa permittentes peccant cum onere reſtitutionis, quidquid ſit de conſuetudine contraria, quæ eſt iniqua. Gravius peccant, ſi licentiam dent cum obligatione majoris tributi ſolvendi; quia ideo pauperes magis opprimuntur.

(36) Q. 3. *Quæ ſint pœnæ uſurariorum?*

℟. Uſurarius publicus & notorius ex diſpoſitione Juris Civilis 1. fit infamis. 2. Jure Canonico irregula-

(a) *Vid. Tract. de jure & juſt. n.* 59.

gularis & inhabilis ad ſacros ordines, beneficia & officia Eccleſiaſtica; ideoque, ſi jam ſit Clericus, ab illis eſt ſuſpendendus. 3. Eodem jure non eſt admittendus ad Sacram Communionem, ejus oblationes recipiendæ non ſunt: abſolvi non poteſt, niſi ſatisfecerit vel idoneam cautionem præſtiterit: privandus eſt ſepultura Eccleſiaſtica. *Denique* teſtamentum & omnis ultima voluntas uſurarii ipſo jure irrita ſunt, niſi ante mortem reſtituerit, vel idoneam cautionem præſtiterit.

Obſ. 1. In praxi excuſari poſſunt rudiores mutuo dantes, qui ultra ſortem aliquid exigunt, ſi ſaltem implicite velint inire contractum cenſus, ſocietatis, &c. (*de quibus infra*) quos vident alios timoratos & prudentes inire, quamvis ignorent naturas horum contractuum, & quo titulo lucrum accipiant; modo intendant contrahere omni meliori modo, quo poſſunt, prout communiſſime notant Doctores præſertim germani. Confeſſarii autem & ſimiles in dubio inſtruant eos, qualiter absque peccato lucrum quærere poſſint.

Ob. 1. Ergo non dabitur amplius uſura; quilibet enim intendit contrahere modo ſibi favorabiliori. ℞. *n. aſſ.* Sæpe non intendunt tales contractus, ſed formale mutuum: ſæpe perſona aut res alterius non eſt fructifera: ergo non poteſt in iis conſtitui cenſus, nec contractus ſocietatis, *prout infra dicetur.*

Obſ. 2. Singulariter a Confeſſario dehortandi ſunt illi avari, qui Judæis avidiores, pauperes in neceſſitate conſtitutos premunt lucrum extraordinarium extorquendo; nam ex mutuo nihil accipere poſſunt, penſionem autem annuam vel ad breve tempus taxare pro libitu nefas eſt.

De Contractibus gratuitis.

Caſus I. Cajus Sacerdos aliis ad anni initium offert preces, roſarium, Miſſam legendam, quæ

quæ poſtea voluntarie omittit; præſertim, ſi non accipiat honorarium, quod ſperabat. Titius dives filio ſuo plauſibiliter ſtudia proſequenti multa donavit in honeſtas recreationes, quæ una cum expenſis ſtudiorum poſt ejus mortem fratres computant in portionem hæreditatis. Idem ante mortem coram filiis dixit uxori: quia fideliſſime mihi ſerviviſti, tibi dono mille, quos in ciſta reperies; filii, cum non poſſent perſuadere viventem, ut revocaret, poſt mortem reclamant. *Q.* 1. *Quid ſit promiſſio & donatio & qualiter obliget promiſſio?* 2. *Quid ad caſum?*

℞. 1. Promiſſio eſt *liberalis*, *ſpontanea & deliberata fidei donatio de re licita & poſſibili* (a). Donatio eſt *contractus*, *quo plenum rei dominium gratis ſtatim transfertur in alium* (b). Promiſſio liberalis acceptata de ſe obligat ex fidelitate ſub veniali tantum. Hinc ℞. 2. Cajus per ſe non peccat graviter, & applicando unam Miſſam pro pluribus præſtat, quod promiſit; non enim ſupponitur promiſiſſe, quod ad cujuslibet particularem intentionem velit Miſſam applicare: attamen in praxi ſæpius peccat graviter, ſi alter habeat Miſſas ex ſtipendio V. G. legendas. ℞. 3. Computari non poſſe, quia pater libere expenſas fecit, poteſtque ob rationabilem cauſam, uti hic eſt, uni largius dare quam aliis, modo hi accipiant ſuam legitimam. ℞. 4. Titius non poterat revocare donationem acceptatam; erat enim inter vivos, licet a moribundo facta; quia propter merita: nec in ea facta fuit mentio mortis, quod requirit donatio mortis cauſa; ideoque injuſte reclamant filii, qui ſi probent ſibi non remanere legitimam hæreditatis, poteſt revocari, quantum huic obeſt.

Caſus II. Nobilis debitis valde gravatus donat Cajo manu liberali aliquot ducatos; angitur Cajus,

(a) *Vid. Num.* 1. (b) *Vid. Num.* 9.

Cajus, an non id fiat in fraudem creditorum. Titius ut debita ab eodem nobili obtineat, ejus adminiſtratori donat tres Carolinos, hos ille acceptat, ſed nihil agit pro Titio. Q. *An in primo Cajus licite acceptet, & an Adminiſtrator poſſit retinere?*

℟. *Ad* 1. Cajus peccat mortaliter acceptando, ſi ſciat aut prudenter judicet donari in fraudem creditorum, teneturque reſtituere, quantum illi læſi fuerunt ex tali donatione.

℟. *Ad* 2. Non poteſt; quia donans utique dedit, ut ſolicitaret. Interim ſufficit ſincere ſolicitare, quamvis effectus non ſequatur.

Caſus III. Cajus 1. Advocato commodat libros, qui a furibus auferuntur: 2. ut res ſuas orto incendio ſalvet, rem ſibi commodatam in incendio relinquit: 3. in itinere conſtitutus equum ſibi commodatum commiſit ſtabulario, qui de nocte aufertur: vel 4. illum remittit per Titium, qui cum illo aufugit. Q. 1. *Quid ſit commodatum?* 2. *Quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Eſt *contractus, quo res gratuito conceditur ad ſolum uſum pro determinato tempore* (a). *Ad* 2. ℟. 1. Si commodaverit libros ad ſuam cauſam agendam pro ſalario, tenetur alter ex culpa lata & levi; quia in commodum utriusque, alias etiam ex leviſſima. 2. Si res commodata fuerit pretioſior, tenebatur illam præferre, attamen dominus rem viliorem ei compenſare; quia utiliter geſſit rem illius: ſi æque pretioſa, & prudenter credat rem ſuam non fore compenſandam, non tenebatur; quia non cenſetur ſe obligaſſe ad conſervandam rem alienam cum tanto ſuo damno (b). Debet tamen attendi hic ad perſonas; quia jactura rei vilioris minus habenti, majus adfert damnum. 3. Si more diligentiſſimi viatoris ſtabulario, qui

(a) *Vid. Num.* 15.
(b) *Vid. de Reſtit. in comm. n.* 29.

qui habebatur prudens, equum commiſerit, ad nihil tenetur. 4. Si Titius fuerit deſignatus a domino, ad nihil tenetur, quia domini obſecutus eſt voluntati; niſi Cajo nota fuiſſet malitia Titii, domino autem ignota; ſicut & per ſe ad nihil tenetur, ſi Titius talis communiter habeatur, cui diligentiſſimus rerum ſuarum conſervator non dubitaret equum fidere.

Caſus IV. Titius in hoſpitio pernoctans Valiſia ſua penes lectum depoſita, quia eam evigilans non reperit, ab hoſpite compenſationem petit: alia vice vidente nauclero res ſuas portat ad navim, dumque negotiorum cauſa alio divertit, aliqua auferuntur, quæ repetit a nauclero. *Q.* 1. *Quid ſit depoſitum? Ad quid teneatur deponens, &* 2. *Quid circa depoſitum poſſit depoſitarius?* 3. *Quid ad caſum?*

℞. *Ad* 1. Eſt *contractus, quo res alteri cuſtodienda traditur, ut gratis integra reddatur ad nutum deponentis* (a). *Ad* 2. Deponens tenetur 1. aperire vitium rei depoſitæ, ex quo poteſt oriri damnum: 2. ad expenſas occaſione depoſiti ſubeundas: depoſitarius tenetur ad diligentem rei cuſtodiam, ideo monere V. G. dominum, ſi incipiat corrumpi &c. ea non uti absque conſenſu ſaltem rationabiliter præſumpto: dum autem uti incipit, periculum in ſe ſuſcipit (b). *Ad* 3. Hoſpes ad nihil tenetur; quia non fuit ei concredita, cum enim penes ſe ſuſceperit, cenſetur curam in ſe ſumpſiſſe: idem eſt, ſi depoſuerit in cubiculo & clavem penes ſe portaverit, ne pateret acceſſus. Nec nauclerus ad aliquid tenetur; dum enim res ſuas illi non commendavit, hic cenſebatur illarum cuſtodiam ipſi relinquere ob multitudinem accedentium & recedentium, ſicque habet conſuetudo optima legum interpres.

(a) *Vid. Num.* 18. (b) *Num.* 19.

Caſus V. Titius acceptum a Cajo depoſitum 1000 aureorum in conclavi depoſuit, aſt Petrus (quem ſibi fidum ſemper expertus erat) famulus, cui claves cubiculi ſui commiſit, aureos abſtulit & aufugit. Idem morti proximus deponit in manibus Confeſſarii marſupium, rogans pecunias reſtitui Cajo cui ob damnum injuſte illatum debentur: hæres Titii advertens in inventario deeſſe hoc marſupium, de quo notitiam habebat, ſuſpicatur Confeſſarium ſurripuiſſe, ideo eum convenit coram ſuperiore. Q. 1. *An Titius teneatur ad reſtitutionem.* 2. *Quid faciendum Confeſſario, ut nec ſigillum frangat nec Petrus defraudetur, aut ipſemet fur habeatur?*

℟. *Ad* 1. Tenetur: non enim debebat pecuniam famuli fidelitati exponere; palam perſpectus aureorum fulgor allicere ſolet, & ad furtum inducere, ut re ipſa accidit.

℟. *Ad* 2. Ex charitate tenebatur hoc depoſitum in ſe ſuſcipere, cum ſine infamia Titius non potuerit per alios reſtituere, attamen oportebat, ut, ſi fieri poſſet cum conſenſu infirmi adhiberet unum vel duos teſtes; vel infirmus propria manu teſtetur, ſe velle pecunias impendi per confeſſarium ad cauſam piam ſibi notam. Cæterum Confeſſarius nemini aperire poteſt, hoc ſibi commiſſum absque fractione ſigilli Sacramentalis, ſed tantum, quod conſignata ſit a moribundo ad ejus intentionem applicanda, nec plus ab ipſo exigi poteſt, debetque ei relinqui plena libertas, & in hac materia credi debet uni ſaltem accedente juramento Confeſſarii.

Caſus VI. Petrus mutuat 1. Paulo pecuniam, ſed vix e domo exit, & furtive ſurripitur: 2. dedit Joanni mutuo 100. ducatos in eadem ſorte monetæ reddendos, quorum valor modo notabiliter crevit: 3. mutuavit aliquot menſuras tritici, cujus valor

lor decrevit : *Denique* frumentum in menſe Novembri proximo Vere reddendum. *Q.* 1. *Quid ſit mutuum ?* 2. *Quid ad caſum ?*

℞. *Ad* 1. Eſt *contractus, quo res numero, pondere aut menſura conſtans traditur eo animo, ut ſtatim fiat accipientis cum obligatione reddendi ſimilem in ſpecie, & bonitate* (a). *Ad* 2. Tenetur reſtituere, licet caſu mere fortuito perierit, antequam ea uti poſſit ; quia ipſo momento quo accepit, evaſit dominus. *In* 2. Non tenetur reddere 100., ſed poteſt tot demere, quantum crevit eorum valor, adhuc enim dat eandem monetæ ſortem, licet non numero ; nam in pecunia, eoquod ſit rerum venalium menſura, ordinarie attenditur non ſubſtantia rei, ſed valor extrinſecus, qui creſcit, & decreſcit domino. Interim, ſi fuerit æquale periculum augendi, vel minuendi valoris, poterat addi pactum, ut non tantum eadem ſors, ſed & numerus redderetur. *In* 3. Sufficit reddere in pari bonitate, & menſura; quia in his per ſe ſpectatur materia, non enim petit quis tale mutuum propter pretium, ſed propter ſubſtantiam. *In ultimo :* Si prævideatur pretium frumenti tunc auctum iri, eſt uſura, niſi dans frumentum erat conſervaturus ad tempus, quo pluris vendere potuiſſet.

Caſus VII. Titius 1. mutuat inimico offenſo, ut a vindicta ceſſet : 2. mutuo dedit Cajo 100. poſt annum reddendos, ſed poſt aliquot menſes ob abſentiam pecuniæ patitur grave damnum, quod petit ſibi compenſari a Cajo: 3. alteri pecuniam mutuat ſub conditione, ut niſi intra menſem reddat, ſolvat pœnam. *Q.* 1. *Quid ſit uſura ?* 2. *Quot tituli excuſantes ?* 3. *Quid ad caſum ?*

(a) *Vid. Num.* 21.

℟. *Ad* 1. Eſt *contractus, quo præciſe ratione mutui aliquid ultra ſortem exigitur ut debitum*; eſt intrinſece mala, quia mutuans fructum accipit ex re non amplius ſua (a). *Ad* 2. Sunt tres: *lucrum ceſſans, damnum emergens, periculum extraordinarium ſortis amittendæ* (b). *Ad* 3. *In* 1. ſi faciat, ut deſiſtat a vindicta injuſta, vel modo injuſto V. G. propria authoritate intentata, vel ut deſiſtat ab inimicitia &c. bene facit; ad hoc enim absque eo tenetur: ſi ut a vindicta, vel ſatisfactione juſta, eſt uſura; quia imponit novum gravamen. *In* 2. ad nihil tenetur; quia ab initio deſuper non fuit facta ſtipulatio; unde Titius ſibi imputet, quod pecuniam ſuam inconſiderate mutuo dederit. *In* 3. per ſe non eſt malum, modo mora ſit culpabilis ſaltem in cauſa, pœna ſit moderata, mutuum non detur ob ſpem pœnæ, aut alio modo per hoc pallietur uſura.

Caſus VIII. Parochus pro neceſſitate ſuæ Eccleſiæ ejus nomine petit pecunias a Titio mutuas. Q. *Quid obſervandum, ut ambo tuto procedant?*

℟. Debent curare, ut pecunia in Eccleſiæ utilitatem impendatur, ſi enim adminiſtrator, vel curator perſonæ, Eccleſiæ, Hoſpitalis &c. pecuniam mutuo accepit, mutuans debet oſtendere in utilitatem perſonæ aut loci verſam eſſe, idque in favorem piorum locorum ſtatutum eſt. Excipe: niſi adfuerit conſenſus Capituli, vel ordinarii iſtius loci.

DIS-

(a) *Vid. Num.* 24. (b) *Num.* 28.

DISSERTATIO III.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid ſit venditio, & quomodo licita?*

D. 1. Emptio, & venditio ſunt *unus contractus, quo emptor, & venditor conveniunt de danda merce erga pretium.* Dicitur *emptor,* qui pretium dat: qui mercem, *venditor.* Nomine *mercis* venit quælibet res vendibilis, & quidquid pecunia æſtimari poteſt; per *pretium* intelligitur pecunia, moneta, vel inſtrumentum, V. G. Charta, authoritate publica inſtitutum ad aliquid emendum. Ad emptionem reducitur *olla fortunæ,* vel *Lotteria,* ubi datur pecunia pro ſpe rei accipiendæ.

Obſ. Juſtum pretium hic eſt, quod adæquatur valori rei venalis in ordine ad uſus humanos: eſtque duplex: *legitimum* ſeu *lege taxatum,* quod lege, vel voluntate ſuperiorum taxatur, V. G. in pane, & conſiſtit in indiviſibili, & præſumitur juſtum, niſi evidenter conſtet oppoſitum. Aliud *vulgare,* quod communi hominum intelligentium æſtimatione, conſideratis rerum circumſtantiis conſtituitur, habetque latitudinem, intra quam res in iisdem etiam circumſtantiis poteſt pluris, vel minoris vendi ſine injuſtitia. *Ratio differentiæ eſt:* quia pretium legitimum conſtituitur ab uno, vel pluribus hominibus in idem conſentientibus, vulgare a multis non idem omnino judicantibus; quod enim aliqui æſtimant 19., alii 20.,

alii 21. æſtimant. Hinc communiter dividitur in *ſummum*, *medium* & *infimum*; ſi medium pretium ſint V. G. 10., infimum erunt novem, ſummum undecim, & ita de aliis, attenta ſimul timoratorum praxi.

(2) *D.* 2. Omnis emptio, & venditio, in qua juſti pretii latitudo exceditur, hoc eſt: ſupra ſummum venditur, vel infra infimum emitur, eſt iniqua, & per reſtitutionem reducenda ad æqualitatem; juſtitia enim exigit æqualitatem inter mercem, & pretium: niſi liberalis donatio, vel remiſſio defraudati intercurrat; ſi enim modica ſit inæqualitas, præſumuntur contrahentes ſibi invicem remittere. In foro autem externo ad vitandam litium multitudinem, non poteſt reſcindi emptio, niſi quis ultra dimidium ſit læſus; quod valet etiam in aliis contractibus oneroſis. Pro quotidiana praxi.

Reſ. 1. Ordinarie pretium taxatur in gratiam emptorum; ideo emptor, ſi minus det, non tenetur ſuperaddere, venditor tenetur reſtituere, ſi acceperit ultra, niſi conſtet taxam eſſe nimis modicam, quod non eſt facile præſumendum; quia taxatur, prout expedit communitati, licet forte privatus patiatur, nam alia vice compenſabitur majori lucro: eſt autem taxa ſervanda etiam a Clericis, & peregrinis. In vulgari pretio emptor injuſtitiam committit, ſi det minus, quam infimum, venditor, ſi accipiat plus, quam ſummum. Hinc axioma Juriſtarum: *tantum res valet, quantum vendi poteſt*, ſi intelligatur intra limites pretii vulgaris, verum eſt; ſi extra, iniquum eſt.

(3) *Reſ.* 2. Si res tuæ ſint notabiliter meliores illis, quæ venduntur in foro, potes taxam excedere, ſicut ſi ſint deteriores notabiliter, debes pretium minuere: ſed cave, ne mentiatur iniquitas ſibi, quia prædominante cupiditate, ſicut taxa judicatur nimis modi-

modica, ſic facile quis judicat res ſuas eſſe meliores. Singulariter, ſi pretium taxatum ſit pro carnibus, piſcibus &c. peccat venditor cum onere reſtitutionis, ſi carnes meliores cariori pretio vendat, reliquas communi taxato; quia pretium taxatum eſt pro utrisque permixtim. Si ſuperior permittat ultra taxam vendi, licet unum aut alterum puniat, volens experiri, an ſervetur, poteſt res vendi ultra taxam, quia eſt quaſi diſpenſatio.

Reſ. 3. Peccant mercatores, qui duplo plus exigunt, quam merces valeant ſub prætextu, quod emptores longe minus ſint oblaturi. Si enim ita diſpoſiti ſint, ut quidquid emptor obtulerit, velint recipere, etiam ultra ſummum, ſunt in continuo ſtatu peccati mortalis, ſi autem facerent tantum, ut emptorem, quem aliunde ſciunt non eſſe niſi dimidium oblaturum, reducant ad pretium juſtum, licet ſummum, non peccarent; modo non velint acceptare ultra, ſi ab ignorante offeratur, & ibi notum ſit mercatores ita loqui. Si ignorans pretium offerat juſto majus, tenetur eum monere venditor, quia exceſſum offert ex errore, adeoque involuntarie: ſi tamen principes offerant pretium majus, cenſentur plerumque liberaliter donare exceſſum; quia decet principem eſſe liberalem.

(4) *Reſ.* 4. Pretium vulgare ſæpe mutatur, prout eſt penuria, vel copia tum mercium, tum pecuniæ, tum emptorum. Sic quo rarius eſt frumentum, eo eſt carius.

Reſ. 5. Particularis non poteſt ideo augere pretium, quia circa mercem paſſus eſt infortunium; res enim tanti valet, quanti per ſe æſtimatur, non quanti tibi per infortunium, vel imprudentiam tuam conſtat, niſi infortunium commune multis induceret mercium penuriam.

(5) *Reſ.*

(5) *Reſ.* 6. Peccant contra juſtitiam mercatores, & artifices, qui, ut ad ſuam officinam attrahant, ſolent honorariis corrumpere procuratores conventuum, famulos, & ancillas: poſtea vero, ut hæc ſucceſſive, & inadvertenter compenſent, pretium augent, vel merces minuunt. Idem eſt de illis, qui, ut emptores attrahant, res infra infimum pretium exponunt, poſtea autem pondus, vel menſuram corrumpunt. Sic enim, & ipſi emptores injuſte decipiuntur, & alii mercatores damnificantur; cum per has iniquas praxes ab eorum officinis emptores retrahantur. Nihilominus poteſt quandoque connivere Confeſſarius, ſi pondus, vel menſuram corrumpant ad ſe ſervandos indemnes; lamentantur enim, & coram Deo atteſtantur quandoque, quod ſtante taxa pretii ex ignorantia, vel paſſione facta, vel damnum ſubire, vel ſaltem unico ſuſtentationis lucro, & medio carere deberent; quia nemo tenetur aliis ſervire gratis aut cum proprio gravi detrimento procurare merces; ſed hæc conniventia, aut nunquam, aut raro admodum exercenda eſt.

Reſ. 7. Peccant contra juſtitiam vendentes pretio infimo, ſi V. G. occulte minuant menſuram, & ſic pretium reducant ad medium, vel ſummum, ut ſæpe fit; quia licet pretium ſummum ſit juſtum, agitur tamen contra conventionem.

(6) *Reſ.* 8. Non licet augere pretium mercis ex eo, quod videas emptorem valde egere illa, aut ad eam affici, quod multi ſine ſcrupulo faciunt. *Ratio eſt:* quia indigentia, vel affectus non eſt tuus, nec intrinſecus merci tuæ, ſed eſt res ementis, ergo ob illum injuſte plus exigis; hinc auriga injuſte plus petit pro vectura ab eo, quem videt valde laſſum illa indigere, injuſte domum tuam meæ continguam carius vendis ex eo, quod videas me circa illam affici,

eſſe

eſſe mihi utilem, vel neceſſariam pro complendo ædificio meo; aliud eſt, ſi V. G. plures laſſi eundem currum vellent aſcendere, & hic non poſſet omnes capere, tunc enim adeſt raritas, adeoque poteſt augeri pretium.

Reſ. 9. Econtra poſſum aliquid carius vendere propter affectum ſpecialem, quem prudenter habeo erga rem illam: V. G. accepi donum a majoribus, Principe, vel eſt res nova, rara, ſingularis, qua me privo in gratiam emptoris, qui de hoc moneri debet, ut ſciat, cur plus det, alias deciperetur.

Reſ. 10. Qui ſimul, & in magna copia emit, vilius emere poteſt, quam ſi minutim; quia liberat venditorem multis curis, facit expeditum ad denuo negotiandum; econtra qui minutim vendit V. G. butyrum poteſt paululum carius vendere rem propter majores labores, & expenſas in re conſervanda, niſi pretium pro ſimilibus ſit taxatum.

(7) *Reſ.* 11. Merces extra officinam ultro oblatæ emi poſſunt minoris; ſignum enim eſt, quod ſit, vel paucitas emptorum, vel modica mercis neceſſitas; & maxime, ſi emantur in gratiam vendentis, ſintque ementi parum utiles; ſi nihil horum adſit, videtur non licere ideo infra pretium infimum emere; nam ejusdem valoris eſt res oblata, quam non oblata, & ſicut ex hoc, quod alter indigeat re tua, teque roget, ut vendas, non licet vendere ſupra ſummum, ita nec ex hoc præciſe, quod quis forte in neceſſitate conſtitutus rem ſuam tibi emendam offerat, licebit infra pretium infimum emere. Hoc certum, quod ſæpe graviter contra charitatem peccent, qui nimis viliter emunt res a pauperibus oblatas, quas coacti vendere debent, & licet dicant ſe remittere partem, hoc non ſit ſatis libere.

Reſ.

Reſ. 12. Ob feſtinationem venditorum licet vilius emere V.G. in fine nundinarum, pariter quæ venduntur ſub haſta, poſſunt licite pluris, vel minoris vendi, quam in ſe valent propter utriusque periculum: modo venditor per fraudem non ſubſtituat fictos auctores, & emptores non conveniant de certa auctione, ultra quam non aſcendatur.

Reſ. 13. Non licet ultra latitudinem Juſti pretii pluris vendere ob dilatam ſolutionem, aut minoris emere ob anticipatam; quia eſt implicitum mutuum, & niſi adſit alius titulus, eſt uſura. Intra fines tamen juſti pretii hoc licet; quia non teneor per ſe infra ſummum vendere, ergo poſſum petere ab eo, cui vendo credito, ſummum, & infimum ab eo, qui dat pecuniam.

(8) *Reſ.* 14. Qui fraude, vel mendacio inducit emptorem ad emendum majori pretio, licet intra fines Juſti pretii, facit ei injuriam, teneturque reſtituere; quia agit contra Jus, quod alter habet, ne ſic inducatur. Idem eſt, ſi fingat V.G. litteras, ſpargat falſum rumorem de navibus ſubmerſis, ut ideo res ſuas carius vendat. Si tamen dicat, rem ſibi pluris conſtare, ſe pluris vendidiſſe aliis, non poſſe minoris vendere, quamvis emens ſic inducatur ad pluris emendum, non eſt obligatio reſtituendi, quia licet ſic mentiendo, vel jurando peccet, tamen notum ſatis eſt, ſimilia communiter a mercatoribus dici, licet vera non ſint; unde ſibi imputet, qui credit. Excipe: niſi emptor eſſet nimis ſimplex, aut omnino appareat ſincere loqui.

Reſ. 15. Licite vendo merces pretio currente, licet privatim ſciam, earum pretium brevi minuendum: licite expono pecuniam, licet ſciam prohibendam, ejus valorem minuendum; quia expono, & vendo ſecundum æſtimationem, & valorem præſentem; cha-

ritas

ritas tamen obligat, ut, ſi ſine gravi meo damno poſſim, diſtraham inter plures, ne unus nimis gravetur. *Dixi:* privatim, nam magiſtratus ipſi dum pret a rerum mutant, pecuniam deponunt, graviter peccant, ſi exſpectent V. G. donec ipſi ſua vendiderint, aut expoſuerint, nam ex officio, tenentur impedire damna communia, & facere: ut ex ſuis legibus, quantum fieri poteſt, unus non gravetur præ alio; poterunt tamen non aliter, ac alii bona fide ſua diſtrahere; quando alioquin in eadem quantitate feciſſent non obſtante tali notitia, quæ iis obeſſe non debet.

Reſ. 16. Si diminutio pretii ſecutura ſit ex intrinſecis ipſius rei, non licet eam pretio currente vendere V. G. privatim ſcio librum eſſe prohibendum, piſtolettas eſſe deponendas; quia ſunt adulterinæ &c. non poſſum exponere pretio currente; quia eſt vitium rei intrinſecum.

Reſ. 17. Quamvis multi dicant res peregrinas, & raras, ut ſunt quædam gemmæ, aves, raræ picturæ, poſſe vendi quovis pretio, quod accipi poteſt; verius tamen eſt contrarium, maxime ſi non ſint adeo raræ, quin per peritos aliqualiter æſtimari poſſint.

(9) Q. An debita chyrographa liceat minoris emere, quam valeant V. G. jus ad 100. aureos, quos Petrus debet Paulo, emere 90. aut minoris? ℟. 1. Si debita ſint aliquid a talibus perſonis dependentia, ut ſine difficultate, periculo, & expenſis exigi poſſint, emptio eſt uſuraria; nam aliud non eſt, quam dare 90., ut accipiam 100., & pecunia certo ſolvenda ſeclusis extrinſecis æquivalet præſenti. ℟. 2. Si debita non ſint ita liquida, emptio eſt licita; modo diminutio pretii æquivaleat difficultatibus, periculo, & expenſis ſuſtinendis: ſic ſæpe non daretur unus imperialis pro debito aut jure ad 100. Reſponſio vera eſt, licet

licet emens (quia V. G. eſt amicus Principis) prævideat ſe facile conſecuturum totum; ſufficit, quod ſolutio, ſecundum ſe ſit difficilis: ſic nauta poteſt navigationem ſecundum ſe periculoſam majori pretio ſuſcipere, licet ipſe ob ſuam peritiam non habeat periculum. ℞. 3. Princeps ipſe, & Miniſtri, qui præſunt ſolvendis debitis, non poſſunt minoris emere; cum ſint cauſa minoris æſtimabilitatis, debeantque, ſi poſſint, difficultatem tollere, & ſi ſibi ſolvere poſſint, cur non aliis?

QUÆSTIO II.

(10) *An, & qualiter peccet vendens mercem vitiatam?*

D. Peccat contra juſtitiam graviter, vel leviter pro gravitate materiæ, teneturque ad compenſationem damni, qui ſcienter rem vitiatam vendit pro non vitiata; quia alterum injuſte decipit.

Reſ. 1. Si vitium ſit in ſubſtantia, vel qualitate ingrediente ſubſtantiam, V. G. quia res ad uſum ab emente intentum parum, vel nihil utilis eſt, contractus eſt nullus, *uti ſupra de errore:* ſic etiam, qui falſa moneta emit aliquid etiam bona fide, tenetur in conſcientia aliam monetam ſubſtituere; eſt enim error in ſubſtantia pretii: *Nec juvat*, quod etiam ipſe ſit deceptus; quia ideo non debet alium decipere.

Reſ. 2. Si vitium ſit in qualitate, & ita patens, ut quivis facile poſſit advertere, V. G. equus eſt patenter cœcus, non tenetur manifeſtare; ubi enim ipſa res loquitur, non eſt opus voce venditoris: modo vendat juſto pretio conſiderato etiam ipſo vitio: ſi tamen videat emptorem non advertere ex ſimplicitate, debet ei manifeſtare; quia reſpectu illius eſt occultum.

(11) *Reſ.* 3. Si emptor interroget, an res habeat certum defectum, vel ſi res petatur ad certum uſum, tenetur venditor ex juſtitia manifeſtare vitia occulta; alias eſt dolus dans cauſam contractui, in foro externo datur actio, quæ vocatur redhibitoria ad recuperandum pretium, & reddendam mercem: ſi tantum roget in genere, an res habeat defectum, jam, ſi utilis ſit ad finem, & defectus alii occultentur, valet venditio, ſi inutilis, non valet, minus, ſi nociva emptori. Viva hic *Q.* 2. *a.* 5. *n.* 3. Debere tamen ſemper omne vitium, ſaltem, niſi leve ſit, manifeſtari, docet communior.

Reſ. 4. Venditor non interrogatus tenetur manifeſtare vitium reddens mercem notabiliter inutilem emptori ad finem intentum; alias cenſetur commiſiſſe dolum, teneturque ad reſtitutionem tum exceſſus pretii, tum damnorum inde ſequentium.

Reſ. 5. Si emptor non interroget, ſed judicio ſuo fidens rem ex pluribus eligat, non tenetur venditor manifeſtare ejus defectum, ſi ſit utilis ad finem intentum, & non noxia graviter emptori: debet tamen pretium accipere, quanti valet res cum ſuis vitiis. Quodſi veroſimile ſit, emptorem poſtea revenditurum, & quidem majori pretio, quia putat integram, manifeſtandum eſt vitium ſaltem poſt contractum, etiam ideo, quia forte inutilis erit ad finem a ſecundo emptore intentum.

Reſ. 6. Si vitium non ſit enorme, & merx retineat ſufficientem utilitatem ad communem uſum, non eſt obligatio manifeſtandi, alias mercatores cum gravi ſuo damno nonniſi meliores merces diſtrahere poſſent, cum tamen ipſi viliores ſolvere teneantur: debet tamen plerumque mercator tunc vendere minoris; hoc enim poſtulat æquitas.

Reſ. 7. Licet venditores equorum juxta leges municipales non teneantur manifeſtare vitia, niſi aliqua valde præcipua; ſi tamen equus ob aliquod vitium ſit notabiliter minus utilis ad finem intentum, remitti debet de pretio; alias eſt inæqualitas juſtitiæ, & onus reſtitutionis, quidquid dicant iniqui hi negotiatiores de conſuetudine contraria, quæ non minus mala eſt, quam illorum conſuetudo jurandi.

(12) *Reſ.* 8. Peccant cum onere reſtitutionis, qui pannum, vel ſimilia menſurando nimis trahunt, qui lanam, filum &c. detinent in locis humidis, ut magis ponderent &c.; defraudant enim in pondere, & menſura, daturque actio quanti minoris.

Reſ. 9. Excuſari quandoque poſſunt miſcentes ſubſtantiam alienam, vel ejusdem ſpeciei, ſed minoris bonitatis, V. G. vino generoſo debile, tritico optimo vetus, piperi juniperos &c.; modo remittant de pretio, & res maneat idonea ad uſum, ad quem petitur, nec fiat deterior, quam illa, quæ ſimili pretio venditur ab aliis: ſed in praxi eſt valde periculoſum, daturque occaſio injuriis; quilibet enim judicabit rem non obſtante mixtione manere æque bonam, aut fieri meliorem: & ſaltem ſic venditur pretio ſummo, quod renuunt communiter emptores, ac facile fit injuria aliis venditoribus ſincere procedentibus, eo quod emptores facile hos deſerant decepti ab illo, qui minoris videtur vendere V. G. vinum aqua dilutum, aut artificialiter mixtum.

Reſ. 10. Etiam emptor tenetur venditori ignaro manifeſtare bonitatem, vel pretium mercis V. G. gemmæ, quam invenit, & vult vendere: nec ſufficit, ſi dicat: volo tibi tantum dare, ſi des, vel condones, ſi forte plus valeat; niſi enim valorem explicet, donatio non eſt ſatis voluntaria. Aliud foret, ſi valorem uter-

uterque ignoraret; tunc enim ineunt contractum ſortis, exponendo ſe æqualiter periculo lucri, & damni.

Reſ. 11. Dum res communi æſtimatione vilis poſt venditionem agnoſcitur eſſe pretioſa, V. G. inter alia mobilia emiſti vas, quod communiter putabatur æneum, ſed poſtea invenis ex parte aureum, non teneris ſuperaddere; licet enim fuerit error in ſubſtantia phyſica, non tamen morali, prout ſubſtabat commercio humano: nam communiter putabatur æneum, & res juſte valet tanti, quanti communiter æſtimatur. Sic ſciens in agro latere theſaurum, venam auri &c. poteſt communi pretio emere; ſicut pharmacopola communi pretio emit faſciculum herbarum, in quo ſcit eſſe herbas pretioſas: quia juxta communem æſtimationem illud eſt juſtum pretium, & communiter hic V. G. ager non æſtimatur pluris: non enim habetur ratio theſauri communiter ignorati. *Aliud eſt*, ſi ex ignorantia vendas adamantem pro vitro, quia communiter adamas, non æſtimatur vitrum, quamvis vendens putet eſſe vitrum.

(13) *Q.* 1. *Cui res vendita pereat, aut melioretur?*

Suppono 1. Ut emptor acquirat dominium rei emptæ, ordinarie non ſufficit ſola traditio, niſi ſimul det pretium, ponat hypothecam, vel fidejuſſorem; aut venditor ſignificet, quod velit credito dare, quo facto facile concipitur perire, deteriorari, aut meliorari emptori.

Suppono 2. Res, quæ venditur, vel eſt determinata in individuo V. G. hic equus: vel indeterminata, ut decem oves ex grege, unum plauſtrum vini ex cella; iterum vel venditur res ad corpus V. G. unico pretio vendis plauſtrum vini 100. aureis: vel venditur ad menſuram, aut pondus, V. G. dolium vini taxan-

do pretium ad ſingulas amphoras, fundus decem jugerum 100. aureis pro ſingulis jugeribus, &c.

℞. 1. Si res ſit vendita in individuo, & determinata, regulariter perit, deterioratur, & melioratur emptori etiam ante traditionem; non, quod emptor tunc ſit dominus, ſed quia ſic jura diſponunt; ne emptor negligat procurare rem ſibi debitam. *Dixi regulariter;* hoc eſt: niſi adſit culpa etiam levis, vel mora venditoris in re tradenda, vel aliter in contractu conventum ſit.

℞. 2. Si vendatur res determinata in ſpecie, ſed indeterminata in individuo, ante traditionem venditori perit, deterioratur autem, & melioratur emptori. *Ratio primi eſt:* quia res ſic indeterminata non cenſetur vendi, niſi ſub conditione, ſi tradatur, ſi menſus fueris tot modios tritici, ſi tradideris tot oves, &c. *Ratio ſecundi eſt:* quia venditor ſe tantum obligavit ad exhibendam rem, qualis erat tempore venditionis. Idem eſt, ſi vendatur res non ad corpus, ſed ad menſuram; nam, & tunc ſubintelligitur: dabo tantum in ſingula, quæ menſus fueris, quæ numeraveris.

(14) *Reſ.* 1. Si dolium vini vendatur ad corpus, & caſu effundatur ante traditionem, perit emptori: ſi vero vendatur ad menſuram, & ante traditionem effundatur, perit venditori: ſi pretium interea vini creſcat, vel decreſcat, ſpectat ad emptorem.

Reſ. 2. Si vendita tibi ſit domus, & ante ſumptam poſſeſſionem caſu comburatur, adhuc debes ſolvere pretium; ſi tibi venditæ ſint 12. oves, & hæ ſimul cum domo comburantur, diſtinguendum eſt: vel enim venditor non habuit plures oves, vel habuit integrum gregem, & ex hoc promiſit 12. indeterminate, ſi *primum*, ad nihil tenetur, ſi *ſecundum*, tenetur ſuperſtites ex grege, & ſi integer grex perierit, non tene-

tur

tur dare oves, tenetur tamen reddere pretium acceptum.

Reſ. 3. Si de communi conſenſu conſtitutus ſit terminus ad menſurandum V. G. frumentum venditum in ſingulos modios, periculum pertinet ad illum, qui eſt in mora menſurandi: ſi vero nullum tempus ſit ſtatutum, venditor poteſt coram teſtibus monere emptorem, ut intra certum tempus accedat ad menſurandum, quo elapſo periculum pertinet ad emptorem; ſic enim ſtatuitur in lege.

(15) *Q.* 2. *An vendens nomine alterius poſſit retinere exceſſum, ſi pluris vendiderit, quam præſcriptum erat; vel econtra minoris emerit?*

℞. Regulariter non poſſe: quia dominus non præſcribit pretium, ne pluris, ſed ne minoris res vendatur, & econtra. *Dixi regulariter;* quia poteſt retinere, ſi dominus ſaltem tacite conſentiat, quod non eſt facile præſumendum: ſecus eſt, ſi exceſſum obtineat labore extraordinario a domino nec intento, nec volito, V. G. famulus proficiſcitur ad locum remotiorem, ubi merces carius vendit, jam enim eſt pretium induſtriæ.

Reſ. 1. Sartores, quibus injungitur emptio V. G. acceſſoriorum ad veſtes, non poſſunt aliquid retinere; non ob inſumptionem temporis, aut laborem, qui modicus eſt, & aliunde cenſetur compenſatus in ſalario: non ob tacitum conſenſum, quia nullus eſt; committens enim putat fieri gratis, quod ſartor ſatis agnoſcit: non enim vult committentem ſcire de retentione.

Reſ. 2. Non tamen ſemper ſunt condemnandi, ſi mercator de juſto pretio aliquid remittat in gratiam ſartoris, eique donet, eoquod ſoleat ad ipſum venire; quia nullum inde damnum provenit domino, & mercatores rationabiliter donant: frequentando enim illo-

illorum officinas dant illis anſam lucrandi. Minus condemnandi ſunt, ſi acceptent parva munuſcula, modo, quod valde notandum, mercator ſincere putet, nec ideo vendat pretio cariori, quam ſolet aliis, aut merces viliores, nec emptor ideo det plus; ſæpiſſime enim falſo dicit ſe aliquid remittere, ut alliciat.

(16) Q. 3. *Quid de emptione rei furtivæ: aut pro pretio furtivo?*

℟. Si uterque ſciverit rem eſſe alienam, contractus eſt nullus; ſic enim ſtatuit lex: ſi ſolus venditor hoc ſciverit, hic acquirit dominium pretii, & emptori tenetur de evictione rei, ac damno cauſato; non tamen emptor acquirit dominium rei, niſi præſcripſerit. *Ratio eſt:* quia emptor fuit dominus pretii: ergo potuit hoc valide transferre: venditor non fuit dominus illius rei; ergo nôn potuit illud transferre in alium. Si ſolus emptor ſciverit rem eſſe alienam, contractus eſt nullus, quia emptor mala fide procedens non poteſt acquirere dominium rei alienæ, venditor tamen acquirit dominium pretii: tum, quia hoc accepit bona fide, tum, quia emptor fuit illius dominus; ergo potuit dominium transferre in venditorem. Similiter, ſiquis emat pretio furtivo, vendens non fit dominus pretii, emens tamen fit dominus mercium.

Reſ. Si bona fide rem tuam vendideris pro pretio furtivo, aut pecuniam furtivam acceperis pro debito, ſi compareat dominus, teneris reſtituere; ſi adhuc exſtet: ſi autem conſumpſeris, ad nihil teneris; quia non es factus ditior; nam propter illud dediſti mercem tuam. Idem eſt, ſi per mixtionem feceris tuam; vel ſi bona fide emeris V. G. triticum furtivum, & per mixtionem feceris tuum. Si autem ſit impermixtum, teneris reſtituere etiam cum jactura pretii; quia omnis res clamat ad ſuum dominum. Si fur pecuniam, vel aliud ſimile jam ante fecerit ſuum per mixtionem,

tionem, tibique det, potes retinere; dat enim rem ſuam, ſaltem ſi per hoc non fiat impotens ad reſtitutionem ex aliis.

(17) Q. 4. *Quid ſit retractus gentilitius?*

℟. Eſt *jus lege conceſſum venditoris conſanguineo intra annum, & diem ad ſe revocandi venditionem rei immobilis oblato pretio, quo empta erat.* Hoc Jus convenit conſanguineo proximiori, ſi concurrant plures, & durat tantum per annum, & diem. Si intra hoc tempus ab emptore factæ ſint expenſæ in re illa, qui vult jure retractus uti, debet præter pretium compenſare expenſas neceſſarias, & utiles: fructus interim percepti ſunt primi emptoris. Debet autem retrahens emere vero animo ſibi retinendi, quo ſuper jurare debet; hoc ſi fecerit, & poſtea occurrente juſta cauſa vendat, licite facit. Difficultas hic eſt in caſu ſequenti valde practico: Petrus emit agrum 200. aureis, ut vero alios abſterreat a retrahendo, cum conſenſu venditoris ſcribit in inſtrumento 300. Quæritur, *an graviter peccet contra juſtitiam?* ℟. Certum videtur, quod ita. *Ratio eſt:* quia quilibet habet jus, ne dolo, vel mendacio impediatur a proſequendo jus ſuum; ergo Petrus per hunc dolum gravem injuriam infert conſanguineis, teneturque compenſare damna inde ſecuta.

QUÆSTIO III.

(18) *An licitum ſit monopolium, & quælibet alia negotiatio?*

Monopolium vi nominis unius ſolius venditio eſt *venditio facta ab uno, vel pluribus per modum unius.* Fit potiſſimum 4. modis: 1. Dum unus, vel pauci impetrant a Superiore, ut ſoli certas merces vendant. 2. Dum plures mercatores inter ſe conveniunt,

niunt, ut merces non vendant, niſi certo pretio. 3. Dum unus, vel pauci coemunt omnes merces certi generis, easque ſupprimunt, donec ex penuria creſcat pretium. 4. Dum aliqui certo ſtratagemate faciunt, ne certæ merces in urbem, vel regnum importentur, ut ipſi ſuas carius vendant.

D. 1. Monopolium *primo modo* non eſt illicitum, ſi fiat ex juſta cauſa, & juſto pretio, quia ſunt quædam merces, ad quas V. G. conficiendas requiruntur magni ſumptus; quos ſine tali privilegio nemo facile ſuſcipiet V. G. impreſſio librorum. *Deinde* poteſt hoc fieri in remunerationem laborum pro republica ſuſceptorum, vel quia Princeps indiget pecunia pro bono communi: attamen tunc taxandum foret pretium, præſertim in rebus vitæ neceſſariis; ne detur occaſio vendendi pretio injuſto ob cupiditatem venditoris. Monopolium *ſecundo modo*, ſi excedat juſtum pretium, eſt certo injuſtum; imo, ſi non excedat, videtur injuſtum cum onere reſtitutionis; quia ſic cives privantur jure emendi pretio medio, vel infimo: privata authoritate mutatur rerum pretium, quod de ſe habet latitudinem reſtringendo illud ad ſummum: certo eſt contra charitatem; quia, licet monopolæ non peccent ſic vendendo, peccant tamen ſuadendo id reliquis: ſicut ordinarie non peccas non dando eleemoſynam, peccas tamen, ſi ſuadeas aliis, ut non dent. *Tertius modus*, monopolii eſt injuſtus, quia revera vendunt pretio exceſſivo, non enim plus valet frumentum V. G. congregatum apud paucos, quam valeat diviſum apud plures mercatores; licet enim paucitas mercium inducat raritatem, non tamen paucitas venditorum, ubi æqualis eſt copia mercium; penuria vero, ſi quæ ſit, oritur ex illorum ſuppreſſione. Unde non valet exemplum, quod pro ſe adducunt de Patriarcha Joſeph coemente frumenta, nam penu-

penuria, quæ poſtea erat, non proveniebat ex illius coemptione, ſed ex annorum ſterilitate. *Quartus modus*, ſi fiat ſine vi, dolo, aut mendaciis non videtur contra juſtitiam; quia alii nullo jure tenentur invehere merces ſuas: contrarium eſt, ſi vi, aut dolo id impediant, quia incolæ habent jus ſtrictum, ne vi, aut dolo impediatur eorum commodum licitum. Huc reducitur, quando artifices conveniunt, ut opus ab uno inceptum alter non perficiat: ſi conveniant, ut non doceant certam artem, niſi ſoluto certo pretio &c.

Q. *An liceat tempore vindemiæ* V. G. *vinum vili pretio accumulare, ut poſtea vendatur pretio cariori?*

℟. Si fiat ex intentione honeſtæ negotiationis, nec excedantur limites juſti pretii pro tempore, quo venditur, non videtur, quare ſit illicitum; ſic enim fecit & Joſeph in Ægypto.

(19) *D.* 2. Negotiatio eſt emptio rei animo vendendi eam cum lucro. *Dr. Animo &c.*; nam ſi res primo empta ſit ad proprium uſum, & poſtea per accidens vendatur etiam cum lucro, non eſt negotiatio: eſt autem negotiatio alia *proprie talis*, qua aliquid emitur, ut idem immutatum carius vendatur: alia *improprie talis*, qua res in melius mutata venditur cum lucro.

D. 3. Utraque hæc negotiatio eſt honeſta; quia de ſe indifferens, & ex objecto indifferente poteſt ordinari ad finem honeſtum V. G. ſuſtentationem familiæ, utilitatem publicam, ſubventionem pauperum: habet tamen ſpeciem mali; quia animus lucrandi videtur præ ſe ferre avaritiam, & quia ſæpe exercetur interpoſitis fraudibus, mendaciis, juramentis &c. quæ tamen ſunt vitia negotiatoris, non negotiationis.

(20) *D.* 4. Negotiatio ſtricte talis (quæ ſola in odioſis venit nomine negotiationis) ſub pœna excom-

municationis, & ſuſpenſionis graviter prohibita eſt Clericis conſtitutis in ſacris, & omnibus Religioſis. Patet ex variis *Canonibus*, & ex *Trident.* (a) *Ratio prohibitionis eſt*: quia valde indecorum eſt ſervitio DEI ſpecialiter mancipatos lucris temporalibus inhiare; unde Apoſtolus (b) ait: *Nemo militans DEO, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Pœna tamen excommunicationis, & ſuſpenſionis eſt ſententiæ ferendæ tantum; & quia eſt gravis, denotat gravem culpam. Pro praxi.

Reſ. 1. Clericus, vel Religioſus, ſecluſo ſcandalo, non peccat graviter, ſi bis, aut ter negotietur, niſi eſſet negotiatio nimis turpis, aut in magna quantitate; quia negotiatio dicit frequentiam aliquam: & jura loquuntur de Clerico exercente negotiationem, eique inſiſtente, quod non verificatur, ſi una, aut altera vice fiat.

Reſ. 2. Si Clericus aliquid emerit, ut conſumat, & poſtea illius pretium creſcat, poteſt vendere, ſperans ſe vilius empturum; eſt etiam actus prudentiæ Oeconomicæ: pariter poteſt emere plura pro ſua ſecuritate, & ſi poſtea quid ſuperſit, carius vendere; quia, ut ſupponitur, emit animo obviandi periculo defectus, ne cogatur ex poſt carius emere; modo in his ſincere procedat.

Reſ. 3. Clerici poſſunt vendere fructus ſuorum agrorum, nutrire greges, ut ex lacte, lana, & fœtibus lucrum reportent, cereviſiam ex proprio hordeo coctam ſecluſo ſcandalo vendere; quia non eſt negotiatio propria, ſed fructuum ex bonis ſuis collectorum venditio lucroſa.

Reſ. 4. Poſſunt emere materiam, ex qua honeſta arte conficiant artefacta, & vendant; modo non fiat publice: ſic Apoſtolus, & antiqui monachi vivebant labo-

(a) *Seſſ.* 22. *de reform. cap.* 1. (b) 2. *Timoth.* 2.

labore manuum. *Item* emere domum, ut elocetur &c.

Reſ. 5. Probabiliter licitum eſt Clericis negotiari per alios labore toto aliis relicto, ſi ipſi tantum exponant V. G. pecuniam ad bancum, ſecluſo ſcandalo. Per accidens tamen, ſi hæc animum nimis a divinis avertant, ſunt mala: ſaltem eſt indecorum, ſi fiat ſine juſta cauſa: non tamen erit mortale, niſi Clericus nimium ſe tali negotiationi implicet. Si vero per ſuos famulos, vel factores negotientur, eſt mortale; quia moraliter idem eſt, ac per ſe ipſum negotiari.

Reſ. 6. Multum hic valet æſtimatio, & ſenſus communis, an talis actio cenſeatur Clericum graviter dedecere: & tunc peccat graviter, ſi notabilem operam negotiationi adhibeat.

Reſ. 7. Si adſit neceſſitas propriæ perſonæ, vel familiæ, quæ alias non poſſet commode ſuſtentari, prohibitio ceſſat; cum enim facta ſit ob decentiam ſtatus, non cenſetur ſe extendere ad id, quod neceſſarium eſt ad decenter vivendum.

Reſ. 8. Secluſo ſcandalo, & affectu inordinato ad lucrum non eſt Clericis prohibita negotiatio minus ſtricte talis, ſeu honeſta, admodum rara, & ex bono fine facta.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex ſit cenſus, & an licitus?

Cenſus, quantum huc ſpectat, ſumitur 1. pro jure exigendi certam penſionem. 2. Pro contractu, quo emitur, aut venditur Jus illud. 3. Pro ipſa penſione.

(21) *D.* 1. Cenſus primo modo eſt *Jus percipiendi ſuo tempore penſionem ex re, aut perſona alterius. Dr. Ex re, aut perſona;* quia illud jus etiam fun-

fundari poteſt in perſona, modo ſit fructifera, hoc eſt: labore aut alio modo poſſit aliquid lucrari. *dr. Suo tempore:* quia, licet cenſus ſoleant dari ad annum, non eſt tamen, cur ad medium annum vel aliud tempus poni non poſſint, modo minuatur vel augeatur penſio. Qui tenetur ſolvere penſionem, vocatur *Cenſuarius*, qui emit jus pericipiendi, vocatur *Cenſualiſta*, vel *Cenſuiſt.*

D. 2. Cenſus ſecundo modo eſt *contractus, quo emitur jus percipiendi penſionem ex re, aut perſona alterius. dr. Alterius*, per quod differt a locato, & emphyteuſi; in his enim percipitur penſio ex re propria quoad dominium directum.

(22) *D.* 3. Cenſus alius eſt *reſervativus;* quando quis tradit alteri rei ſuæ dominium utile & directum, donando, vendendo, retento ſibi jure ad penſionem ex re præſtandam; hunc cenſum eſſe licitum nemo dubitat. Alius *conſignativus*, dum retento rei ſuæ uſu & dominio conſignat alteri penſionem ſingulis V. G. annis ſolvendam, de quo quæritur; & ſubdividitur in *realem*, qui fundatur in aliqua re, V. G. domo, quæ, ſi ad alium tranſeat, cum hoc onere tranſit, ſi pereat, & ipſe cenſus perit, per quod differt ab hypotheca: & in *perſonalem*, qui fundatur immediate in perſona, ſive potius in perſonæ induſtria absque reſpectu ad aliquam rem: ac in *mixtum*, qui in utroque immediate fundatur, ita ut, quamvis res pereat, non pereat cenſus, ſed perſona debeat ſolvere vel ex aliis bonis vel ex induſtria ſua. Alius eſt *redimibilis*, qui redimi poteſt vel ex parte unius vel utriusque. Dicitur autem venditor redimere cenſum, ſi capitale vel ex toto, vel ex parte refundat, ſicque a penſione ſolvenda ſe liberet. Alius *irredimibilis*, qui redimi non poteſt, adeoque eſt perpetuus. Alius denique *vitalitius*, *de quo infra Num.* 27.

(23)

(23) *D.* 4. Cenſus realis & perſonalis etiam ex utraque parte redimibilis (qui dicitur Germanicus) eſt licitus. Ita ſatis communiter. *Ratio eſt:* quia licite & juſte poteſt quis vendere jus percipiendi fructus, vel lucrum ex re, vel perſona ſua fructifera, cum ſit pretio æſtimabile, idque vel irrevocabiliter, vel revocabiliter, & alter licite emit tale jus, ſed hoc fit in contractu cenſus, dum Cenſuarius vendit pro certo pretio V. G. 100. imperialibus Cenſualiſtæ jus percipiendi fructus vel lucrum 5. imperialium in ſingulos annos ex re vel perſona ſua fructifera; ergo talis contractus eſt licitus; nec lucrum habetur immediate ex pecunia, ſed ex jure empto. *Dein:* cum pacto retrovendendi ad arbitrium utriusque poſſunt emi, & vendi alia jura ac fundi, modo minuatur pretium pro rata oneris, nec intercurrat contractus Mohatra, de quo *ſupra* (a). *Specialiter de perſonali Prob.* Si famulus juſto ſalario conduci poſſit, ut teneatur domino præſtare certa quot annis obſequia, cur non poteſt cum eo conveniri, ut teneatur Cenſualiſtæ tale ſalarium laboribus ſuis acquiſitum extradere? Denique cum cenſus etiam redimibilis in tota Germania ſit uſu receptus, a doctiſſimis Theologis & tribunalibus approbatus, non debet reprobari ſine evidenti ratione: (idem eſt de pacto retroventitionis, ut emptor pro libitu rem emptam reddere, & venditor teneatur pretium refunder) quamvis ſiſtendo in ſpeculatione probabiliter defendatur etiam ex eo, quod emptor non ſit pejoris conditionis emendo, quam venditor vendendo; in praxi tamen eſt valde periculoſus, ideo merito a Pio V. prohibitus, quæ tamen Pontificum prohibitiones, quantum reſtringunt jus naturæ, receptæ non ſunt in his partibus. In praxi merito requiritur, ut venditor pro libitu poſſit refundere Capitale, & ad hoc non poſſit cogi,

(a) *De Contract. gratuitis n.* 32.

cogi, quamdiu penſiones ſolvit; ſic enim clare appa-ret diſcrimen inter Cenſum & mutuum.

Ob. 1. In emptione cenſus non ſervatur æqualitas inter mercem & pretium; minus enim dat emptor, quam recipiat: quia, ſi det 1000. V. G. aureos, ut annuatim recipiat quinquaginta, poſt 20. annos recepit totum, capitali manente integro, imo pro pretio finito penſiones futuræ erunt quaſi infinitæ. ℞. *n. aſſ.* Quia, licet 1000. illi aurei non æquivaleant omnibus penſionibus, quæ forte recipientur, ſi hæ ſimul & ſemel, vel brevi & certo eſſent ſolvendæ: æquivalent tamen hic & nunc juri percipiendi ſingulis annis quinquaginta, eoquod propter varia pericula, damna emergentia, bella, tempeſtates, iniquas hominum machinationes, ſecundum communem hominum æſtimationem minoris valeat jus percipiendi, quam penſiones ſic per intervalla acceptæ, ſi ſimul ſumantur: nec hoc eſt ſpeciale in cenſu; quia quælibet res fructifera V. G. ager, quem ante annos quadraginta emiſti 100. aureis, jam retulit lucrum multo majus, & fructus portabit in infinitum.

Ob. 2. Pius V. prohibuit cenſus perſonales, ergo non ſunt liciti.

℞. *D. C.* Ubi hæc conſtitutio recepta eſt C. ubi non eſt N. Apud germanos ſaltem vel non eſt recepta, vel uſu contrario abrogata, ut quotidiana docet conſuetudo; lex autem humana per conſuetudinem legitime abrogata non obligat. Certe non omnia, quæ Pius V. requirit, ſunt de jure naturæ, quia ipſemet declarat ſuam conſtitutionem non extendi ad cenſuum contractus jam celebratos.

(24) *Reſ.* 1. Cenſus fundari debet in re propria non habente jus impeditum: hinc maritus non poteſt ſubjicere cenſui dotem uxoris absque hujus conſenſu, nec ipſa hoc poteſt; quia adminiſtratio ſpectat ad maritum,

ritum, & ideo juſte exigitur aſſecuratio, ut, ſi forte res cenſui ſubjecta deprehendatur eſſe alterius, altera ſuccedat.

Reſ. 2. Res cenſui ſubjecta debet eſſe fructifera, ita ut ſubtractis laboribus & expenſis ſufficiat ad ſolvendas penſiones annuas. In perſonali debet eſſe talis perſona, quæ ex induſtria, negotiatione, reditibus tantum lucretur, ut cenſualiſtæ ſatisfacere poſſit; alias vel fiet injuria vendendo jus ad penſiones, quas percipere non poteſt: vel, ſi cenſualiſta hoc ſciat, erit luſio tantum, & uſura palliata. Hinc uſuram committit, qui ad cenſum dat V. G. 100. florenos pauperi, qui ex ſuis bonis & labore vix acquirit neceſſaria ſuſtentationi ſuæ & ſuorum; deeſt enim fundamentum ſufficiens.

(25) *Reſ.* 3. Si res cenſui ſubjecta abſque culpa cenſuarii pereat, vel in perpetuum reddatur infructuoſa, non debetur penſio, vel detrahi debet pro rata; quia pereunte re perit jus rei inhærens, niſi aſſecuratus ſit. Quodſi uno tantum vel altero anno non reddat fructus, & aliis annis tantum ferat, ut hoc compenſari poſſit, per ſe loquendo debetur penſio, uti debetur ex agro, licet tertio aut quarto anno non ferat fructus. Dixi: *niſi aſſecuratus ſit;* quia, ſicut in contractu V. G. ſocietatis, ſic & hic communiter admittitur pactum aſſecurationis, ut, quamvis cenſus pereat, nihilominus ſolvantur penſiones: attamen ob hoc gravamen, ſicut & ſi cenſus ſit redimibilis ex parte emptoris, duplo minor penſio conſtitui debet, quam in redimibili ex parte venditoris: dum autem ex parte venditoris eſt irredimibilis, minor debet eſſe penſio; & quia cupiditate hominum dura hæc conditio ſolet cenſuario imponi, nullo vel exiguo ſoluto pretio, hinc leges illum prohibent, & ubi vigent, ſervandæ ſunt.

Reſ.

Reſ. 4. Si domus V. G., ſuper quam fundatus eſt cenſus, corruat: vel ſimul corruit tota, & extinctus eſt cenſus, quamvis ex eadem materia reædificetur alia domus; quia non eſt eadem: vel corruit per partes, & per partes reædificatur, & debetur ex illa penſio; quia manet eadem moraliter.

Reſ. 5. Res cenſui ſubjecta non debet inſcio emptore alienari, ſi ideo penſionem difficulter & minus ſecure accipiet; quia cenſualiſta habet jus fundatum in re; ergo illa non debet fieri deterior.

(26) *Reſ.* 6. Pretium debet eſſe juſtum, ſive tale quod lex vel loci conſuetudo & praxis timoratorum probat, ſuntque adhuc 100. pro quinque in cenſu ex parte venditoris redimibili; quia tamen leges taxantes pretium cenſus ſunt in favorem venditorum, ideo plus accipi non poteſt: tamen minus V. G. tres. Item major poteſt penſio exigi, ſi res non ſit ſecura &c.

Reſ. 7. Cenſui reali probabiliter licite additur pactum commiſſorium, ut, ſi non ſolvatur penſio intra certos annos, res cenſita cadat in commiſſum, ſive fiat illius, qui cenſum emit, modo culpa ſua non ſolverit, & pœna ſit proportionata: nam pro parva penſione non ſoluta non poteſt prædium magni valoris cadere in commiſſum *Vid. ſupra de uſura N.* 31., debetque pro hoc onere minui penſio. Etiam licite additur pactum, ut non poſſit redimi per partes, nec ideo videtur remittendum de pretio, quia eſt gravamen ementi recipere pecuniam diviſim, ut ſimul ad alium finem applicari non poſſit. *Item* pactum, ut non poſſit redimi, niſi in eadem moneta, ſive valor creſcat, ſive decreſcat, modo ſit æquale periculum. *Item*, ut prius per aliquot menſes moneat emptorem, quod redimere velit. *De quibus plura J. J.*

(27) *D.* 5. Cenſus vitalitius eſt *contractus, quo quis certam pecuniæ ſummam V. G.* 1000. *imperiales, vel rem valen-*

valentem mille dat ea conditione, ut quamdiu vixerit, ex ſingulis 100. *accipiat V. G.* 10.; *poſt mortem vero ſimul moriatur capitale:* eſtque potius contractus ſortis, in quo contrahentes ſe exponunt æquali periculo lucri & damni ob incertitudinem mortis, ideoque, quo mors judicio prudentum, conſiderata ætate, complexione, modo vivendi videtur eſſe propinquior, eo major debetur annua penſio, & econtra. Si ille, cui in fine anni debetur penſio annua, intra annum moriatur, pro rata debetur hæredibus: ſicut in ſimili debetur penſio aſſignata Clerico in ſuſtentationem.

QUÆSTIO V.

(28) *Quid & quotuplex ſit Cambium, & an licitum?*

D. 1. Cambium eſt *contractus, in quo permutatur pecunia cum pecunia cum lucro illius, qui in gratiam alterius permutat*, diciturque *Campſor*, alius *Campſarius:* differt a mutuo, quod in hoc detur præſens pecunia pro futura, in Cambio datur pecunia vel præſens pro præſenti, ſed in alia ſpecie, vel datur alio loco.

D. 2. Cambium aliud eſt *reale*, dum reipſa una pecunia pro alia quoad rem vel locum commutatur: eſtque duplex, *manuale & locale*, aliud *ſiccum* vel *fictum*, quod habet ſpeciem Cambii, ſed in ſe eſt uſura palliata. *Manuale* vel *minutum* eſt, quo in eodem loco permutatur V. G. major cum minore, & econtra, aurea cum argentea aut ænea &c. *Locale* eſt, dum mutatur pecunia præſens cum diſtante: quod fit dupliciter: 1. hic Coloniæ a Campſore accipis pecuniam, ut ipſe eam per ſe vel per alium recipiat V. G. Romæ: 2. hic Campſori das pecuniam, ut eam Romæ recipias.

Obj. Pecunia duplicem habet valorem: primum ratione formæ, & hic ſtatutus a lege, eſtque *indiviſibilis*; ſecundum habet ob varias commoditates: V. G. una facilius tranſportatur, abſconditur, in vicinis locis pluris æſtimatur &c. qui dicitur valor *naturalis*, & pecunia habens tales commoditates pluris æſtimatur; quia ſunt pretio æſtimabiles.

(29) *D.* 3. In utroque Cambio licitum eſt accipere moderatum lucrum. *Patet* 1. ex receptiſſima timoratorum praxi, ſuntque Cambia valde neceſſaria, ſine quibus foret moraliter impoſſibile peregrinari per terras alienas, in quibus diverſiſſimæ dantur pecuniarum ſortes, & quæ in uno loco valent, non acceptantur in alio. *Patet* 2. quia accipitur lucrum per modum pretii ob titulum pretio æſtimabilem, & in Cambio locali eſt virtualis translatio pecuniæ in alium locum, pactum aſſecurationis, quo campſor pericula, expenſas in ſe ſuſcipit, & ab his Campſarium liberat; quæ ſine dubio ſunt pretio æſtimabilia.

Ob. Plus non valent 1000. floreni in moneta aurea; ergo ſi commutentur, non ideo licet aliquid accipere. ℞. *d. a.* plus non valent in emptione & venditione *c.* quia in his tantum attenditur valor legalis: in commutationibus pecuniæ pro pecunia *n.* quia hic attenditur valor etiam naturalis.

Inſt. 1. Non obſtante hoc valore Princeps taxavit monetam ad tantum valorem; ergo hic ſervari debet. ℞. taxavit ut eſt pretium rerum venalium, *c.* ut eſt res quædam pretioſa commoda &c. *n.* quia in taxatione pecuniæ attenditur uſus tantum principalis, qui eſt, ut pecunia ſit menſura rerum venalium.

Inſt. 2. Sicut aurea V. G. habet commoditatem ad tranſportandum, ſic ænea habet & ſuam quoad uſus quotidianos in emptione minutorum; ergo utilitas unius compenſat utilitatem alterius. ℞. *n. c.*. In cer-

tis

tis caſibus minuta prævalet; & ſic licet pro hac ſumere lucrum, & econtra.

Inſt. 3. Res non eſt carior, quia utilior emptori, *ut dictum eſt ſupra* (a); ergo ob commoditatem, quam habet emptor, non poteſt carius vendi. ℞. *d. c.* Si commoditas proveniat tantum ex parte emptoris *c.* ſi ex ipſa re empta *n.*

Reſ. 1. Cuivis licitum eſt cambiare, & ex hoc moderatum lucrum ſumere ſecluſa prohibitione magiſtratus, contra quam ſi agat, per ſe eſt tantum levis inobedientia; per accidens poteſt eſſe peccatum mortale, ſi cedat in grave damnum Reip.: V. G. ſi per hoc bonæ monetæ extra provinciam extrahantur, & malæ importentur. Officium campſoris prohibitum eſt Clerico, cui prohibetur negotiatio.

(30) *Reſ.* 2. Pretium juſtum hic eſt, quod a lege, conſuetudine aut æſtimatione timoratorum taxatur ſpectatis utrimque circumſtantiis. Sic in manuali, quo pecunia eſt melior, utilior, comparatu difficilior &c. eo majus poteſt eſſe pretium: in locali, quo major eſt loci diſtantia, translatio periculoſior, pecunia rarior &c.; quia pecunia hic conſideratur ut merx, cujus pretium creſcit & decreſcit ſecundum varietatem circumſtantiarum.

Reſ. 3. Minus debet exigi, dum virtualiter per litteras, quam ſi realiter transferretur pecunia; quia in primo minus eſt moleſtiæ & periculi.

Reſ. 4. Pretium ordinarium juſte accipitur, licet commutatio vel translatio aliunde ſit utilis campſori: V. G. accipit hic Coloniæ pecuniam, ubi illa indiget, ut aliam det Romæ, ubi habet otioſam; nam ſufficit translationem eſſe plerisque incommodam, & nunc fieri in gratiam campſarii. Patet in his exemplis: ſi conduxerim bajulum, ut pecuniam transferat Franco-

 fur-

(a) *Vid. Num. 6.*

furtum, hic, ſi aliquem reperiat, qui nomine ſuo illam certo ſolvat, ſine dubio pretium conductionis accipiet, licet hic maneat: ſi conduxeris Titium, ut equum tuum ducat Francofurtum, licet ille ex alia cauſa eo proficiſci deberet; imo forte equum tuum locato accepiſſet, licite acceptat pretium conductionis, ſi auriga juſta mercede accepta aliquem hinc vexerit Francofurtum, & gratis redire debeat, reverſurus accepto tantundem mercedis pretio poterit alium reducere, ac ſi nullam redeundi cauſam haberet, &c.

Reſ. 5. Non eſt injuſtum, ſi campſor præter ordinarium pretium cambii quærat lucrum ob majorem valorem pecuniæ in uno, quam alio loco.

(31) Q. *Quid de cambio temporali*, hoc eſt: ad certum tempus, quo V. G. hodie datur pecunia, ut cum lucro accipiatur intra 4. vel 5. menſes; hoc vocatur *Francofurtenſe:* eoquod ibi ſint nundinæ bis in anno, ubi mercatores dant cambium ad proximas nundinas, & quo magis illæ diſtant, eo plus exigunt?

℞. Non poteſt campſor aliquid exigere præciſe, quia longiorem terminum concedit; quia ex implicito mutuo videtur lucrari. Dixi: *præciſe;* hoc eſt: niſi intereſſe V. G. lucrum ceſſet, tunc enim dicendum eſt, *ut ſupra* (a). Sicque excuſari poterit cambium Francofurtenſe, quod alias videtur uſurarium, & ſecundum omnes in praxi periculoſum, & diſſuadendum a Confeſſario; quia tituli ſæpe finguntur a mercatoribus, vix enim dant cambium dilata ſolutione, niſi dum pecunia ipſis alias manet inutilis, & ubi deeſt periculum ſortem amittendi.

QUÆ-

(a) *De Contract. gratuit. Num.* 28.

QUÆSTIO VI.

(32) *Quid ſit Locatio, Conductio, & quænam Obligationes?*

D. 1. Locatio eſt *contractus, quo ad certum tempus uſus vel fructus rei aut perſonæ pro pretio datur.* Conductio eſt *contractus, quo uſus iſte vel fructus pretio accipitur.* Igitur in re ſunt unus contractus, *ut ſupra de emptione & venditione* (a) *dr. ad certum tempus;* hoc eſt: ad diem, menſem, annum, non tamen ad decennium in re immobili; alias erit emphytheuſis.

(33) *D.* 2. Obligationes locatoris ſunt ſequentes: 1. tenetur aperire vitia rei locatæ occulta & noxia, alias tenetur ad intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis, niſi bona fide proceſſerit: V. G. elocas equum ad transportandas merces, quem ſcis ſolere inſeſſorem, vel onus impoſitum excutere, aut ſe aquis immergere, teneris de damno. *Dixi: niſi bona fide*; tunc enim tenetur tantum reddere pretium elocationis, ſi alter re locata utiliter uti non potuerit. 2. Tenetur rem elocare pretio juſto, quod communi æſtimatione cenſetur commenſuratum uſui, & ſimilibus, vel proportionatum operæ intra latitudinem infimi & ſummi attenta praxi in tali loco ſervata a timoratis. 3. Tenetur ad expenſas pro rei locatæ conſervatione, reparatione & utilitate neceſſarias, de quibus J. J. & propriæ locorum conſuetudines. 4. Tenetur non expellere vel turbare conductorem ante elapſum terminum, niſi ex gravi cauſa; ut: ſi conductor renuat ſolvere penſionem, & intra biennium non ſolverit: ſi improviſus accidat caſus; V. G. domus debeat reparari, nec poſſit fieri remanente conductore: ſi conductor re locata abutatur in infamiam vel damnum locatoris: ſi ex fortuito

(a) *Vid. Num.* 1.

tuito caſu domus V. G. ſit neceſſaria locatori ad inhabitandum.

(34) *D.* 3. Conductor tenetur 1. Re uti ad uſum conceſſum tantum. 2. Rem conſervare, & domeſticis in ejus uſu invigilare, alias tenetur de damno ex culpa latâ & levi (a). 3. Facere aliquas expenſas; V. G. alere equum conductum. 4. Tenetur penſiones ſolvere tempore præfixo, & quidem in eadem natura, in qua promiſit, per ſe loquendo, ideoque non poteſt loco pecuniæ obtrudere vinum. 5. Poteſt rem locatam ſublocare, modo inde non patiatur primus locator.

Reſ. 1. Si conductor impediatur ab uſu rei ob impedimentum ortum ex parte ipſius rei, liberatur a ſolvenda penſione pro rata temporis; penſio enim ſolvitur pro uſu: ſic &, ſi res conducta ſine conductoris culpa fiat notabiliter minus utilis: V. G. domus ex parte ruit, vicino ædificante lumina obſcurantur, &c. poteſt conductor contractum reſcindere, & pro rata minoris utilitatis penſionem minuere.

Reſ. 2. Si impedimentum hoc oriatur ex parte elocatoris: V. G. elocavit agrum alienum, qui a legitimo poſſeſſore evincitur, ſi proceſſerit bona fide, non eſt ipſi ſolvenda penſio: ſi mala, inſuper tenetur reſarcire damnum emergens, & lucrum ceſſans.

Reſ. 3. Si conductor re uti non poſſit ob impedimentum ex ſua parte ortum, V. G. conduxiſti aurigam, & poſtea ob ſuperveniens negotium vel infirmitatem non vis, vel non potes uti: teneris adhuc ſolvere mercedem *l.* 38. *ff. Locati Conducti;* ſufficit enim, quod res conducta ſit parata ad ſervitium: ſi tamen talis V. G. auriga ſtatim inveniret alium, cui operam ſuam locaret, deberet ad minus primo conductori remittere, quantum a ſecundo lucraretur; in hoc enim non patitur damnum.

Reſ.

(a) *De injur. & Reſtit. in communi. Num.* 27.

Reſ. 4. Si ad annum V. G. conduxeris famulum in adjutorium tui officii, ancillam pro culina, &c. & poſtea mutato animo victum alibi quæras, officium reſignes, vel ex tua culpa illo priveris, ad aliud promovearis, ita ut non amplius indigeat opera talis famuli, teneris ſolvere mercedem pro toto anno. Conduxiſti famulos pro metendo tritico ad integram ſeptimanam, poſtea ob pluvias vel aliam cauſam non vis eos laborare, &c. teneris ſolvere ſalarium pro integra ſeptimana; ſic enim exigit æquitas, ut, ſicut ſi impedimentum oriatur ex perſona conducta, hæc careat mercede, ſic ubi oritur ex parte conductoris, hic debeat mercedem præſtare, & damnum ſentire.

(35) *Reſ.* 5. Conductor poteſt de penſione detrahere expenſas, quas facere debuit, V. G. ad reparanda ſarta tecta, feneſtras grandine deſtructas; &c. quia præſcindendo a ſpeciali pacto ad has tenetur locator.

Reſ. 6. In foro conſcientiæ ſecluſo ſpeciali pacto nec conductor, paterfamilias, nec famulus vel ancilla ſub gravi tenentur ad reparationem damni gravis, ſi non interceſſerit culpa Theologica gravis: in foro autem externo teneris, ſi habeatur culpa juridica levis; quia V. G. famulus non bene cuſtodivit ignem, circa pabulum equi non fuit adhibita diligentia &c. & ideo equus periit, quo caſu culpa famuli redundare ſolet in herum, eoquod non conſtituerit alium diligentiorem: & judex facile in foro externo præſumet negligentiam conductoris. Suppoſita jam condemnatione Judicis tenetur condemnatus in conſcientia ſe accomodare, *prout ex communi alibi dictum eſt* (a). Sic etiam tenetur auriga principalis pro culpa ſui famuli, quia principali incumbit vel per ſe ipſum, vel per famulum fideliter operam ſuam præſtiturum inſervire viatoribus, & ſibi imputet, quod fideliorem non conſtituerit.

(a) *De Reſtit. in Comm. n.* 27.

(36) *Reſ.* 7. Si absque culpa conductoris tanta ſit ſterilitas, ut fere nihil recipiatur, non eſt ſolvenda penſio. Idem eſt, ſi ſegetes ſine ipſius culpa pereant etiam collectæ in manipulos; Imo ſecundum multos, ſi collectæ, & illatæ in horreum pereant fulmine V. G.; eoquod talis caſus æquivaleat ſterilitati: & quamvis contrarium ſit probabilius, quia fructus jam in horreum collecti, imo, & a ſolo ſeparati pleno jure tranſierunt in dominium coloni, adeoque ipſi pereunt; attamen prior ſententia pietati Chriſtianæ magis conformis ſaltem a Clericis, & Religioſis eſſet amplectenda, ne ex nimio rigore ruſtici anſam ſumant detrahendi, & dein perdant confidentiam ad ſuum Parochum cum non raro periculo ſalutis animarum; poterunt tamen moneri, remiſſionem fieri ex miſericordia, ne trahant in conſequentiam. Si modica ſit ſterilitas, nil eſt minuendum de penſione, ſi notabilis, minuendum eſt pro rata ad arbitrium viri prudentis, niſi conſuetudo loci, vel partium conventio contradicat (ſæpe enim fit conventio ad non petendam remiſſionem, ſed tunc ob tale periculum notabiliter minor exigi debet penſio) vel niſi annorum præcedentium aut ſubſequentium ubertas compenſet, vel niſi modicum tantum ſolvatur in recognitionem dominii, quæ omnia in æquitate naturali fundata ordinantur a lege tum civili, tum canonica. An vero, dum eſt extraordinaria ubertas non proveniens ex induſtria coloni, augenda ſit penſio, videtur a pari æquum, quod ſit; praxis tamen eſt contraria, & merito: ordinarie enim fructus eo ſunt viliores, quo abundantiores. Sterilitas magna cenſetur, ſi deducto ſemine aliisque expenſis vix ſuperſit dimidium penſionis ſolvendæ.

(37) Q. 1. *An qui ante terminum locationis ſuccedit in bona locata, teneatur ſtare contractui?*

℟. 1.

℟. 1. Si ſit hæres univerſalis, tenetur: quia repræſentat ex fictione juris perſonam defuncti, & ſuccedit in omnia ejus jura, & onera realia. Similiter pupillus tenetur ſtare locationi factæ a tutore: Tutor: Prælatus, Beneficiatus ſtare locationi, aliisque contractibus initis a ſuis anteceſſoribus.

℟. 2. Hæres vel ſucceſſor particularis, ut: legatarius, donatarius, emptor &c. non tenetur rem relinquere ſub priori conductore, niſi ſpecialis adeſſet conventio: non poteſt tamen eum ſtatim expellere cum gravi illius damno: V. G. privando fructibus, quos ſeminavit in agro conducto. Sicut autem ſucceſſor particularis poteſt conductorem expellere ante terminum locationis, ſic & hic ſponte cedere; quia non eſt ex contractu obligatus hæredi particulari, ſicut eſt univerſali. Cæterum, ſi conductor ſine juſta cauſa ante terminum elocationis domum V. G. deſerat, debet, vel novum conductorem accipere, vel ipſemet ſolvere, licet domum non inhabitet.

(38) Q. 2. *An, qui pluribus operam ſuam in ſolidum locavit, poſſit a ſingulis accipere integrum ſtipendium?*

℟. Poteſt, ſi ejus opera æque commoda ſit ſingulis, ac ſi uni tantum præſtaretur; quia, ut ſupponitur, pro ſingulis ſunt ſeorſim ſuſceptæ obligationes ab invicem independentes, & per accidens eſt, quod mea opera ſimul ſit utilis alteri, nec hoc minuit ejus valorem; hinc ſi plures ſeorſim petant, ut pro illis aliquid feras Bonnam, potes a ſingulis integrum ſtipendium accipere, licet absque eo tui cauſa illuc ire deberes; idem eſt de ſimilibus multis. Econtra, qui ex officio exhibet operam ſuam communem, V. G. nuntius ordinarius, nauta, & ſimiles: non poteſt operam ſuam ſingulis in ſolidum locare; ſic nec qui pro altero

inſtituit peregrinationem, poteſt pro eadem ab alio accipere ſtipendium: nec Sacerdos legens Miſſam; quia hæc non proſunt multis, ſicut uni.

(39) *Q. 3. Quid de ſalario famulis dando?*

℟. 1. Famulis aliisque officialibus pretium juſtum eſt ſolvendum, modo fideliter laboraverint tali diligentia, quam diligentes in ejusmodi rebus adhibere ſolent; ſi autem hoc non fecerint, mercedem admittere non poſſunt niſi correſpondentem labori, & ſi plus acceperint, tenentur reſtituere, imo & compenſare damnum; ſi quod evenerit, & lucrum ceſſans.

℟. 2. Pretium juſtum eſt, quod paſſim dari ſolet hujusmodi operariis, ita, ut non ſit minus infimo, nec majus ſummo. Si conductor non egeat opera alterius, ſed ſolum exoratus ipſum conducat, ratione ultroneæ oblationis forte poteſt dari paulo minus. *Vide infra* (a).

℟. 3. Si operarius, vel artifex conveniat tecum de mercede per errorem minore, teneris defectum ſupplere, ſicut ſi emeris rem pretio infimo minore; alias enim non ſervatur æqualitas; nec cenſetur artifex liberaliter donare hoc, in quod ex ignorantia conſenſit. *Excipe:* niſi ſpes fuiſſet artifici plus accipiendi, quam mereretur, & periculum etiam minus accipiendi, & tibi pariter periculum plus, & ſpes minus ſolvendi, ſicque uterque ſe commiſiſſet ſpei, & periculo.

℟. 4. In rigore vi locationis non tenetur dominus ad ſtipendium, niſi pro tempore, quo famulus, vel ancilla ſervivit: hinc, ſi ad tempus ex parte ſua impediantur, poteſt pro rata temporis ſubtrahi ſalarium; merces enim datur propter operas conductas. Idem eſt, ſi fuerint infirmi; æquitas tamen poſtulat, &

(a) *Caſum 9.*

& timoratorum praxis eſt, ut etiam tempore infirmitatis ad breve tempus præbeant alimenta, nec ideo ſubtrahant de ſalario; aliud eſt de operario diurno: nec tenetur famulus poſt tempus locationis ſerviendo ſupplere tempus morbi.

℞. 5. Æquitas poſtulat, ut dominus pro curatione famuli ſui infirmi aliquales faciat expenſas, imo, ſi dominus ſit dives, & famulus pauper, ex lege charitatis tenetur ad expenſas majores; ſi enim quivis teneatur pauperi in neceſſitate vere gravi conſtituto ſuccurrere, ſaltem de ſuperfluis, a potiori talis dominus reſpectu famuli pauperis in ſuo ſervitio infirmati: attamen majores expenſas, ad quas ex charitate non tenebatur, poteſt detrahere de mercede, leviores cenſetur feciſſe ex pietate ſine obligatione refundendi.

℞. 6. Si famulus, vel ſimilis ante tempus absque cauſa legitima diſcedat, per ſe peccat graviter, & tenetur de damnis ex deſertione ſecutis, & in foro externo nihil ei conceditur. Econtra, ſi ex juſta cauſa, vel culpa domini diſcedere cogatur, V. G. ob hujus ſævitiam, vel quia allicitur ad illicita &c. debetur ei tota merces; in foro tamen conſcientiæ, ſi nullum inde paſſi ſint damnum, quia dominus æque bonum famulum, & hic ſervitium ſtatim invenit, ſolvi debet ſalarium pro rata temporis: hinc a Confeſſariis arguendi ſunt famuli, & ancillæ, qui ex mera obſtinacia, petulantia &c., & ſine gravi cauſa ante tempus ſua ſervitia deſerunt, præſertim, dum putant ſe neceſſarios, prout hodiedum ſæpe fit non ſine damno dominorum. Dixi: *ſine gravi cauſa;* quia dominus, vel conductor tenetur famulum, vel aurigam V. G. benigne tractare, ſervitiis injuſtis non onerare, honeſtum victum ſubminiſtrare &c. quæ ſi non fecerit, & ideo ob diſceſſum famuli damnum patiatur, ſibi imputet.

putet. Econtra per ſe graviter peccat dominus ex qualibet cauſa levi ante tempus famulum dimittendo; locatio enim eſt contractus oneroſus utrimque obligans ad ſui impletionem: prius ergo corrigi, increpari, moneri debet, quam dimittatur.

Ob. Qui conduxit artificem, vel operarium, V. G. fabrum lignarium pro conſtruendo certo ædificio, ſi is inter laborandum ex alto decidens frangat brachium, ita ut opus proſequi non poſſit, dominus ad nihil tenetur infirmo; ergo idem eſt de famulo.

℞. *n. c.* Hi artifices, vel opifices non ſolent conduci niſi in ſingulos dies, adeoque ſingulis diebus libere poſſunt dimitti, aut ipſimet ſponte abire: famuli, & ancillæ ſolent conduci ad annum.

QUÆSTIO VII.

(40) *Quid ſit Emphytheuſis, Feudum, & Libellus?*

D. 1. Emphytheuſis eſt *contractus, quo quis rei ſuæ immobilis dominium utile ad longum tempus transfert in alium retento ſibi dominio directo cum jure penſionis realis annuæ. dr. Ad longum tempus:* hoc eſt: non brevius decennio; qui accipit dominium utile, dicitur *Emphyteuta;* qui dat, *dominus directus.* Eſt autem emphyteuſis alia *Eccleſiaſtica,* quando talis fundus ſpectat ad Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas: alia *Laicalis*, ſi ad laicos. Utraque, vel eſt *perpetua*, vel *temporalis;* prima ſine reſtrictione ad certum tempus conceditur, ita, ut etiam ad hæredes tranſeat, & ideo vocatur Germanice Erbrecht, vel Erbgerechtigkeit. *Temporalis* conceditur ad certum tempus V. G. ad dies vitæ, vocaturque vitalitium Lehnrecht.

D. 2.

D. 2. Emphyteuta tenetur 1. in ingreſſu emphyteuſis ſolvere laudemium, & ſingulis annis ſolvere Canonem, ita quidem, ut, ſi in Eccleſiaſtica per biennium, in laicali per triennium integrum, etiam non monitus non ſolvat, perdat emphyteuſin cum omnibus meliorationibus, niſi cleri ſatisfactione moram purgaverit; hoc eſt intra paucos dies poſt tempus elapſum penſiones omiſſas ſolverit. 2. Tenetur fundum, vel rem ſibi commiſſam in ſuo ſtatu conſervare, eaque uti, & frui, ſicut decet bonum patremfamilias, de quo ubi de dominio (a). 3. Damna per culpam levem etiam domino directo illata reſarcire ſaltem in foro externo. 4. Rem emphyteuticam, ſicut, & melioramenta ordinario elapſo tempore reſtituere, *denique* ſine conſenſu domini non poteſt alienare.

Obſ. Laudemium hic dicitur certa pecunia, quæ domino directo dari debet, & quidem de jure communi quinquageſima pars pretii, quo a peritis res emphytheutica æſtimatur tempore conceſſionis; quoties autem hoc dari debeat, pendet ut plurimum a Contractu ſemel inito, vel etiam a recepta, & approbata locorum conſuetudine.

D. 3. Dominus directus tenetur 1. colonum inveſtire, tradendo uſum, & fructum, idque intra annum, & diem. 2. Non augere laudemium in emphyteuſi hæreditaria, quando fit mutatio emphyteutæ V.G. per mortem prioris, uti nec augere Canonem. 3. Remittere de Canone, ſi hic ſit magnus, quando eſt ſterilitas *prout ſupra* (b). Si res ex toto pereat, non tenetur emphyteuta ad Canonem, ſi ex parte, tenetur pro rata.

(41) *D.* 4. Feudum eſt *conceſſio rei immobilis ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis:* differt potiſſimum

(a) *Vid. de Jur. & Juſtit. n.* 11.

(b) *Vid. Num.* 36.

mum ab emphyteuſi ex parte oneris, quod in uno eſt reale, in altero perſonale. Concedens feudum dicitur *Infeudator*, germanice Lehnherr, accipiens *Feudatarius*; *Vaſallus* ſive Lehnmann. Feudum etiam ſumi ſolet pro ipſa re ad uſum conceſſa germanice: Lehngut, ut contra diſtinguitur ab allodio ſive bonis allodialibus, hoc eſt: frey-eigene Güter.

(42) *D.* 5. Libellus hic dicitur *Contractus ſubfeudalis vel ſub-emphyteuticus, quo quis rem acceptam in feudum, vel emphyteuſin alteri tradit pro penſione ſibi quoque ſolvenda*, quod fieri poteſt cum conſenſu domini directi. Plura de his juriſtæ, qui in dubio de ſimilibus conſulendi ſunt.

QUÆSTIO VIII.

(43) *Quid de Contractu ſocietatis?*

D. 1. Contractus ſocietatis hic eſt *conventio duorum, vel plurium ſuam ſortem ad negotiationem conferentium in ordine ad commune lucrum.* Ad hunc contractum requiritur 1. ut fundetur in negotiatione licita; alias ante factam negotiationem eſt nullus; expoſt tamen lucrum eſt dividendum, quantum licite fieri poteſt, *ut ſupra de acceptis ob turpem cauſam* (a). 2. Singuli ſocii debent aliquid in commune conferre, ſive pecuniam, ſive operam, navem, equum &c. prout conventum eſt. 3. Diviſio lucri debet fieri ſecundum proportionem ſortis a ſingulis allatæ; hinc, ſi V. G. duplo pluris æſtimetur labor, & induſtria prudentis viri, quam pecunia ab alio appoſita, ille duplo plus debet lucrari; ſic enim æquitas naturalis, & juſtitia dictat. 4. Sicut lucrum debet eſſe commune; ita, & periculum pro rata collatæ ſortis; hinc ſiquis ad ſocietatem contulerit duo millia, alter mille,

(a) *De Contract. in genere. n.* 30.

mille, & negotiando incurrant damnum aliquod, prior duplo plus debet pati: ſicut, ſi contingeret totam maſſam a ſingulis collatam caſu fortuito perire, ille prior duplo plus perderet. Hinc 5. requiritur, ut ſors principalis, vel pecunia per quemlibet in commune collata ſubjaceat periculo conferentis, ita ut, ſi ſine alterius ſocii culpa lata, vel levi pereat, ipſi conferenti pereat. *Denique* juſta pacta ab initio inter ſocios inita ſervari debent, vel ſi nihil ſpecialiter ſit expreſſum, ſervetur recepta loci conſuetudo; hinc, qui ſocios decipit, lucrum commune V. G. non fideliter manifeſtando, tenetur ad reſtitutionem. Difficultas hic eſt: an in ſocietate licitus ſit contractus triplex, in quo fit aſſecuratio ſortis, & venditio incerti lucri pro certo: V. G. Petrus dat paulo 100., ut ſimul cum eo ſuam operam pariter conferente negotietur, timens vero, ne ſui 100. naufragio V. G. pereant, petit aſſecurationem ſortis, & poſtea volens eſſe certus de lucro, vendit eidem lucrum majus ſperatum ex negotiatione pro lucro minore certo, quod ſpeculative per ſe licitum videtur; nam hi contractus ferme ſecundum omnes ſunt liciti, ſi recte ineantur ſeorſim cum extraneis; ergo, & ſi ſimul cum eodem, & ſocio; nam certum eſt, ſpem lucri vendi poſſe non minus, quam jactum V. G. retis: dum ergo Petrus dat 100., & Paulus promittens induſtriam ſperat lucrum V. G. 12., ex quibus pro aſſecuratione ſortis poterit remittere Paulo 5., adeoque remanet ſpes lucrandi 7.; ex his pro aſſecurando lucro remittere duos, ſicque debet 5. ſolvere, ubi interveniunt tres tituli, ſocietatis, venditionis, & aſſecurationis, cumque dominium pecuniæ maneat apud eum, qui illam confert, non lucratur ex alieno. Attamen in praxi vix eſt ſine uſura palliata; & ne talis ſit, debet 1. ſocius contractum aſſecurationis lubens admittere; 2. pecunia aſſumi

mi ad negotiandum, & quidem etiam nomine illius, qui contulit capitale; alias non eſt contractus ſocietatis. 3. lucrum certum eſſe moderatum attento capitali, & ſpe lucri majoris, ut ſit moralis æqualitas. Interim in praxi probabilius nequit ſuſtineri tum ob definitionem Sixti V. in Bulla *Deteſtabilis* anno 1586. edita, tum ob difficultatem ſtatuendi, quod juſtum eſt, tum quia deponenti ſæpe parum refert, an & qualiter cum pecunia negotietur, modo ipſe lucrum habeat, aut datur illi, qui negotiaturus cum illa non eſt, ubi indubie eſt illicitus.

(44) *Reſ.* Societas in traditione animalium licite fit 1. ut capita ſtent periculo dantis ſecluſa culpa recipientis, & emolumenta ſint communia. 2. Si animalia dentur paſcenda, ut damnum, & lucrum totum cedat ruſtico, & hinc refundat pretium, quia eſt venditio. 3. ut periculum ſit commune, & ex emolumentis primo obventuris tradens accipiat pretium animalium, quæ dein cum ſuis emolumentis ſint communia. 4. licet ruſtico locare boves ad arandum, ut tempore meſſis ſolvat menſuras quasdam frumenti.

Ob. Sic poterunt palliari omnes uſuræ; ergo ℞. *n. a.* plures mutuantes non cenſentur dare pecuniam ad ſocietatem, cum ipſis perinde ſit, an mutuatarii poſſint, vel velint negotiari, an non, nec ineunt contractum aſſecurationis, ſi ſe ipſos aſſecurent accepto pignore.

D. 2. Societas finitur 1. finito negotio, vel pereunte re V. G. navi, in qua fundabatur. 2. finito tempore conſtituto. 3. per conſenſum ſociorum: ſi unus tantum renuntiet ſine juſta cauſa, ſolvitur ex parte aliorum, non ipſius, ſicut in ſimili dicitur, ſi ſponſus ſine juſta cauſa reſiliat. 4. morte naturali unius ſocii, imo, & civili, ſi V. G. ingrediatur religionem; nec ideo reliqui ſocii tenentur admittere hæ-

redem

redem illius, cum illis non conſtet de hujus fide, & induſtria.

Reſ. Si ſocietas finiatur, cuilibet ſua ſors reddenda eſt, licet nullum adſit lucrum, nec ideo, qui operam ſuam quaſi gratis perdidit, poteſt aliquid e ſorte aliorum prætendere; quia ſi pecunia periiſſet, ſuo domino periiſſet; ergo, & opera domino periit, & hoc, licet opera tua duplo plus valuerit, quam alterius pecunia; tunc enim plus lucri tibi debebatur, nihil tamen de ſorte aliorum.

QUÆSTIO IX.

(45) *Quid ſit fidejuſſio, aſſecuratio, pignus & hypotheca?*

D. 1. Fidejuſſio eſt *contractus, quo quis in ſe ſuſcipit obligationem alterius, in eventu, quod ille eam non adimpleverit:* pro hac

Reſ. 1. Omnes illi poſſunt fidejubere, qui aliis contractibus ſe, & ſua obligare poſſunt, quod aliqui facere prohibentur, ut fœminæ, minores; de quibus J. J.: nec Clerici poſſunt obligare reditus ad ſuam ſuſtentationem pertinentes: nec Prælati ſine conſenſu Capituli de bonis Eccleſiæ.

Reſ. 2. Fidejuſſor tenetur ante ſententiam Judicis; ſuccedit enim in locum debitoris.

Reſ. 3. Fidejuſſio eſt beneficium pretio æſtimabile; hinc poteſt fidejuſſor pro illo aliquid accipere, & quidem tanto plus, quo major eſt ſumma, vel potius, quo majus eſt periculum, ne debitor ſolvat; imo probabilius, ſi nullum ſit periculum, vel moleſtia, poteſt modicum accipere; quia hanc obligationem in ſe ſuſcipere de ſe pretio æſtimabile, ideoque, & creditor poteſt aliquid accipere pro eo, quod fidejuſſorem liberet a ſua obligatione.

Reſ. 4. Obligatio fidejuſſoris tranſit ad hæredes; quia omnis obligatio ex juſtitia, & contractu ad hæredes tranſit, niſi ſit pure perſonalis, aut jure excipiatur, ut Societas.

Reſ. 5. Fidejuſſor non poteſt ad plus obligari, quam debitor principalis, cum ejus perſonam gerat: & ceſſante obligatione principalis (ſi V. G. ei debitum remittatur) ceſſat obligatio fidejuſſoris, quæ eſt acceſſoria, poteſt tamen fidejuſſor obligari arctius: ſi V. G. addat juramentum, ſi fidejubebat pro obligato tantum naturaliter V. G. minorenni contrahente ſine licentia curatoris; tunc enim obligatur etiam civiliter. Pariter ſi non tantum te obligaveris ad aſſecurationem debiti, ſed & ſecuritatem contractus, caſu quo a ſuperiore, vel legis beneficio reſcinderetur, obligaris etiam debitore principali non obligato.

(46) *Reſ.* 6. Ordinarie non poteſt fidejuſſor conveniri, niſi facta ſufficiente compulſione debitoris conſtet eum non eſſe ſolvendo. Dico: *ordinarie;* quia ſi deſuper conſtet, aut ipſe conveniri non poſſit, poteſt conveniri fidejuſſor.

Reſ. 7. Si fidejuſſor pro principali ſolverit, hic tenetur ei refundere una cum damnis, ſi quæ paſſus ſit ex mora, vel culpa debitoris.

Reſ. 8. Si fidejuſſeris ad certum tempus V. G. annum, & principalis impetret temporis prorogationem liber es: ſecus, ſi indeterminate. Quod ſi debitor bona ſua dilapidare incipiat, poteſt fidejuſſor a Judice petere liberationem, & contra debitorem agere, ut eum liberet ſolvendo creditori, aut ſufficientia pignora ſubſtituendo.

Reſ. 9. Si creditor debiti petitionem ſuo tempore neglexerit, & poſtea debitor factus ſit impotens, fidejuſſor non tenetur; jam enim creditor imputet ſuæ negligentiæ.

(47)

(47) *D.* 2. Aſſecuratio eſt *contractus, quo quis rei alienæ periculum in ſe ſuſcipit, obligans ſe ad compenſandum, ſi perierit:* V. G. nauta ſe obligat pro certo pretio, quod velit ſecure tranſportare merces, vel alius etiam extraneus dicit: ſi dederis mihi 100. aſſecuro, quod merces tuæ ſalvæ ſint adventuræ; & ſi perierint, earum valorem tibi reddam. Differt a fidejuſſione, quod hæc habeat locum in debitis ex contractu tantum, illa in quibuscunque, & quod fidejuſſor teneatur tantum in defectu debitoris principalis: aſſecurator vero, licet principalis ex juſto titulo liberaretur.

D. 3. Aſſecuratio pro pretio ut licita ſit, requiritur 1. ut ſubſit, vel ſaltem bona fide ab utraque parte credatur ſubeſſe periculum; hinc ſi aſſecurator privatim ſciat, navem, de cujus naufragio timetur, appuliſſe ad portum, nullus eſt contractus, licet ſecundum famam communem credatur eſſe in periculo, quia cum ſolum periculum ſaltem putatum ſit titulus aliquid exigendi, ubi conſtat nullum eſſe periculum, nil poteſt exigi, Aliud foret: ſi talis aſſecurator ex ſua ſpeciali dexteritate per amicos, & correſpondentes ſciat evitare periculum, quod revera ſubeſt. Similiter non poteſt petere aſſecurationem, qui ſolus ſcit, rem periiſſe; eſt enim dolus dans cauſam contractui, eſtque contractus ſortis, in quo debet eſſe periculum perdendi, & lucrandi. 2. Requiritur, ut ſit æqualitas inter pretium, & periculi ſuſceptionem; quo enim majus periculum, eo plus poteſt petere aſſecurans, ideoque debet de periculis moneri, niſi jam nota ſint. 3. Aſſecuratus ideo non debet minuere diligentiam, navis V. G. non debet gravari aliis oneribus &c. 4. Requiritur, ut aſſecurans habeat, unde ſolvat; alias nullus eſt contractus, teneturque pretium, ſi receperit, reſtituere, etiamſi res ſalva conſiſtat.

(48) *D.* 4. Pignus eſt *contractus, quo res mobilis traditur creditori in ſecuritatem debiti.* Hypotheca, *quo res immobilis remanens apud debitorem obligatur creditori in ſecuritatem debiti:* eſt autem Hypotheca alia *Specialis*, qua res ſpecialis V. G. villa obligatur, & obligata manet apud quemcunque poſſeſſorem: alia *Generalis*, quæ extenditur ad omnia bona præſentia, & futura, quæ non impedit, quo minus bona vendantur; quia pretium ſuccedit in locum rei: alia eſt *Expreſſa*, quæ ex partium conventione conſtituitur, vel ex præcepto Judicis, vocaturque pignus prætorium: alia *Tacita*, quæ lege conſtituitur: ſic bona tutoris ſunt tacite hypotheca pro adminiſtratione.

Reſ. 1. Eadem res poteſt pluribus ſimul hypothecari, ſi eorum creditis æquivaleat, alias non: & tunc, ſi data ſit ſecundo, ſciente primo, prior cenſetur juri ſuo cedere: ſi inſcio primo, manet illi ſalvum jus, ſed ſecundo ignoranti manet actio contra debitorem, ut rem aliam ſufficientem ſubſtituat.

Reſ. 2. Si pignori adjectum ſit pactum, ut vendatur, niſi intra certum tempus redimatur, elapſo tempore vendi poteſt etiam non monito debitore: ſi nullum pactum ſit, ut vendatur, & debitor elapſo tempore monitus non ſolvat intra biennium, poteſt vendi; imo, ſi pactum ſit, ut non vendatur, adhuc vendi poteſt, facta trina cum aliquot dierum intervallo monitione; hæc enim eſt natura pignoris: quomodo enim per pignus aſſecuraretur debitum, ſi altero nolente ſolvere, non poſſet diſtrahi?

Reſ. 3. Licet creditor ſine licentia non poſſit uti re ſibi oppignorata, *de quo ſupra* (a). Poteſt tamen alteri oppignorare eo modo, quo ſibi data eſt; hoc enim eſt tantum cedere alteri jus ſuum, quod per ſe lici-

(a) *De Contract. gratuit. n.* 19.

licitum eſt, ſi fiat ſine damno debitoris. Hinc conſenſus utendi facile adeſt, ſi nullum inde damnum debitori ſequatur. Periculum autem, fructus, expenſæ &c. pertinent ad debitorem; quia manet illius dominus.

QUÆSTIO X.

(49) *Quid de ludo, ſponſione, & transactione?*

D. 1. Ludus eſt *contractus, quo ludentes inter ſe conveniunt de certo pretio victori ſolvendo:* ubi ſpes lucrandi emitur periculo perdendi ſortem ſuam. Eſt triplex: *Primus* a ſola fortuna dependet, humana induſtria, aut dexteritate nihil, aut parum conferente. *Secundus* a ſolo ingenio, induſtria, vel dexteritate. *Tertius* partim a fortuna, partim ab humana induſtria notabiliter dependet.

Reſ. 1. Omnis ludus per ſe loquendo, & ſiſtendo in jure naturali eſt licitus, ſi adſint conditiones requiſitæ: imo poteſt eſſe actus virtutis, ſi debito modo fiat, quæ virtus vocatur Eutrapelia; hinc homo melancholicus, ſi moderate ludat ad expellendam melancholiam, alius ad moderatam animi delectationem, exercet actum virtutis.

Reſ. 2. Conditiones requiſitæ ſunt ſequentes: 1. Ut ludens poſſit libere diſponere de re, quam exponit: ubi recolenda ſunt dicta *de Religioſo, uxore, filio-familias, marito.* 2. Ut ad ludendum non cogatur dolo, vi, aut gravi metu, minando V. G. percuſſionem, ſi ludum non continuet. 3. Ut non miſceantur fraudes contra leges juſtas, quas vel ipſi ludentes ſibi impoſuerunt, vel recepta loci conſuetudo poſuit. 4. Ut inter ludentes ſit aliqua paritas, & unus ſimulatione imperitiæ alium multo imperitiorem

ad ludendum non provocet, qui alias noluiſſet. Si una ex his deſit, lucrum eſt reſtituendum, quod de prima patet, & in tribus ultimis fraus, & dolus dant cauſam contractui; qui tamen injuriam eſt paſſus, ſi lucretur, retinere poteſt, cum ex parte ipſius ludus ſit juſtus: ſic etiam, ſi ſponte ludas cum alio peritiore ignorans illius peritiam, ille licite retinet; tibi enim imputes, quod cum eo, cujus peritiam ignoras, ludere velis; ſi tamen alter ſit quaſi certus de lucro, aut ſimulet ſe imperitum, ut ſimplicem inducat ad ludum, tenetur reſtituere; quia ludus eſt injuſtus, in ludo enim erga periculum perdendi emitur ſpes lucrandi: ſi ergo hæc ſit quaſi certa, nullum eſt perdendi periculum.

(50) *Reſ.* 3. Ludus per accidens ſæpe eſt illicitus; ſi V. G. fiat cum ſcandalo, quod facile eſt in Religioſo; ſi per eum ludens exponatur perjuriis, blasphemiis, rixis; ſi negligat ſuum officium, reddat ſe impotentem ad ſolvenda debita &c. imo licet ipſe tale periculum non ſubeat, ſi tamen colludentes ſimili periculo ſe exponant, peccat graviter cooperando illorum peccatis. Ludere præciſe propter lucrum, non videtur malum; quia deſiderium lucri honeſti, vel modo licito acquiſibilis nullam in ſe continet malitiam; alias omnes mercatores debemus condemnare avaritiæ, vel peccati.

Reſ. 4. Ludus alearum (quo nomine venit omnis ludus, qui magis fortuna, quam arte regitur) jure poſitivo prohibitus eſt tam laicis, quam Clericis: laicis ad evitanda mala gravia ex his ludis regulariter evenientia, ut ſunt perjuria, blaſphemiæ, bonorum dilapidationes &c. ſpecialiter Clericis; quia hos decet ſe occupare lectione, ſacrarum ſcripturarum ſtudio, & quærere lucrum animarum, non pecuniarum: hanc tamen prohibitionem quoad laicos non eſſe in vigore,

ſaltem,

ſaltem, ubi ludus eſt moderatus, docet praxis timoratorum, ideoque per ſe non videntur peccare, ſi ludus de ſe non ſit malus, nec ex circumſtantiis vitietur; Clerici autem, & Religioſi arctius obligantur per *Trident.* (a) Attamen authores non condemnant illos peccati mortis, niſi frequenter, nimis ſumptuoſe, aut publice cum ſcandalo ludant; imo nullo modo peccare videntur, ſi honeſto luſu V. G. chartarum (ubi ſimul & principaliter concurrere debet humana ſagacitas) potius ad oblectandum animum, quam ob lucrum ſe occupent; quia videtur honeſta recreatio, modo fiat raro, moderate, ſine clamore, contentione, & ſimilibus, & Religioſis ſpecialiter non prohibeant eorum conſtitutiones.

(51) *Reſ.* 5. Comparata per ludum prohibitum non ſunt reſtituenda ante Judicis ſententiam; quia ludus ideo non eſt invalidus. Qui tamen ſic perdidit, & ſolvit, poteſt per ſententiam Judicis repetere, ideoque, ſi nondum ſolverit, non tenetur ſecluſo juramento; ubi enim conceditur actio datum repetendi, merito conceditur exceptio, ne detur; hinc ante ſolutionem poteſt victorem terrere minando repetitionem in judicio, ſicque paciſci de parte ſaltem, licet non habeat animum ſic repetendi; quia cedit juri ſuo, quod eſt pretio æſtimabile; intellige hæc: ubi leges dantes actionem victo adhuc vigent, & de ſumma notabili; quia communiter docent Theologi, modicam ſummam deberi ſolvi ab eo, qui perdidit.

(52) *Reſ.* 6. Qui ſcienter ludit cum non potente alienare V. G. Religioſo, peccat; quia habet animum lucrandi, quod non poteſt accipere; imo præſcindendo ab hoc cooperatur alterius peccato. Qui non poteſt alienare, ſi lucretur, tenetur reſtituere; quia non

(a) *Seſſ.* 22. *cap.* 1. *de Reform.*

eſt æqualis conditio, niſi alter hoc ſciat; tunc enim ei non fit injuria.

Reſ. 7. Qui non habet, quod perdat non poteſt lucrari; ideoque, qui non poteſt perdere, niſi florenum V. G., non poteſt uno jactu plus lucrari.

Reſ. 8. Religioſus ex conſenſu tacito, vel præſumpto ſuperioris poteſt ludo exponere, quantum leges, opes, & conſuetudo in ea religione permittunt; ſi plus exponat, peccat contra juſtitiam, & paupertatem. Filius extra domum paternam, quod honeſta, & moderata recreatio permittit ſecundum conditionem ſuam. Idem eſt de uxore. *Vide ſupra* (a).

Reſ. 9. Si Religioſus in ludo alias non multum exceſſivo multum lucretur, poteſt inconſulto ſuperiore totum exponere durante eodem moraliter ludo; quia ante finem ludi, lucrum non cenſetur plene acquiſitum; in alio moraliter ludo id non poteſt; quia jam eſt acquiſitum monaſterio, & deeſt licentia tantam ſummam exponendi.

(53) *Reſ.* 10. Qui ludit animo non ſolvendi, tenetur reſtituere, ſi lucretur; quia contractus ludi ex ſe eſt oneroſus, & ſi alteruter non habeat animum ſolvendi, eſt nullus, ſic etiam, qui exponit monetam adulterinam, tenetur reſtituere, quod lucratus eſt; niſi voluerit aliam ſubſtituere. Qui autem ſine animo ſolvendi ludit, & perdit, tenetur ſolvere, ſaltem vi contractus innominati; cum enim alter perdendo ſolvat, non poteſt acceptare, niſi æquivalenter dicat: quia mihi das, ego tibi dabo, ſi perdam.

Reſ. 11. Licitum eſt inter ludendum uti aſtutiis per leges ludi permiſſis, & conſuetudine receptis; in has enim utraque pars tacite conſentit; hinc, qui V. G. advertit ſe habere chartas viliores, poteſt invitare alium ad augendam ſponſionem, ut territus victoriam cedat; licite

(a) *De Contract. in genere. n.* 25. *& ſeq.*

licite inſpicis chartas alterius ex ipſius negligentia, non mones, dum contra ſe errat; quia ipſius eſt in ſuo negotio attendere. In ipſo luſu licite diſcis differentiam chartarum, obſervatis notis &c.; non tamen licet ſtudioſe notare, abſcondere, permutare, ſpecula diſponere, ut chartas alterius videas, per alium hoc explorare &c.: qui hæc facit, non tantum tenetur reſtituere lucrum, ſed & quantum colludenti valebat ſpes lucrandi; qui tamen ſecluſa fraude adhuc fuiſſet lucraturus, non tenetur reſtituere; quia tunc fraus habet ſe per accidens, & in damnum non influit.

(54) *D.* 2. Sponſio eſt *contractus, in quo duo de alicujus rei eventu, & veritate incerti certantes ſibi invicem aliquid ſpondent, quod ſit illius, qui veritatem aſſecutus fuerit.* Hinc contractus eſt licitus, ſi adſint conditiones in ludo requiſitæ. Difficultas eſt, an ſi unus ſit certus de rei veritate, poſſit ſpondere, & præmium retinere, modo moneat alium de ſua certitudine.

℞. Si alter non credat, ſed erronee deceptus pergat velle ſpondere, non poteſt; quia eſt error circa ſubſtantiam; emitur enim ſpes lucrandi periculo perdendi, quod tunc non eſt, niſi tamen deceptus liberaliter condonet: ſi putans te eſſe certum, ex poſt deprehendas, te non fuiſſe certum, peccaſti ſpondendo, ſed non teneris reſtituere; quia a parte rei fuit periculum perdendi.

(55) *D.* 3. Tranſactio eſt *conventio extrajudicialis utrimque oneroſa de re dubia, lite, aut controverſia jam mota dr. Dubia;* quia transfigens non debet eſſe certus rem alteri eſſe debitam, aut adjudicatam per ſententiam, a qua non detur juſta appellatio. Si unus ſine onere cedat prætenſioni ſuæ, non eſt tranſactio, ſed amicabilis compoſitio.

De Contractibus oneroſis.

Caſus I. Cajus 1. eandem rem ſucceſſive vendidit duobus. 2. Merces pluris ad creditum ementibus vendit, quam qui ſtatim ſolvunt. 3. Vendens vinum vetus ad menſuram immiſcet quintam partem vini novi. 4. Vendens carnes ſic dividit, ut amicis det meliores, aliis viliores eodem pretio. 5. Magno nuper pretio vendidit infimam ſortem tabacci nobili hanc præ aliis eligenti. *Denique* ſciens pretium frumenti brevi minuendum mox omne ſuum vendit. *Q.* 1. *Quid ſit emptio, & venditio? quodnam pretium juſtum? & ex quibus creſcat, vel decreſcat rei pretium?* 2. *Quid ad caſum?*

℞. *Ad* 1. Emptio, & venditio ſunt unus contractus, quo emptor, & venditor conveniunt de danda merce erga pretium, & econtra. (a) juſtum pretium eſt, quod mercis valori adæquatur; igitur omnis emptio, & venditio latitudinem juſti pretii excedens eſt injuſta, & reſtitutioni obnoxia (b). Pretium vulgare creſcit, ſi ſit mercis penuria, & emptorum copia, & econtra (c). *Ad* 2. *in* 1. Si nulli adhuc ſit tradita, debetur primo: ſi ſecundo ſit tradita, primus habet actionem contra venditorem, ſed ſecundus poteſt rem retinere, niſi venditorem induxerit ad vendendum, aut mala fide proceſſerit, &, ſi primus emptor rem intra annum non repetat. *In* 2. Si manſerit intra latitudinem pretii vulgaris, non peccavit; ſi exceſſerit, eſt uſura, niſi adſit titulus excuſans ab illa, prout ſæpe eſt. *In* 3. Excuſari poſſet, ſi idem practicent alii mercatores, quibus ſi ſe non conformaret, nil fere lucri haberet; nec aliunde notabiliter excedat juſtum pretium. *In* 4. Injuſte facit, quia tenetur non gravare unum, ut faveat alteri. *In* 5. Tenetur ad reſti-

(a) *Vid. Num.* 1. (b) *Num.* 2. (c) *Num.* 4.

reſtitutionem exceſſus, quia hæc ſors tabacci communi intelligentium æſtimatione non erat tanti valoris; particularis guſtus nonfacit rem meliorem. *In* 6. Si ſcientia fuerit privata, non peccat contra juſtitiam, licet contra charitatem poſſit, ſi uni totum vendat; quia eſt pretium commune juſtum pro nunc.

Caſus II. Ivo Juriſconſultus pius, & doctus vendit colono prædium, a quo alter cauſidicus illud per miras ſtrophas, & artes injuſte definitiva ſententia pro ſe lata extorquet. Q. 1. *An venditor teneatur emptori de evictione, vulgo:* Schadloshaltung, *caſu quo alter eam in judicio evincit ut ſuam?* 2. *Quid ad caſum?*

℞. 1. Tenetur, quamvis id expreſſe non addatur. ℞. 2. Ivo in foro externo non tenetur; quia colonus de mota ſibi lite eum ſtatim non monuit, prout debebat. ℞. 3. In conſcientia videtur Ivo obligatus ex charitate, & æquitate naturali aſſiſtere colono, ut prædium injuſte ſibi ablatum recuperet expenſis ſaltem coloni, ſicut debuiſſet expenſis propriis, ſi ſtatim monitus fuiſſet; qui enim dat eſſe rei alicui, tenetur illam, quantum eſt de ſe conſervare.

Caſus III. Titius 1. audiens, quod Cajus velit emere equum ad vehendum onera, ſed non multum expendere, vendit ei equum lalorantem occulto defectu. 2. Emit horologium portatile, quod audiens ablatum a Petro ſtatim vendit alteri, aut reddit ei, a quo emerat. 3. Dat ancillæ butyrum vendendum pro 5. ſtufferis, quæ vendit pro 7. 4. emerat villam cum vaccis tribus, ovibus 12. poſt tres menſes parata pecunia tradendam, aſt interim fatali incendio villa cum pecoribus conſumpta eſt. Q. 1. *An in prioribus peccaverit?* 2. *Ad quid teneatur ancilla? & quid de villa?*

℞. 1.

℟. 1. Si equus adhuc ſit idoneus ad vehenda onera, licet habeat aliud vitium occultum, modo pretium ſit commenſuratum equo vitioſo, non peccat; nullam enim facit injuriam: ſi autem ad hoc parum, aut nihil ſit utilis, contractus eſt nullus; quia error in ſubſtantia morali (a). ℟. 2. Licet bona fide emerit, attamen non poterat alteri vendere; quia res clamat ad ſuum dominum, cui tenetur gratis reddere; poterat tamen repetere pretium a fure, permittendo ſaltem denuo auferri, ſi aliter recipere non potuerit; non enim tenetur cum tanto ſuo incommodo conſervare rem domini. *Ad.* 2. Tenetur domino dare 7.; quia taxatio fit, ne minoris vendat, vel pluris emat (b). *Ad* 3. Tenetur ſolvere pretium villæ; quia rei determinatæ in individuo abſolute emptæ periculum non minus, quam incrementum ad emptorem pertinet: vaccas, & oves, ſi emerit indeterminate, non tenetur ſolvere; quia talis emptio eſt quaſi conditionata, ſi tradideris, ſi determinentur (c).

Caſus IV. Titius mutuat Cajæ viduæ 100. florenos cum aliis pecuniis otioſe reſervatos, ea lege, ut ſibi oppignorentur ædes Cajæ 100. florenis æſtimatæ, quas ipſa ſola cum ancilla inhabitat, & præter quas nil quaſi habet, & ſingulis inſuper annis 5. det florenos per modum intereſſe. *Q.* 1. *Quid, & quotuplex ſit cenſus?* 2. *An licitus?* 3. *Quid ad caſum?*

℟. 1. Eſt contractus, quo emitur certo pretio jus percipiendi penſionem, ex re, vel perſona alterius fructifera: alius *realis*, alius *perſonalis*; *redimibilis*, *irredimibilis*, *vitalitius* (d). *Ad* 2. Etiam utrimque redimibilis eſt probabiliter licitus; eſt enim vera emptio,

(a) *Vid. Num.* 11.
(b) *Vid. Num.* 15.
(c) *Vid. Num.* 14.
(d) *Vid. Num.* 21. & 22.

ptio, & venditio, quæ poteſt fieri cum pacto revenditionis temperato pretio pro rata oneris: deinde jus ad penſiones ex re, vel induſtria perſonæ alienæ eſt pretio æſtimabile (a); *Ad caſum* ℞. eſt uſura; quia nullus eſt titulus exigendi intereſſe, nam cenſus debet fundari ſuper re, vel perſona fructifera (b), ſed Caja non habet rem fructiferam, cum nil habeat præter ædes, quas inhabitat, & ut ſupponitur, elocare non poteſt, nec ipſa poteſt quid lucrari, cum ſit infirma: nec adeſt periculum ſortis, cum aſſecurata; nec lucrum ceſſans, cum pecunia otioſe ſit in ciſta.

Caſus V. Titius vendens cenſum aliunde emptori debet 100. recipitque illa 100. in partem pretii. Q. *An licite? an ex penſionibus non ſolutis poſſit creari cenſus?*

℞. Utrumque prohibet Pius V. Prima prohibitio non videtur includere illos, qui bona fide utiliter anticiparunt ſolutionem; nec injuſtum eſt penſiones non ſolutas addere capitali, & ideo penſionem majorem exigere; ſi enim ex debitis a debitore poſſim emere equum, cur non cenſum? ſed charitas ſæpe prohibet ſic urgere miſeros debitores, eſtque illicitum, ubi viget conſtitutio S. Pii V.

Caſus VI. Cajus architectus ſingulis ſeptimanis e caſſa Principis accipit pecuniam in auro, ut operariis det mercedem, quam per amicum permutat cum pecuniis minutis non ſine notabili auctario, quod ſibi retinet: idem conduxit equos, ut rheda ſua proficiſceretur alio, cumque in via audiret de hoſtibus, continuo urget aurigam, ut acceleret, qui tandem impatiens equos ſolvit, ac domum revertitur Cajo in campo relicto, qui a militibus ſpoliatur. *Deni-*

(a) *Num.* 23. (b) *Num.* 24.

Denique famulum nuper conductum, quia loquax, incurius, bibax eſt, intra annum dimiſit, qui, cum alium dominum habere non poſſit, egeſtate premitur. Q. 1. *An illud cambium ſit licitum? 2. An juſte petat compenſationem ab auriga? 3. Ad quid teneatur famulo dimiſſo?*

℞. *Ad* 1. Non peccat, nec ulli facit injuriam; non Principi, qui per hoc nil patitur, nec lucrum hoc induſtriæ curat; alias per ſuos miniſtros caperet; nec patiuntur operarii; quia recipiunt mercedem debitam V. G. tot florenos, & ante actualem traditionem non habent jus in hanc ſortem pecuniæ; peccaret autem Cajus, ſi ſolveret merces mercatoribus, qui ideo carius eas venderent, ut fieri ſolet, non ſine damno, & diminutione honoris Principis. *Ad* 2. Juſte petit compenſari damna; potuit enim, & debuit auriga hæc prævidere, niſi injuſte fuerit coactus ad accelerandum ultra vires equorum; aut niſi injuſtam tractationem, vel verbera rationabiliter timuerit; non enim tenebatur ea exſpectare. *Ad* 3. Oportebat prius ſerio monere, & corrigere (a), & quia priores defectus ſunt minoris momenti, non potuit ideo dimitti, adeoque compenſanda ſunt damna; aliud eſt, ſi propalatio cederet in grave dedecus domus, ſi deprehendatur infidelis, potui exceſſivo nimis deditus, ſi jactaverit ſe peritum in aliquo, & non ſit &c.

Caſus VII. Cajus conductas a Titio ædes inhabitans multos habet famulos ſibi pro artificio neceſſarios; quorum unus nuper ex officina abiit relictis ibidem prunis, quas pro opere conficiendo intulerat, quæ mox excandeſcentes officinam, imo & totam domum in cineres redegerunt; Titius facile ſuſpicatus hoc malum culpa alicujus domeſtici accidiſſe,

(a) *Vid. Num.* 39.

ſe, petit ſibi domum compenſari a Cajo. *Quid Juris?*

℞. Non tenetur in conſcientia, niſi probetur accidiſſe ex culpa famuli, qui communiter pro negligente eſt habitus, & tamen a Cajo in domum admiſſus, vel toleratus. Ita ſatis communiter; quia in jure dominus tenetur de culpa ſervi, ſi culpam in inducendis famnlis admittat, ergo ubi non eſt culpa, non tenetur: ſed non eſt culpa, ſi alias ſedulos domeſticos induxit, & ſelegit. Aliud eſt in foro externo accedente culpa juridica levi, & ſententia judicis (a). In dubio, an incendium acciderit culpa, vel caſu, actori incumbit probatio, & delictum in dubio non præſumitur.

Ob. Incendia plerumque fiunt culpa inhabitantium, ergo præſumptio eſt pro locatare. *R. d. a.* culpa inhabitantium, quæ imputari debeat conductori *n.* quæ non imputari debeat *c.*

Caſus VIII. Famulus confitetur 1. negligens ſæpe fui in laboribus. 2. Dum promo vinum, ſæpe bibo in cella, imo quandoque mediam amphoram ſumo, & veſperi bibo, cogitans herum non eſſe invitum. 3. In itinere pro hero plus conſummo, quam neceſſe ſit. 4. Rigide mercando vendo ultra, & emo infra taxam ab hero factam, quod ut pretium induſtriæ mihi retineo: *Denique* adverti fieri furta in domo, & non detuli ad herum. *Q. Quid ad hæc Confeſſarius?*

℞. *Ad* 1. Si notabiliter deficiat in diligentia ordinaria, & communiter a bonis famulis adhiberi ſolita, peccat per ſe graviter, & tenetur in conſcientia de damno emergente, & lucro ceſſante; ad majorem ſecluſo pacto non tenetur. *Ad* 2. Poteſt graviter peccare, niſi vinum ibidem ſit vilis pretii, & prudenter

(a) *Vid. Num.* 35.

ex

ex circumſtantiis præſumat conſenſum heri. Moneantur famuli & ancillæ, ut data occaſione heros interrogent, quid ſibi liceat in illis, quæ vel ipſi conſummunt; vel pauperibus dant: quia quandoque ſibi perſuadent licere, quæ non licent: *Ad* 3. Tenetur reſtituere, quia heri cenſentur tantum conſentire in ſumptus congruos & neceſſarios. *Ad* 4. Non poteſt; taxatio enim fit, ne minoris vendat, & pluris emat: vendit, & emit nomine heri, qui nihil ex juſtitia ipſi debet pro induſtria, quam non exegit. *Ad* 5. Si facta ſint ab extraneis, tenetur compenſare; quia videtur eſſe tacitus contractus, & de jure gentium, quod famulus tueatur res domini ſui contra extraneos: ſi a domeſticis, etiam tenetur, ſi res ſint ipſi ſpecialiter commiſſæ (a).

Caſus IX. Petrus pauper, cum res ſibi neceſſarias comparare non poſſit, Paulum enixe rogat, ut eum qua famulum recipiat promittendo ſe quinque imperialibus fore contentum, idemque operaturum, quod alii, quibus decem & ultra dari ſolent, quod facit Paulus. Q. *An bene?*

℞. Si Paulus indigeat famulo, cui ad minus decem dare deberet, non eſt in conſcientia tutus dando Petro quinque; cum, ut ſupponitur, idem, quod alius, mereatur; nec cenſeatur exceſſum dare liberaliter: lege naturæ dignus eſt operarius mercede ſua, & ex alterius indigentia non debet diteſcere (b), ſicut non poſſum dimidium pretii juſti dare, eoquod venditor neceſſitate compulſus vendat: ſi autem non indigeat famulo, & tantum conducat, ut ipſi gratiam faciat, excuſari poſſet; eoquod ipſi plus non proſit ejus opera. Generaliter debet dari merces juſta ſaltem infima, & ſi de hoc conventum ſit, acquieſcendum eſt, ſi de ſumma, hæc ſolvenda eſt.

Caſus

(a) *De Reſtit. in Comm. n.* 72.
(b) *Vid. Num.* 39.

Caſus X. Titius nobilis habet prædium pingue, quod a ſuis progenitoribus cuidam colono pro canone ducentorum florenorum fuit traditum, quia vero Princeps a Titio intuitu ſuorum bonorum novas exigit contributiones, ideo inſinuat colono, niſi in futurum ſolvat trecentos, prædium alteri conferendum. Idem alteri dedit molendinum ſub certo canone, quod, quia nondum elapſo anno integro exorta tempeſtate rivus exundavit, fundamentis molendini everſis totum corruit. *Q. in 1. an potuerit juſte cogere ad augmentum canonis, & poſtea oblatum recipere? In 2. an alter adhuc teneatur ſolvere canonem?*

℟. *Ad* 1. *neg.;* quia uſusfructus talis prædii a progenitoribus translatus eſt in moderni coloni familiam, ergo non eſt amplius in poteſtate & dominio Titii, ergo pro hoc non poteſt juſte exigere augmentum, ergo nec licite acceptat; etſi enim colonus dicat ſe libenter dare, non dat niſi ad redimendam vexam injuſtam. *Nec juvat*, quod Princeps a Titio novas exigat contributiones etiam intuitu hujus prædii; nam hoc Princeps facit ob bonum publicum, Titius ob privatum. *Deinde* colonis hoc tempore ob bona illa intolerabiles ſæpe imponuntur contributiones a Principe; ergo non debent novo onere gravari a Titio. *Ad* 2. Si inundatio contigerit ſine culpa, tenetur ſolvere tantum pro rata temporis, quo frui potuit, & deinceps, quamdiu ſumptibus Titii non fuit reædificatum, ad nihil tenetur ratione molendini; quia rei deſtructæ non datur dominium, neque utilitas; ſi contigerit ex culpa, V. G. non reparavit aggerem, tenetur Titio compenſare totum damnum & intereſſe (a).

Caſus

(a) *Vid. n.* 34.

Caſus XI. Cajus Emphyteuta profitetur in religione. *Q. Quid de Emphyteuſi?*

℟. Si religio illa non ſit capax bonorum immobilium, pertinet ad hæredes legitimos, ſi ſit capax, tranſit ad monaſterium ad dies vitæ iſtius religioſi; quodſi ſit hæreditaria, poſt mortem religioſi debet vendi, aut alius religioſus in individuo ad dies vitæ & poſt hujus mortem alius, & ſic deinceps tanquam Emphyteuta conſtitui; quia alioquin proprietarius amitteret omnem ſpem accipiendi laudemium, quod ipſi debetur, dum Emphyteuſis tranſit ad novum Emphyteutam.

Caſus XII. Titius in ſocietatem confert 3000. imperiales ea lege, ut reliqui ſocii hujus ſummæ periculum in ſe ſuſcipiant, ipſe tertiam tantum partem lucri ſibi alias competentis accipiat; quem contractum, cum confeſſarius judicet uſurarium, non vult abſolvere Titium, niſi deſiſtat. Idem cum fratre germano fidejuſſit pro Cajo, a quo Princeps cautionem 2000. florenorum exegerat, Cajus vero male adminiſtrans officium, debet Principi 5000., quos mortuo Titio Princeps exigit ab illius hæredibus. *Q.* 1. *Quid ſit ſocietas?* 2. *Quid fidejuſſio?* 3. *An Confeſſarius potuerit negare abſolutionem?* 4. *An Princeps potuerit juſte exigere* 5000.? *Denique an ab hæredibus Titii?*

℟. *Ad* 1. Eſt conventio plurium conferentium aliquid ad lucrandum idoneum in ordine ad negotiationem & commune lucrum: eſt licita, ſi debitæ adſint conditiones (a). *Ad* 2. Eſt contractus, quo quis ſuſcipit in ſe obligationem alterius in defectu principalis: hæc obligatio de ſe eſt pretio æſtimabilis, hinc pro ea aliquid accipi poteſt (b). *Ad* 3. Potuit; quia probabilius eſt illicitus; ergo Titius fuit indiſpoſitus; ergo

(a) *Vid. Num.* 23. (b) *Num.* 45.

ergo non habuit jus ad abſolutionem facta confeſſione. *Ad* 4. Non potuit exigere, niſi 2000.; quia ad hos ſolum ſe obligavit, nec Princeps majorem cautionem poſtulavit; aliud eſt, ſi ſe ſimpliciter obligaſſet terminis etiam generalibus. *Ad ultimum:* potuit exigere ab hæredibus; quia obligatio hæc ad hæredes tranſit, non tamen totum, niſi frater fuerit impos, tunc enim potuit, quia dum plures fidejuſſerunt in eadem cauſa, ſinguli tenentur in ſolidum, ut habetur expreſſum in lege.

Caſus XIII. Cajus luſui chartarum adeo eſt deditus, ut in eo dies integros, ſæpe & noctes impendat: ſemel a conjugata multum pecuniæ eſt lucratus; ſemel alium ad ludendum induxit non ſine lucro notabili. 2. Concurrentibus tribus ad beneficium parochiale cum unoquoque ſeorſim ſpondet tres ducatos, quod non ſit accepturus, ſciens occulte, nullam habere ſpem: 3. tranſactione cum Titio facta circa rem dubiam, ex poſt invenit certo ad Titium pertinere. Q. 1. *Quid ſit ludus? 2. Quid ſponſio? An licita? Et quid ad caſum?*

℟ *Ad* 1. Ludus eſt contractus, quo ludentes inter ſe conveniunt de pretio victori ſolvendo: de ſe eſt licitus, per accidens ob aliorum peccatorum periculum ſæpe graviter illicitus (a). Sponſio eſt contractus, quo certantes de veritate, vel eventu alicujus rei ſibi invicem aliquid ſpondent dandum ei, qui veritatem attigerit: eſt etiam licita, ſi, ſicut in ludo, abſit fraus, ſit utrimque periculum, &c. (b). ℟. 2. Ad caſum: ſi Cajus ſit Clericus, peccavit graviter ob frequentiam, ſimiliter, ſi ſuperfluos reditus beneficii expoſuerit &c. ſi laicus, inquirendum eſt, an ideo omiſerit præceptum aliquod graviter obligans, an colluſori vel adſtantibus

 fuerit

(a) *Vid. Num.* 49. & 50. (b) *Vid. Num.* 54.

fuerit ſcandalo, an bona etiam communia dilapidaverit, ſe ad ſolvenda debita impotentem reddiderit &c. (a). *In* 2. Si uxor luſerit ex bonis, quæ dominio vel adminiſtrationi mariti ſubſunt, & quidem ultra, quam ſimiles facere ſolent, tenetur reſtituere. *In* 3. Si induxerit injuſto metu, fraude, V. G. ſimulatione imperitiæ, tenetur ad omne damnum; quia fuit injuſta cauſa. *Ad* 2. Non poteſt certare, deeſt enim periculum perdendi: ſi tamen ſinguli haberent ſpem probabilem, poſſet; nulli enim injurioſa eſſet hæc aſtutia; nam reſpectu cujuslibet ſeorſim adeſt periculum perdendi & ſpes lucrandi. *Ad* 3. Si ſincere facta ſit transactio ſine dolo, gravi injuſto metu, & Titio dederit, quanti tunc valebat jus illud dubium, poteſt retinere. Ita habetur. *L. ſub prætextu* (b).

DISSERTATIO ULTIMA.

DE ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid & quotuplex ſit ultima voluntas, & quænam Solemnitates requiſitæ?*

Ultima voluntas hic eſt *libera diſpoſitio, qua quis decernit, quid de rebus ſuis poſt mortem fieri velit.* Species hujus ſunt: Teſtamentum, Codicillus, Legatum, Fideicommiſſum & Donatio mortis cauſa; *de qua ſupra* (c).

D. 2. Teſtamentum eſt *voluntas ultima, & juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri cupit,*

(a) *Num.* 50. (b) *L.* 19. *Cod. de transactione.*
(c) *De Contract. gratuitis. n.* 10.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

pit, cum directa hæredis inſtitutione. *Dr. Ultimæ;* non quod Teſtamentum revocari non poſſit, ſed quia fertur in tempus poſt mortem naturalem vel civilem (qualis eſt profeſſio Religioſa) qua firmatur & irrevocabile redditur. *Dr. Juſta;* hoc eſt: conformis legibus, & non repugnans bonis moribus. *Dr. Cum directa hæredis inſtitutione;* per quod differt a Codicillo, & aliis ultimis voluntatibus. Teſtamentum aliud eſt *ſolemne*, quod habet omnes ſolemnitates juris, diciturque perfectum: aliud *non ſolemne*, quod nullas, vel non omnes habet juris ſolemnitates: aliud *privilegiatum* quod non omnes has ſolemnitates requirit, quale eſt teſtamentum inter liberos factum a parentibus, teſtamentum ad cauſas pias &c. Solemne aliud eſt *clauſum*, ſive *in ſcriptis*, quod in Scripturam eſt redactum, debito modo ſubſcriptum, & ſubſignatum: aliud *nuncupativum* ſive *apertum*, quod ſine Scriptura fit oretenus, nuncupato coram teſtibus hærede, ſive dein Notarius in Scripturam redigat pro memoria & ulteriore probatione, ſive non: aliud eſt *pium* ſive *ad cauſas pias*, ad quod requiritur non tantum, ut teſtator ex pietate procedat, ſed etiam, ut pietas ſe teneat ex parte perſonæ, in cujus favorem diſponit: ut: ſi fiat in favorem pauperis qua talis; hinc tale eſt, ſi in teſtamento inſtituatur pauper conſanguineus, & ſufficienter ex tenore teſtamenti colligatur, ei hæreditatem relinqui ex pio motu miſericordiæ, vel in honorem Dei, & animæ ſalutem.

(2) *D.* 3. Codicillus eſt *ultima voluntatis diſpoſitio, qua ſine hæredis directa inſtitutione quædam in teſtamento explicantur, mutantur, adduntur &c.* Legatum eſt *donatio quædam particularis a defuncto relicta, ab hærede alteri præſtanda*, ſumiturque ſæpe pro ipſa re legata. Fidei-commiſſum eſt, *quo fidei hæredis a teſtatore committitur aliquid ſuo tempore dandum al-*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

teri, idque vel tota hæreditas, ſi V. G. moriatur ſine prolibus, & dicitur Fidei-commiſſum generale: vel pars, & coincidit cum legato.

(3) *D.* 4. Ad Teſtamentum ſolemne ſcriptum jure communi civili requiruntur hæ ſolemnitates: 1. Debet ſcribi litteris vel ab ipſo teſtatore, vel ejus juſſu ab alio nominatim expreſſo. 2. Debent ſpecialiter rogari 7. teſtes; hi debent eſſet præſentes ſimul ab initio ad finem, teſtatorem non audire tantum, ſed & videre, debent eſſe jure habiles. 3. Coram teſtibus ſic præſentibus teſtator debet dicere, vel ſuo nomine curare dici, in charta, quam ſubſcribendam exhibet, contineri ſuam ultimam voluntatem. 4. Omnes teſtes debent ſubſcribere ſua nomina, vel, ſi unus nequeat, alter pro ipſo, addendo, ſe ad hoc requiſitum. 5. Omnes hi teſtes debent ſignare Scripturam ſigillo proprio, vel alieno, modo exprimat ſe ſubſigillaſſe ſigillo alieno. *Denique* hoc negotium debet fieri in eodem moraliter contextu, *de quo Civiliſtæ.* Ad Teſtamentum ſolemne nuncupativum eædem fere ſolemnitates requiruntur, excepta ſubſcriptione, & ſubſignatione: de Jure autem Canonico tantum requiruntur duo aut tres teſtes cum Parocho. Dixi *ſupra: de jure communi;* quia pro particularibus locis poſitæ ſunt leges particulares, & multa de jure communi requiſita in plerisque locis non amplius vigent.

(4) *D.* 5. Probabilius eſt, teſtamentum non privilegiatum ſine ſolemnitatibus factum eſſe invalidum pro utroque foro. Quod ſit invalidum pro foro externo, poſſitque a Judice declarari nullum, concedunt omnes propter claros textus. An etiam pro foro conſcientiæ, diſputatur in utramque partem vere probabiliter; quod ſufficit Confeſſario. Interim *Ratio noſtra eſt;* quia leges, quando abſolute loquuntur, abſolute ſunt intelligendæ, niſi aliunde colligatur reſtri-

ſtrictio; ſed leges irritantes teſtamentum ſine ſolemnitatibus factum abſolute loquuntur, ergo. *m. p.* Dicunt enim: *Non ſubſcriptum autem a teſtibus, aut non ſignatum teſtamentum pro infecto haberi convenit* (a); ſed infectum nequidem naturalem inducit obligationem. Pariter dicunt (b): *Imperfectum teſtamentum ſine dubio nullum eſt.* Sicut ergo Adverſarii obligationem illam naturalem negant in hærede ab inteſtato poſt ſententiam Judicis, qui declaravit ultimam voluntatem ex defectu ſolemnitatis eſſe nullam, ita nos eandem efficaciam damus ipſi legi; injuſtum enim eſſet, cogere Judicem, ut faveat huic petitioni, quando ipſi conſtat, hoc teſtamentum coram Deo valuiſſe.

Ob. Voluntas illa ultima obligat in conſcientia, quæ habet omnia requiſita jure naturæ, gentium & divino; ſed voluntas ultima firmata duobus, vel tribus teſtibus habet omnia illa requiſita ad faciendam plenam fidem ergo. ℞. *D. M.* Si hæc voluntas per juſtas leges non ſit inhabilitata *c.* ſi ſit. *n.*

Inſt. 1. Dominia rerum transferuntur voluntate efficaci transferentis, non ſolemnitate juris. ℞. Ut ante, ſi hæc voluntas non ſit per juſtas leges inhabilitata. *c.* ſi ſit *n.*

Inſt. 2. Leges harum ſolemnitatum fundantur in præſumptione fraudis; ergo ubi conſtat, hanc non adeſſe, valet teſtamentum in foro conſcientiæ, quia ceſſante fine legis ceſſat lex; patet hoc in lege correctionis fraternæ, quæ ceſſat, ubi nulla eſt ſpes emendationis, quæ eſt ejus finis. ℞. *D. a.* In præſumptione fraudis particularis, vel facti. *n.* Univerſalis, vel ſaltem in periculo communi fraudis. *c.* Et ideo obligant, licet in particulari non adſit fraus (c). Ad paritatem de correctione fraterna. ℞. *diſp. eſt:* quia finis

(a) *L. ſi qræramus* 4. *ff. qui teſtamenta facere poſſunt.*
(b) *Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur* §.6. & 7.
(c) *Vid. Part. I. de Legib. n.* 43.

finis adæquatus hujus legis eſt bonum particulare corripiendi, quod, ubi ceſſat, etiam ceſſat obligatio legis; ſed finis legum hic eſt bonum commune, quod non ceſſat ex aliquo particulari caſu. Simile eſt in contractu matrimonii ſine ſolemnitatibus a Tridentino requiſitis.

Inſt. 3. Ex *L.* 16. *c. de teſtamentis:* relicta in teſtamento non ſolemni, & ſoluta repeti non poſſunt; ſed ubi ſolutum repeti non poteſt, eſt ſaltem obligatio naturalis, ergo. *Dein* Pontifex declaravit non requiri tot teſtes. ℞. *d. M.* Repeti non poſſunt propter obligationem naturalem ortam ex voluntate defuncti. *n.* Ortam ex eo, quod per talem ſolutionem hæres ſponte renuntiaverit juri ſuo, voluntatem defuncti agnoſcendo, & Fideicommiſſum inutiliter relictum præſtando. *c.* Alias, ſi ſolverit, putans teſtamentum eſſe ſolemne, cum non ſit, cognito errore repetere poteſt ſolutum, ut expreſſe habet alia lex (a). Ad alterum ℞. valet pro locis Pontifici etiam temporaliter ſubjectis. *c.* Pro aliis. *n.*

(5) *D.* 6. Teſtamentum ad cauſas pias valet pro utroque foro, modo ſufficienter conſtet de voluntate teſtatoris. Eſt communis, & certa ex conſenſu hodie fere omnium, & communi praxi omnium tribunalium. *Ratio eſt:* quia jus Canonicum quoad cauſas pias (inter quas reputatur teſtamentum pium) in utroque foro ſervandum eſt etiam a laicis juxta varios Canones; cumque Jus Canonicum nullam ſolemnitatem requirat ad teſtamentum pium, nec requirere poteſt Jus civile; proinde teſtamenta pia regulantur præciſe juxta Jus naturale, quod in teſtatore requirit uſum rationis, actualem voluntatem, & poteſtatem diſponendi ſecundum Jus gentium, & Canonicum; & licet hoc requirat duos, vel tres teſtes; eos tantum requi-

(a) 7. *Cod. de cond. & indebiti.*

quirit ad probandam voluntatem teſtatoris, ſi aliunde probari non poſſit: qui teſtes debent eſſe habiles ad teſtandum de aliis negotiis ſecundum Jus Canonicum; unde poſſunt eſſe mulier, impuberes, non rogati. Inepti vero ſunt ſervi, infames infamia juris, criminoſi non emendati, excommunicati vitandi. Nunc pro praxi.

Reſ. 1. Hæres, quia ab inteſtato ſucceſſit, poteſt usque ad Judicis ſententiam bona defuncti retinere. Econtra non ſolemniter inſtitutus, ſi alter nondum ſit in poſſeſſione, tuto hæreditatem adire: ſi bona fide ſine dolo adierit, retinere, donec per ſententiam Judicis evincat hæres ab inteſtato, propter probabilitatem ſententiæ utriusque; poſt ſententiam tamen Judicis, qui debet declarare, illud teſtamentum eſſe nullum, reſtituere tenetur; quia ſententia eſt juſta, legibus conformis, etiamſi de teſtatoris voluntate expreſſe conſtet; quia teſtatori defuit poteſtas ita de bonis ſuis ſine ſolemnitatibus efficaciter diſponendi ad cauſas non pias.

(6) *Reſ.* 2. Qui adit hæreditatem in teſtamento non ſolemni ſequens ſententiam oppoſitam, tenetur ſolvere legata etiam non pia, licet probabilius ſint nulla; nam hoc ipſo, quod in ſui favorem ſuſtineat, teſtamentum eſſe validum, debet, & ſtare pro valore legatorum; alias certo peccat, vel contra jus legatarii, vel hæredis ab inteſtato.

Reſ. 3. Legata non pia teſtamento ad pias cauſas non ſolemniter facto inſerta ſunt præſtanda; quia ſubſiſtente principali etiam acceſſoria conſiſtunt, ut habet *R. J.* 42. *in* 6.

Reſ. 4. Corruente propter defectum ſolemnitatum teſtamento, etiam corruunt legata profana; quia acceſſorium ſequitur principale: legata vero pia ſubſiſtunt, non ſubſiſtente teſtamento, cui inſeruntur.

Reſ. 5. Quamvis hæreditas non adeatur, ſive, quia eam hæres repudiavit, ſive, quia ante mortuus eſt, legata pia nihilominus ſunt præſtanda; quia, quod legata peti non poſſint ante aditam hæreditatem, eſt ſolemnitas juris. Item legata pia ſunt immunia a detractione falcidiæ, & trebellianicæ, ut habet novella 131.

(7) *Reſ.* 6. Si herus, vel domina cuidam fideli, & pauperi famulo V. G. dicat in ſecreto; poſt meam mortem accipe hanc rem V. G. pecuniam, quam tibi ut pauperi lego, poteſt poſtea clam accipere, & retinere, ſi nemo ſe opponat; quia pro foro conſcientiæ ſufficit, quod quis ſciat voluntatem transferentis: & acceptet, quamvis pro foro externo per duos teſtes probare debeat.

Reſ. 7. Si hæredi quomodocunque conſtet defunctum ſtatuiſſe, ut aliquid detur in pias cauſas, ad hoc tenetur in conſcientia, licet neque ſcripto, neque teſtimonio probetur; quia in foro conſcientiæ opus non eſt probatione, dum conſtat de voluntate.

Reſ. 8. Si moriens cœperit diſponere de ſuis, & morte præventus (prout ſæpe contingit) non abſolvat, licet quoad alia irrita ſint, quæ diſpoſuit, valent tamen pia legata.

(8) *Reſ.* 9. Si Parochus, vel Confeſſarius poſt mortem alicujus proferat ſchedulam continentem pia legata, & probetur eſſe manum teſtatoris, aut ipſe Confeſſarius ſubſcripſerit, attamen coram duobus teſtibus, qui poſſunt eſſe quicunque, V. G. æditiuus, niſi forte in propria cauſa, fides omnino habenda erit. Vocentur autem ſemper duo, vel tres domeſtici, coram quibus moriturus jubeat contenta executioni mandari, addendo, quod in hunc finem Confeſſarium, & teſtes vocaverit.

Reſ.

Reſ. 10. Male facit Parochus, vel Confeſſarius, qui ſine alterius præſentia diſpoſitionem infirmi excipit, vel dictatam annotat, animo poſtea referendi hæredibus; quia non tenentur credere juxta illud: *unus teſtis nullus teſtis*, niſi ſufficientia, & probantia indicia proferat, quia alias plurimæ fraudes contingerent.

Reſ. 11. Si dominus decumbens dixerit V. G. famulo ſuo: eſto fidelis in ſervitio tuo, ero memor tui in teſtamento, tibi legabo 100., & poſtea morte præventus non fecerit teſtamentum, nihil poteſt prætendere famulus, minus occulte accipere, quia per ſimilia nondum exprimitur actualis diſpoſitio, ſed pia quaſi affectio de facienda diſpoſitione, quod non ſufficit ad actualem dominii translationem.

Reſ. 12. Conſultius eſt legata facere independenter a teſtamento; quia teſtamenta ob ſolemnitates plurimis periculis exponuntur, ſolentque hæredes depauperari, Advocati diteſcere, & teſtatores loco ſuffragiorum nonniſi maledicta recipere: indicet autem teſtibus, quod noluerit facere teſtamentum, ſed mera legata; ut hoc hæredibus ab inteſtato innoteſcat.

(9) *Reſ.* 13. Teſtamentis piis accedunt quædam privilegiata; nam 1. ſi pater totum teſtamentum ſcribat, vel ſubſcribat, exprimat diem conditi teſtamenti, non per cifras, ſed per litteras, & verba, nomina ſingulorum liberorum, & ſalva ſingulorum legitima ſpecificet quantitatem, valet teſtamentum; licet nullus teſtis, vel alia ſolemnitas adſit. Si vero ſit nuncupativum, ſufficit, quod per duos teſtes conſtet de voluntate patris; intellige de teſtamento pro liberis, non pro extraneis. 2. in teſtamentis militum duo: in teſtamentis ruſticorum. 5. teſtes ſufficiunt, ſi plures commode haberi non poſſint. 3. tempore peſtis valet coram duobus teſtibus. 4. teſtamentum oblatum

latum Principi, vel magiſtratui valet absque omni ſolemnitate, modo demonſtretur eſſe oblatum.

(10) *Reſ.* 14. Forma Codicilli eſt eadem, quæ teſtamenti, cum ſit illius acceſſorium. Si vero fiat ſine teſtamento, ſufficiunt 5. teſtes non rogati, nec qualificati, modo ſint ſimul præſentes, & ſi Codicillus ſit ſcriptus, nomina ſua ſubſcribant.

Reſ. 15. Donatio mortis cauſa firmatur ſola morte donantis, nec ullatenus pendet a valore teſtamenti.

(11) *Reſ.* 16. Quælibet ultima voluntas ex natura ſua ante mortem eſt revocabilis, ſalva ſemper legitima hæredum neceſſariorum; nam teſte Apoſtolo *teſtamentum .... in mortuis confirmatum eſt :* revocatur autem per factum teſtatoris contrarium, ſi V.G. ſcriptum laceret, item per aliud teſtamentum ſubſequens &c.; unde non obſtat., quod teſtamento adjecta ſit clauſula omni diſpoſitioni contrariæ derogans, modo dicat teſtator, ſe pœnitere prioris voluntatis; imo ſi juraſſet non revocare, adhuc valide, quamvis illicite, revocat; quia ex una parte juramentum non mutat naturam teſtamenti de ſe revocabilis, manetque teſtator dominus rerum ſuarum, ex parte altera ſervandum eſt juramentum, dum licite poteſt. Quodſi tamen gravis cauſa emergeret, V.G. graves rixæ, inimicitiæ certo futuræ, licite revocaret; quia juramentum, ſicut actus, cui apponitur, involvit tacitam conditionem: niſi emergat cauſa rationabilis revocandi. Similiter renuntiatio, vel pactum circa hæreditatem adhuc viventis, in favorem tertii eſt invalidum, etſi fuerit juramento firmatum; quia hoc juramentum eſt contra bonos mores, & in præjudicium tertii; quia inducit votum captandi mortem alterius: unde ſi filia accipiens dotem dicat, ſe ea eſſe contentam, & renuntiare paternæ hæreditati, poteſt adhuc poſtea petere complementum ſuæ legitimæ portionis.

Obſ. Teſtamentum gravi metu injuſto extortum nullius eſt valoris; quia libertas teſtandi debet eſſe pleniſſima, ſalva legitima hæredis neceſſarii. Idem eſt, ſi teſtator falſis ſuggeſtionibus, vel dolo inductus ſit ad teſtandum, non, ſi ſolis blanditiis, lachrymis, precibus. Circa legata adhuc

(12) *Reſ.* 1. Legatum acquiritur ab ignorante ſine acceptatione hoc ſenſu: quod fictione juris dominium ejus ad diem mortis retrotrahatur, niſi ſit conditionatum.

Reſ. 2. Nullum legatum ſolvi debet, niſi poſtquam omne æs alienum teſtatoris ſolutum fuerit, ut habetur in lege.

Reſ. 3. Si nemo ex hæredibus adeat hæreditatem, legata profana una cum teſtamento corruunt: ſi autem adeatur hæreditas, & ſit abſolute legata res determinata, fructus ejus debentur legatario a die mortis teſtatoris: ſi vero res indeterminata abſolute ſit legata, ita, ut determinatio ſit penes hæredem, dominium non transfertur, nec fructus debentur, niſi a tempore, quo hæres fuit in mora tradendi, vel determinandi; ſimiliter, ſi res ſit tantum determinata in quantitate, & natura, V.G. 20. modii tritici, 100. floreni, acquiritur tantum actio hypothecaria.

Reſ. 4. Legatum purum debetur ſtatim a morte teſtatoris, & transmittitur ad hæredes legatarii, ſi is moriatur, antequam hæres adeat hæreditatem.

(13) *Reſ.* 5. Legatum relictum ſub conditione non debetur ante adventum conditionis; ſi tamen conditio ſit negativa, ſive de non faciendo: V.G. ſi religionem Catholicam non deſerueris, ſtatim peti poteſt, modo legatarius præſtet cautionem de re reſtituenda cum ſuis fructibus, caſu quo conditionem non impleverit; ratio eſt, quia alias legatum non obtineret, quamdiu poſſet a fide deficere.

Reſ.

Reſ. 6. Legata facta in diem certum V.G. ſolvenda prima Januarii æquivalent abſolutis, & tranſeunt ad hæredes, ſi legatarius poſt mortem teſtatoris ante illum diem moriatur; legata in diem incertum V.G. lego Titio 100., ubi factus eſt Sacerdos, vel ad pubertatem venerit, ſolvendos, æquiparantur conditionatis, & ideo, ſi Titius ante illum diem moriatur, non tranſeunt ad hæredes ejus.

Reſ. 7. Etſi per ſe loquendo legata profana in teſtamento profano invalido relicta corruant (a), ſubſiſtunt tamen in foro etiam externo, 1. ſi appoſita fuerit clauſula Codicillaris ſaltem tacite. 2. Si hæres ab inteſtato ipſemet audiverit voluntatem teſtatoris, & fateatur. 3. Si hæres ab inteſtato legatum jam ſolviſſet; quia præſumitur id feciſſe urgente conſcientia; quia novit voluntatem defuncti. 4. Si hæredem fuiſſe præſentem defuncto ſciatur, & nolit juramentum ſibi delatum facere, quod non ſciat de voluntate defuncti; tunc enim ſolvere legata compellitur.

(14) *Reſ.* 8. Quando legatum impleri non poteſt juxta mentem teſtatoris, ſi fuerit ad cauſas profanas, redit ad hæreditatem: ſi ad cauſas pias, debet expendi in alium uſum priori, quantum poteſt fieri, ſimilem, niſi expreſſe poſitum ſit, ut eo caſu ad hæredem redeat; quod verum eſt, licet teſtator expreſſe dixerit, ſe nolle in alium uſum converti; quia præſumitur adhuc voluiſſe, impendi in opus pium ad animæ ſuæ ſolatium. Hinc ſi Titius legaverit ſummam pecuniæ pro conſtruendo Sacello, & poſtea inveniatur ad hoc non eſſe ſufficiens, hæres non poteſt retinere, nec etiam tenetur ſuperaddere, ſed arbitrio Epiſcopi, hæredis, & executorum impendi debet in aliud opus pium, menti teſtatoris magis conforme. Parochus autem,

(a) *Vid. Num.* 6.

autem, vel Confeſſarius in his nil poteſt, niſi forte per epykiam interpretari mentem teſtatoris, quod tamen non facile fiat; quia ad Epiſcopum proprie pertinet.

(15) *Reſ.* 9. Si ultima teſtatoris voluntas in ſpecie impleri poſſit, non poteſt Epiſcopus eam immutare, quamvis videatur adeſſe cauſa eam mutandi, ſed neceſſaria eſt authoritas Pontificis; ideoque, licet legatum pium multo utilius in piæ cauſæ favorem expendi poſſit, quam fuerat præſcriptum a teſtatore, non poteſt mutari absque recurſu ad Papam, eoquod ſola major utilitas non ſit cauſa juſta ſimul, & neceſſaria, quod requirit Tridentinum (a) Papa autem poteſt ultimas voluntates ad cauſas pias mutare poſt mortem teſtatoris, ſi adſit juſta cauſa; quia eſt a Chriſto conſtitutus piarum cauſarum adminiſtrator, cenſeturque teſtator in hoc conſentire. Teſtamenta, & legata profana ſupremus Princeps ob neceſſitatem, & utilitatem publicam mutare poteſt, ſine præjudicio tamen tertii.

Reſ. 10. Dum aliquid legatur in genere ad cauſas pias, vel pauperibus indeterminate, poteſt dari monaſterio pauperi. Per pauperes autem intelliguntur omnes illi, qui ſecundum ſuum ſtatum vere indigent; & quidem cæteris paribus præferendi videntur 1. Pauperes conſanguinei Teſtatoris. 2. Pauperes Parochiæ Teſtatoris. 3. Habenda etiam eſt ratio loci, ubi maxima pars bonorum ſita eſt. Si legatum aliquid ſit Eccleſiæ, intelligitur Parochialis Teſtatoris; vel ſi in duabus æqualiter habitaverit, nec poſſit colligi, quæ intelligatur, intelligitur illa, ubi ſepelitur.

QUÆ-

(a) *Seſſ.* 22. *Cap.* 6. *de reform.*

QUÆSTIO ULTIMA.

Quinam poſſint teſtari, & Hæredes inſtitui?

(16) *D.* 1. Omnes & ſoli de rebus ſuis teſtari poſſunt, qui lege naturali aut poſitiva non ſunt impediti, unde infantes ante ſeptennium, furioſi, perpetuo amentes, impuberes, prodigi, a nativitate ſurdi, & muti, uſurarii publici, hæretici non tolerati, damnati ad mortem naturalem, vel civilem ob libellum famoſum &c. teſtari non poſſunt; quia ipſis partim jure naturæ, partim poſitivo eſt inhibitum.

D. 2. Quamvis ex conſuetudine (quod tamen jure communi prohibitum eſt) in variis locis recepta, poſſit beneficiatus de ſuperfluis reditibus beneficii valide teſtari ad cauſas profanas; peccat tamen graviter hoc faciendo, V.G. relinquendo conſanguineis divitibus, docetque experientia, relicta hæc parum prodeſſe, quin potius obeſſe: ſecus, ſi ad uſus pios diſponantur; V.G. ad cultum templorum, neceſſitatem pauperum, id eſt: non habentium ad naturam, vel etiam ſtatum convenientem ſervandum neceſſaria. Item capellanias, miſſas, ſuffragia pro defunctis.

(17) *D.* 3. Quilibet poteſt inſtitui hæres aut legatarius, niſi ob votum, aut delictum proprium, vel alienum prohibeatur. *Ratio eſt:* quia omnis ille eſt capax hæreditatis aut legati, qui eſt capax acquirendi dominium; ſed talis eſt omnis jam aſſignatus, ergo. Dixi 1. *niſi ob votum;* hinc nullus Religioſus in particulari fieri poteſt hæres, aut legatarius: bene tamen poteſt eſſe hæres monaſterium; exceptis Capucinis, & dictis de Obſervantia. Dixi 2. *ob delictum*, hinc nequit adire hæreditatem occiſor hæredis lege ſic ſtatuen-

tuente (a): nec ſpurius teſtamentum parentum etiam ab inteſtato; quia ſpurii ex lege omnis ſucceſſionis in bonis paternis, & maternis incapaces ſunt. Univerſaliter non poſſunt inſtitui hæredes, qui ob delictum non poſſunt teſtari.

Reſ. 1. Qui profeſſionem facit in Religione ſucceſſionis capace, in eam per profeſſionem velut mortem quandam omnia ſua bona, & jura transfert; hinc in hæreditatem non ipſe, ſed pro ipſo ſuccedit religio, ſalvo jure aliorum hæredum: ſi tamen religioſus iſte ante parentes ſuos moriatur, religio non ſuccedit; tum, quia viventis nulla eſt hæreditas, tum quia filius in religionem non plus juris transfert, quam ipſe habeat; habuit autem tantum jus ad hæreditatem, ſi parentes ante ipſum morerentur; ergo.

Reſ. 2. Spurii, ſeu nati parentibus, qui tam tempore nativitatis, quam conceptionis filii laborabant impedimento dirimente, non poſſunt inſtitui hæredes, imo nec ipſis fieri donationes inter vivos, vel mortis cauſa; aliis tamen non prohibentur per teſtamentum ſuccedere; poteſt quoque, & debet aliquid a parentibus ipſis relinqui ad honeſtam ſuſtentationem ſecundum conditionem ſuam, ſi aliunde alere ſe non poſſint: nec prohibetur Pater filiæ ſpuriæ conſtituere dotem. Hæredes Patris tenentur alimentis neceſſariis alere ſpurium, ſi Pater illi non providerit. Filius naturalis poteſt a ſuis parentibus (ſi legitimas proles non habeant) inſtitui hæres univerſalis; ſi tamen carens prole legitima habeat aſcendentes, jure communi debetur illis legitima. Non ſuccedit autem filius naturalis Patri ab inteſtato, niſi in duabus unciis ſive ſexta parte hæreditatis, idque tantum, ſi careat aliis liberis: matri vero ſuccedit tum ab inteſtato,

(a) *L. ult.* §. *ult. ff. de bonis damnatorum.*

ſtato, tum ex teſtamento pari jure cum legitimis: patri prolem legitimam habenti per teſtamentum tantum in unica uncia.

(18) *Obſ.* Hæres alius dicitur *ex teſtamento*, alius *ab inteſtato*, qui ſuccedit in bona defuncti, licet non ſit factum teſtamentum. Dicitur decedere *inteſtatus*, qui vel nullum, vel nonniſi invalidum condidit teſtamentum; hæredes ab inteſtato ſunt deſcendentes, aſcendentes, collaterales conſanguinei usque ad 10. gradum civilem incluſive, puta: ſecundum ordinem & in defectu priorum. Dixi *civilem:* hoc eſt, quintum canonicum, quia duo gradus civiles faciunt unum canonicum; ſic fratres ſecundum leges civiles ſunt in ſecundo gradu, ſecundum canones in primo: filii fratrum ſecundum canones in ſecundo, ſecundum leges civiles in quarto &c. Item hæredes alii dicuntur *neceſſarii*, quos teſtator in portione legitima inſtituere tenetur, niſi habeat juſtam cauſam exhæreditandi expreſſam in teſtamento: tales ſunt legitimi deſcendentes in linea recta, hoc eſt: nati in matrimonio legitimo ſaltem ab alterutra parte bona fide exiſtimato, & in facie Eccleſiæ præmiſſis denuntiationibus contracto; vel naturales legitimati per ſubſequens matrimonium, quibus ſaltem debetur tertia pars hæreditatis, ſi non ſint plures, quam quatuor; vel media pars, ſi ſint plures; in defectu deſcendentium, hæredes neceſſarii ſunt aſcendentes in linea recta. Hæreditas tota objective ſumpta vocatur As, & qui in hanc ſuccedit, dicitur *hæres ex aſſe;* media pars vocatur *ſemis:* tertia *triens;* per *legitimam* intelligitur illa portio, quæ hæredibus neceſſario, & quidem ſine onere relinqui debet, de quibus Legiſtæ. Redeundo ad praxin

(19) *Reſ.* 1. Hæres, ſicut ſuccedit in omnia Jura & commoda realia defuncti, ita & in onera, ſive debita

bita realia: tenetur etiam negotia a defuncto inchoata, & nondum finita perficere; non tamen piam illius voluntatem aliquid faciendi implere, niſi ea obligatio illi ſit impoſita.

Reſ. 2. Si hæres adiverit hæreditatem (hoc eſt, verbo vel facto declaret ſe pro hærede ante confectionem inventarii) tenetur ſolvere omnia debita defuncti, imo & legata, fideicommiſſa, totamque voluntatem defuncti implere, licet hæc ſuperent facultates totius hæreditatis; hinc male facit, niſi aliunde ſit ſatis informatus, adeundo hæreditatem ante confectum inventarium. Nam

Reſ. 3. Hæres habet duo privilegia: 1. jus deliberandi per annum, an adire vel repudiare velit hæreditatem, intra quem inquirere poteſt de viribus hæreditatis, & debitis, vel oneribus. Secundum eſt jus conficiendi inventarium, quod, ubi hæreditatem ad ſe delatam cognoſcit, incipere debet intra 30. dies, & inter alios 60. abſolvere; hoc legitime confecto non obligatur ultra vires hæreditatis etiam in foro externo: confecto igitur inventario, ſive legitime notatis bonis, juribus, & debitis defuncti poteſt ſolvere debita creditoribus, non attento jure prælationis, modo bona fide procedat, deductis expenſis pro funere, confectione inventarii, aliisque cauſis hæreditatis neceſſariis; ne nomen hæredis inane habeat, poteſt reſervare quartam partem hæreditatis, & ſi hæc non ſuperſit eam detrahere legatis, aliisque diſpoſitionibus profanis. Hoc privilegio etiam gaudet hæres ab inteſtato, ita, ut præter legitimam habeat quartam partem, quæ ſi detrahatur legatis, vocatur *falcidia* a Falcidio tribuno, qui legem illam tulit; ſi detrahatur a fidei commiſſo, vocatur *trebellianica* a Trebellio conſule Romano, qui legis illius eſt author.

(20) *Reſ.* 4. Jus naturæ exigit, ut parentes liberis indigentibus præter legitimam relinquant, quantum ad honeſtam eorum ſuſtentationem neceſſarium eſt: quod magis tenet in liberis reſpectu parentum. Hinc, ſi accedente induſtria & labore, ſe honeſte alere non poſſint liberi portione legitima, plus tenentur parentes, ſi id facultates ferant, relinquere; unde licet poſſint legata aliqua in pias cauſas facere, id tamen fieri debet conſideratis circumſtantiis, ſalva pietate in ſuos; cum & hi, ſi indigentes ſint, veniant nomine cauſæ piæ; alias objicietur eis illud: *Maledicta pietas, quæ deſtruit juſtitiam.*

Reſ. 5. Fratres, & Sorores, horumque nepotes, cum non ſint hæredes neceſſarii, ſine læſione Juſtitiæ præteriri poſſunt, quamvis ſæpiſſime contra charitatem peccetur, præſertim, ſi ſecundum ſuum ſtatum indigeant, eſtque congruum, ut ſine rationabili cauſa non excludantur; ut ſic evitentur Jurgia, lites, invidiæ, maledictiones, & ſimilia mala, quæ inde ſolent oriri.

Reſ. 6. Peccant parentes contra charitatem, ſi ſine juſta cauſa uni filio, aut nepoti plus relinquant, quam alteri; dant enim occaſionem querelarum, & diſſenſionum. Juſta cauſa eſt: ſi unus ſit magis meritus, plus requirat, V. G. habet defectum, ſi nondum ſit qualificatus, ſi ſit in ſtudiis, & ideo pluribus indigeat &c.: ſimiliter, ſi Pater ſine juſta cauſa, dum vivit, bona vendat, aut alienet, cum præjudicio legitimæ filiorum, peccat contra charitatem, non juſtitiam; quia filii non habent jus in hæreditatem patre vivente.

Reſ. 7. Peccant Parochi, & Confeſſarii, qui cum præjudicio hæredum ſæpe indigentium in ſui, vel Eccleſiæ favorem pia legata extorquent; imo Confeſſarii, præſertim religioſi, quantum fieri poteſt non debent ſe his immiſcere, ſuadendo, cui, vel quibus ſit relinquenda hæreditas; quia facile offenſionem, & ſiniſtræ inten-

intentionis ſuſpicionem incurrunt: ſi vero Parochus, aut Confeſſarius ſe immiſcere debeant, curent, ut adſit notarius publicus, vel alius a prætore, vel judice talis loci deputatus, ſi fieri poſſit; Conſulant locorum conſuetudines, pacta a conjugibus inita, & alia ſimilia; quia facile ſe hic exponent periculo confuſionis, hæredes periculo damnorum, ob lites, quæ oriri ſolent, præſertim, ſi ſit ad cauſam profanam.

De Ultimis Voluntatibus.

Caſus I. Titius in teſtamento inſtituit hæredem Cajum extraneum, additis legatis; mortuo Titio, Cajus adit hæreditatem, quamvis advertat, deeſſe teſtamento aliquid ſolemnitatis. 2. Sempronius hæres ab inteſtato ſui fratris novit certo, quod hic non velit Sempronio obvenire hæreditatem, & ideo teſtamentum condidit in favorem Caji; ſed ex errore minus ſolemne, quod ideo impugnat Sempronius, & hæreditatem adit, de quo dein angitur. Q. 1. *An teſtamenta illa ſint valida?* 2. *An Cajus potuerit adire hæreditatem?* 3. *An teneretur ſolvere legata?* 4. *An Sempronius ſit tutus in conſcientia?*

℞. *Ad* 1. Utrumque teſtamentum fuit nullum etiam in foro conſcientiæ; quia leges illud abſolute irritant, ſicut irritant matrimonium contractum ſine ſolemnitatibus (a). *Ad* 2. Poteſt ſaltem vi judicii reflexi ob probabilitatem ſententiæ oppoſitæ adire, & retinere nil dicendo, donec hæres ab inteſtato per ſententiam judicis evincat, & nil tunc retinere poteſt; huic enim ſe conformare debet, cum ſit juſta, juſtis legibus conformis (b). *Ad* 3. Tenebatur ſolvere legata non tantum pia (his enim non poſſunt præjudicare leges civiles, niſi ſint a Papa approbatæ, & receptæ, quod hic

 non

(a) *Vid. Num.* 4. (b) *Num.* 5.

non eſt) ſed & profana, ſi teſtamentum ſubſiſtat, quamvis probabilius nulla; cum acceſſorium ſequatur principale; non enim poteſt utramque ſententiam, licet vere probabilem, ſimul ſequi, quia certo ageret contra jus unius; vel enim teſtamentum eſt invalidum, & lædit jus hæredis ab inteſtato: vel eſt validum, & lædit jus legatarii (a). *Ad* 4. Bene fecit; eſt enim, ac ſi teſtamentum non feciſſet, quo caſu ſucceſſiſſet ab inteſtato.

Caſus II. Cajus ægrotus per teſtamentum omnia relinquit Eccleſiis, vel aliis perſonis; nil conſanguineis, cum quibus habet inimicitias; urgente Confeſſario deponit odium, remittit injurias, ſed perſuaderi non poteſt, ut iis relinquat aliquid. Titius legat Cajæ 1000., ſi religionem ingrediatur, hæc ingreditur, ſed poſt paucos menſes egreditur: idem legat Sempronio decem libros ex ſua Bibliotheca, reliquos Joanni, ſed hic eos recuſat: *Denique* duo legata fecit Petro, unum pure & ſimpliciter, alterum ſub conditione, ut litem, quam habet cum tertio, dijudicandam curet, Petrus acceptat primum, ſecundum repudiat. *Q.* 1. *Quid agendum Confeſſario?* 2. *An Cajæ debeatur legatum?* 3. *Quid de reliquis libris? Denique quid de* 4.?

℟. *Ad* 1. Antequam abſolvat, debet inquirere, an conſanguinei præteriti in teſtamento ſint tales, quos de jure communi, vel particulari talis loci non poſſit exhæreditare ſine legitima cauſa: vel ſint tantum collaterales, quibus de jure nil debetur; ſi primum, debet perſuaderi, ut mutet, nec ante abſolvi poteſt: ſi ſecundum, nec graviter indigeant, nec oriturum ſit ſcandalum, ſi perſuaderi non poſſit, non ideo poteſt negari abſolutio (b); interim odium ſincere deponere debet.

(a) *Part. I. de Conſcient. n.* 24. (b) *Vid. Num.* 20.

debet. *Ad* 2. Si religionem ingreſſa fuerit eo tantum animo, ut legato potiretur, aut ſua culpa fuerit dimiſſa, legatum ipſi non debetur; non enim cenſetur impleviſſe conditionem: ſi vero absque ſua culpa fuerit dimiſſa, conditionem, quantum eſt de ſe, implevit. *Ad* 3. Libri recuſati accreſcunt Sempronio; hæc enim præſumitur mens legantis, & conſtat ex *L. cum optio. ff. de opt. & el. leg.* *Ad* 4. Vel utrumque teneri repudiare, vel neutrum ei deberi, prout iterum declarant leges.

Caſus III. Cajus dives moriturus: 1. fratri ſuo Titio depauperato condonat ducentos imperiales, quos ei mutuo dederat, ſed quia de hoc filio non conſtat, cogitur ad reddendum: 2. varia facit legata, & 1. quidem 100. florenos pauperibus, ſed cum executor ipſe ſit pauper, cupit aliqua ſibi, vel ſuis retinere: 2. Petro pauperi 20. florenos, ſed hic ante ſolutionem moritur: 3. aliud pro maritandis orphanis. 4. Aliud pro maritandis virginibus: Aliud 5. pro dotando paupere. 6. Cajæ trecentos pro dote, ſi usque ad matrimonium honeſte vixerit: 7. nepti ſuæ 2000., ſi nubat; 1000. tantum, ſi religionem ingrediatur, quod facit: *Denique* ordinavit pro ſe legi centum ſacra nil ſtatuens de quantitate ſtipendii; filius ſolvit ſtipendium tenue Sacerdoti pauperi, quo poſt annum mortuo, dubitat prudenter, an legerit. *Quid circa hæc reſolvet Confeſſarius?*

℞. 1. Frater tenebatur ſolvere ex obedientia, & ne condonationis factæ ignaris daret ſcandalum; quia ſententia erat formaliter juſta: poterat tamen occulta compenſatione uti, quia facta libera condonatione, non erat amplius debitor, adeoque ſententia materialiter injuſta. ℞. 2. *In* 1. Si non ſint ſpecificati pauperes, poteſt ſibi, & ſuis conſanguineis partem rationabilem

applicare, ſi ſecundum ſuum ſtatum commode & honeſte vivere non poſſint, modo non conſtet, aut colligatur, aliam fuiſſe mentem teſtatoris. *In* 2. Debet dari alteri pauperi; niſi hæredes Petri jam jus acquiſierint; quia manet motivum, niſi fuerit conſanguineus; tunc enim cenſetur factum ex affectu ſanguinis: in dubio præſumitur pro cauſa pia. *In* 3. Dari poteſt puellæ habenti parentes, qui eam dotare non poſſunt; adeſt enim idem motivum: Item expoſitis; quia cum parentes ignorentur, idem eſt, ac ſi non haberent. *In* 4. Dari poteſt virgini habenti dotem non ſufficientem, virgini clam corruptæ, pauperi nuptæ absque dote, quia eſt idem motivum, ſic patet. *Ad* 5. *In* 6. Poteſt acceptare, etſi occulte commiſerit fornicationem; manet enim honeſta in opinione vulgi, nec tenetur non acceptando ſe infamare; ſi vero de fornicatione conſtet, videtur dandum alteri pauperculæ honeſtæ; quia videtur factum ex ſancta intentione. *In* 7. Non debentur niſi mille, niſi factum ſit ex odio religionis; tunc enim conditio veluti turpis habetur pro non adjecta, utpote retrahens a ſtatu perfectiore, cæterum poterat habere cauſam rationabilem ſic ſtatuendi; quia V. G. in Religione minoribus indiget. *In ult.* Debet dare honeſtum ſtipendium non indignum qualitati defuncti, & tali, de quo non eſt prudens dubium, quod ſacra ſit neglecturus, hoc, ſi fecerit, videtur ſatisfeciſſe; quia defunctus cenſetur ad plus non obligaſſe: interim oportebat dare diverſis Sacerdotibus, ut eo citius Miſſæ legerentur.

Caſus IV. Berta vidua nobilis & dives legat aliquot mille florenos nepoti acatholico, ſi religionem catholicam intra annum ab obitu amplectatur: *Q. An amittat legatum, ſi non impleat conditionem.*

Reſpon-

Reſpondebunt acatholici, quod non; quia conditio pro non adjecta habenda eſt, cum ſit turpe mutare religionem ob lucrum temporale, quod & involvit ſimoniam, cum religio ſit res ſacra. Sed

℞. Indubie amittit; quia conditio eſt honeſta & poſſibilis, eſtque de jure honeſtum propoſito præmio aliquem allicere ad rem ſacram & neceſſariam ad ſalutem. Non repugnat libertati; manet enim adhuc liberum amplecti. Ad oppoſita

℞. Legans non intendit mutationem religionis temere faciendam propter legatum temporale, ſed vult allicere ad diligentius inquirendum in veritatem fidei, & motiva credibilitatis, ac propter hæc mutationem fidei.

Caſus V. Titius bona ſua legavit cuidam Eccleſiæ ex pacto, ut duæ Miſſæ per hebdomadam celebrarentur pro ejus anima ſub pœna devolutionis eorundem ad proximum ſuum conſanguineum, nunc conſtat Parocho illius Eccleſiæ Miſſas non eſſe lectas a ſuis prædeceſſoribus, idque aperit ſuo Confeſſario. *Q. Quid hic ipſi injunget?*

℞. Ut renuntiet illis bonis, nec abſolvat, ſi retinere velit; quia appoſita clauſula magis habet rationem conditionis, quam pœnæ, ergo cum donationis titulum per conditionem a Parochis non ſervatam Eccleſia amiſerit, bona ſunt aliena, & proximiori conſanguineo legata, Teſtator enim expreſſit mentem ſuam de devolutione ad illum.

Obj. Legatum ſub modo non revocatur, ſi modus non ſervetur, præſertim ſi donatio facta ſit Eccleſiæ. 2. Delictum ſolius Prælati non obeſt Eccleſiæ, ut habet regula juris, ergo cum modernus Parochus velit conditionem implere, nec fuerit in culpa, non videtur juſtum, quod huic pœnæ ſubjaceat.

℟. *Ad* 1. Si purus ſit modus C. ſi ſit addita clauſula per modum conditionis N. *Ad* 2. ℟. In acquiſitis, & quæ donantur abſolute C. quæ ſub conditione, vel in jure quærendo N. Si enim ſolus Prælatus eam non ſervet, non valet donatio.

Caſus VI. Titius ſuum prædium legat in eleemoſynas pauperibus diſtribuendas, & Miſſas in ſolatium animæ ſuæ legendas nominando executorem proprium parochum. Mortuo Cajo, cum prædia eſſent infimo pretio, differt vendere ſub ſpe vendendi cariori pretio, ut ſic majorem eleemoſynam conſequantur pauperes, & plures Miſſæ legi poſſint; quia autem ex poſt non apparet proxima ſpes hujus, ne nimis diu differantur Miſſæ: trecentas aſſignat certo monaſterio legendas pro ſtipendio ſuo tempore ſolvendo. Q. 1. *Quis poſſit eſſe executor teſtamenti?* 2. *Ad quid hic teneatur?* 3. *An in caſu recte proceſſerit Parochus?*

℟. *Ad* 1. Executor poteſt eſſe mas, vel fœmina, laicus, vel Clericus etiam religioſus de licentia ſui ſuperioris exceptis Capucinis, & de obſervantia per Clement. *Exivi de V. S.*

Ad 2. ℟. 1. Executor non minus quam hæres, ubi munus executionis acceptat, peccat pro gravitate materiæ, ſi ad amuſſim, quantum ſtatim moraliter fieri poteſt, non impleat mentem teſtatoris, præſertim quoad cauſas pias, requiriturque diligentia, quæ in alio negotio graviſſimo adhibetur, cum ſæpe agatur de liberanda anima e purgatorio: ideo graviter peccant, ſi in conficiendo inventario nimium temporis inſumant, & interim ſplendide, ut ſæpe fit, expenſis hæredum vivant; ſi mobilia V. G. libros minoris quam par eſt; æſtiment, ſicque æſtimata ſibi,

vel

vel amicis comparent. Executor finita executione tenetur coram judice rationes reddere executionis ſuæ, quod facere debet regularis coram loci Ordinario, quamvis alias ſit exemptus, & ab hoc, ſi circa executionem peccaverit, eſt puniendus juxta Clement. un. *de Teſtam.* ℟. 2. Indulgentia anni integri, ſi legata ſint profana, & ſex menſium, ſi pia, a jura conceſſa non habet locum in foro conſcientiæ, ubi prius executio fieri poteſt, præſertim dum agitur de Miſſis exonerandis pro anima defuncti; quia multum nocere poteſt defuncto, & ideo talis negligentia ſolet a Deo puniri etiam in hoc mundo.

Ad 3. ℟. 1. Graviter peccat executor, ſi ſub incerta ſpe comparandi majus pretium differat; quia, ut ait S. Thomas, ex tarditate eleemoſynarum ſequitur retardatio remedii, quo forte defunctus indiget, ergo potius gravatur, quam juvatur defunctus: attamen, ſi per breve tempus differat, ut rebus defuncti melius venditis majores eleemoſynas dare poſſit laudabiliter facit. ℟. 2. Quod miſſas aſſignaverit monaſterio dilata ſolutione ſtipendii, non bene fecit, raro enim celebrantur ante ſolutum ſtipendium ob fraudes, quæ ſæpe interveniunt in ſolutionibus, interim a mortali excuſari non poſſunt, qui ſub prætextu dilati ſtipendii Miſſas differunt, dum fidem dederunt pro Miſſis celebrandis credito ſtipendio; vel enim non debent acceptare, vel quamprimum moraliter exſolvere; hinc ſi de ſolutione timeatur, honeſte ſe excuſent. Nec dicant, quod alias non eſſent Miſſas recepturi; non enim licet ſibi conſulere mentiendo, & animas in cruciatibus relinquendo.

Caſus VII. Cajus in teſtamento hæredi ſuo impoſuit, ut Titio famulo ſuo daret, unde in quadam arte erudiretur: hæres artem eligit, cujus

cujus Tyrocinium minimo pretio conſtat. *Q. An juſte?*

℟. Sicut præſumendum non eſt, quod Cajus voluerit, ut Titius artem addiſceret, cujus Tyrocinium nimio pretio veniret, habita ratione ad ejus conditionem, & bona hæredi relicta, ſic nec præſumendum eſt voluiſſe, ut hæres rebus ſuis parcendo cogeret Titium ad addiſcendam artem, quæ ipſi non congrueret, & ad quam propenſus, aut aptus non foret; igitur ſi convenire in hoc non poſſint, res amice ab arbitro, vel a judice ſtatuenda eſt.

Caſus VIII. Titius moriturus hæredem inſtituit Cajum, eumque obligavit, ut mediam partem hæreditatis det filio ſuo ſpurio, quod ipſe promittit, & facit. *Q. An bene?*

℟. Titius, & Cajus acceptans peccant graviter; quia fraudant in re gravi leges ſanctiſſime inſtitutas: ſpurius non poteſt hæreditatem retinere, ſed debet reſtituere hæredibus ab inteſtato; quia fraus, & dolus nemini patrocinatur, æquivalenter, ac mediate inſtituitur ſpurius, quod invalidatur per leges: ſi tamen independenter ab hac promiſſione det, videtur valide dare; quia quamvis jura prohibeant hanc promiſſionem, non tamen prohibent, quin hæres ut verus dominus poſſit ea dare, cui voluerit.

APPEN-

APPENDIX.

DE OBLIGATIONIBUS JUSTITIÆ AD PUBLICA JUDICIA SPECTANTIBUS.

QUÆSTIO I.

(1) Quænam requirantur in Judice?

D. 1. In Judice (qui eſt perſona publica habens legitimam poteſtatem jus dicendi) requiritur.

1. Jurisdictio in perſonam judicandam, & materiam, de qua controvertitur: trahens Clericum ad tribunal ſæculare, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ. 2. Scientia, qua ſciat leges, conſuetudines, ordinem juris, caſus ordinarios in officio ſuo occurrentes (pro extraordinariis ſatis eſt recurrere ad libros, & conſulere peritiores) quilibet enim tenetur ſcire, quæ ad ſuum officium pertinent (a); hanc ſi non habeat, peccat mortaliter officium petendo, admittendo, retinendo, & quoties cum tali ignorantia operatur; quia ſe exponit periculo graviter nocendi partibus, quibus tenetur de damno ſive in ſubſtantia litis, ſive in ſuperfluis expenſis defectu ſcientiæ cauſato: idem eſt, ſi ſententias ſine juſta cauſa differat. Si ſine culpa erraverit in præjudicium litigantis, tenetur, quantum ſine gravi incommodo poteſt, errorem corrigere, ſuadendo parti læſæ, ut per appellationem, vel cauſæ reviſionem ſibi conſulat. Hæc ſatis patent *ex præced.* & facile applicantur Advocatis, aliisque ad judicium concurrentibus. Quales ſequi debeat ſententias, *vide in Part. I.* (b).

(2) *D.* 2.

(a) *Vid. Part. I. de actib. human. n.* 14.
(b) *Vid. de Conſc. n.* 26.

(2) *D.* 2. Judex debet eſſe contentus ſuo ſtipendio, eſtque prohibitum jure canonico, & civili offerre, & Judici acceptare munera, ac merito, cum nata ſint etiam prudentum oculos excæcare, & inclinare ad perſonarum acceptionem: idque licet poſt prolatam ſententiam fiat; quia ex ſpe illorum poteſt moveri Judex ad judicandum in favorem iſtius, qui plus prævidetur oblaturus, & quamvis forte ex poſt non teneatur reſtituere, quæ ante ſententiam accepit, bene tamen facit Confeſſarius obligando ad hoc, vel imponendo pro pœnitentia, ut det pauperibus, ut ſic abſterreatur: imo ſæpe reſtituenda ſunt dantibus; quia non ſatis libere dederunt, ſed ex timore, ne Judex plus faveat parti adverſæ, ne moras trahat &c., ſicque ad redimendam vexam, & pro actu ex juſtitia debito.

Reſ. 1. Peccant graviter, qui judicium protrahunt, ut per munera ſollicitetur acceleratio, ſicque accepta manent reſtitutioni obnoxia.

Reſ. 2. Secluſo ſcandalo licitum eſt acceptare leviora munuſcula; quia cum ſint minoris momenti, non creditur Judicis animus his corrumpendus, præſertim ſi offerantur, ut Judex excitetur ad extraordinariam diligentiam in maturanda ſententia, vel alium laborem indebitum.

Reſ. 3. Si tot ſint cauſæ, ut Judex omnes expedire non poſſit, regulariter præferendæ ſunt antiquiores, & privilegiatæ pauperum, viduarum, pupillorum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

(3) *Quomodo Judex procedere debeat contra Criminoſos?*

N. 1. In cauſis criminalibus poteſt Judex tribus modis procedere. 1. Via *accuſationis:* dum quis apud Judicem de crimine alterum ita accuſat, ut in ſe ſuſcipiat onus probandi. 2. Via *denuntiationis juridicæ:* dum deferens crimen non vult ſuſcipere onus probandi, ſed ulteriorem inquiſitionem relinquit Judici, cui tantum ſuggerit indicia, vel nominat teſtes. *Dixi: juridicæ;* quæ ſcilicet ſit ad vindictam pro avertendo damno publico, ut diſtinguatur a denuntiatione, quæ fit ad ſatisfactionem privatam, vel ad emendationem delinquentis, de qua (a). 3. *Via Inquiſitionis:* dum nullo accuſante, vel deferente Judex ex officio inquirit in delinquentes.

N. 2. Inquiſitio eſt triplex. 1. *Generalis;* dum de nulla perſona, nec delicto determinato, ſed generaliter inquiritur, an in aliqua communitate crimen aliquod, vel ſcandalum commiſſum ſit. 2. Eſt *ſpecialis;* dum de particulari delicto, & perſona inquiritur: V. G. an Petrus commiſerit hoc furtum. 3. *Mixta:* dum inquiritur de perſona determinata, non tamen de determinato delicto, vel econtra de delicto determinato: V. G. furto, quod conſtat fuiſſe commiſſum, ſed non de perſona determinata.

(4) *D.* 1. Judex, vel ſuperior poteſt, & quandoque tenetur ſine prævio malo rumore vi officii facere inquiſitionem generalem, hæc enim neceſſaria eſt ad bonum Communitatis, nec ulli fit juria, ſique hac occaſione crimina occulta manifeſtentur, per accidens eſt; ſuperior enim intendit conſulere bono communi, quod prævalet famæ privati. Interim peccant tunc ſub-

(a) *Tract. de Virtut. Theolog. ubi de correct. frater.*

ſubditi, ſi etiam ſub juramento interrogati, V. G. in viſitatione occulta crimina manifeſtent, niſi cedant in grave damnum communitatis (a); quia ſuperior non habet jus de his interrogandi.

(5) *D.* 2. Ut licite fiat inquiſitio ſpecialis, vel mixta de particulari perſona in ordine ad punitionem, debent præcedere vel accuſatio, vel denuntiatio, vel infamia publica, vel legitima indicia contra perſonam, in quam inquiritur; quia merito aliquis conqueri poteſt, fieri ſibi gravem injuriam in vitam ſuam quaſi malefactoris inquiri, dum famam ſuam integram ſervat. Si ergo conſtet de crimine, & non ſint indicia de authore, inquiri tantum poteſt, quis fecerit. *Dixi: in ordine ad punitionem;* quia, ſi agatur de officio, de ordine alicui conferendo, de matrimonio contrahendo, famulo conducendo &c. licite inquiritur in genere de perſonis particularibus, debent tamen tunc crimina aperiri ſecreto, & cum minima, qua fieri poteſt, læſione famæ.

Reſ. 1. Per infamiam hic intelligitur Communis rumor ortus a providis, & honeſtis perſonis de aliquo delicto commiſſo V. G. a Petro.

Reſ. 2. Hæc fama debet eſſe probata per duos ſaltem teſtes, qui nominent perſonas, a quibus id publice audierint.

Reſ. 3. Infamia de uno crimine non dat jus interrogandi de alio, niſi ſit crimen ordinarie connexum; quia judex non poteſt inquirere de crimine, niſi ſit ei aliquo modo ut perſonæ publicæ cognitum.

(6) *Reſ.* 4. Per indicia intelliguntur tales circumſtantiæ, ex quibus cum fundamento colligi poteſt, quis ſit author criminis; hæc ex una parte debent eſſe eo majora, quo perſona, in quam inquiritur, eſt dignior, etiam quo majus eſt crimen, & majorem affert infa-

(a) *Ibidem.*

infamiam; quod magis valet de captura, quæ præter gravem infamiam gravia affert incommoda; ex altera parte, leviora indicia ſufficiunt, dum crimen eſt valde perniencioſum.

Reſ. 5. Quando crimen eſt publicum, & ſimul notorius author criminis, poteſt reus condemnari absque accuſatione imo & teſtibus; evidentia enim publica ſupplet. Idem eſt, ſi crimen committatur coram Judice, & aliis.

Reſ. 6. Si ad ſuperiorem regularem contra ſubditum ſcriptæ ſint literæ ſine nomine, & in illis notati ſint aliqui teſtes conſcii, non poteſt ideo ſpecialiter in eum inquirere, nec plus ſolito invigilare, aut gravamen aliquod inferre; quia nullam gignunt infamiam, nec ullum indicium exhibent. Proceſſus ſuper his literis factus eſt ipſo jure nullus per *c. Inquiſitionis. de Accuſat.* poſſunt tamen ſervire ad inquiſitionem paternam, & generalem, præſertim ſi talis religioſus non ſit adeo bonæ famæ.

QUÆSTIO III.

(7) *An liceat reum examinare per torturam?*

D. Licitum eſt per torturam inquirere de crimine. Patet ex praxi, & ſervit ad bonum commune; per hoc enim arcentur malefactores: per accidens autem eſt, quod hac via aliquando condemnentur innocentes, & abſolvantur nocentes; & ſi tortura non adhiberetur, graviora adhuc forent inconvenientia.

Reſ. 1. Tortura non debet adhiberi, niſi crimen ſit enorme, quod mereatur mortem, mutilationem, triremes; quia iniquum eſt, majorem pœnam adhibere ad eliciendam Confeſſionem criminis, quam ipſum crimen mereatur.

Reſ. 2. Nec adhiberi debet, niſi adſint indicia valde urgentia, vel ſaltem ſemiplena probatio; tortura enim eſt in ſubſidium plenæ probationis; ergo debet ſupponere ſemiplenam.

Reſ. 3. Idem eſt, ſi reus per alias probationes plene convinci poſſit; eſt enim hoc medium poſtremum in defectu aliorum.

Reſ. 4. Tortura non debet eſſe talis, ut reus ſpectata virium complexione moraliter ſuſtinere non poſſit, alias confeſſio eſt nulla, nec poteſt ex ea procedere Judex, etſi eam ratificet reus metu novæ torturæ.

(8) *Reſ.* 5. Semel tortus, & crimen non confeſſus non poteſt iterum torqueri: niſi nova indicia ſuperveniant; quia per conſtantiam in toleranda tortura cenſentur eliſa priora indicia.

Reſ. 6. Si crimen in tortura faſſus extra eam revocet, poteſt iterum torqueri; quia indicia manent in ſuo vigore: ſi tertio revocet, eſt abſolvendus, quia confeſſio præſumitur vi tormentorum extorta, adeoque nulla.

Reſ. 7. Aliqui prohibentur torqueri, ut: ſenes, valetudinarii, nobiles, doctores &c. Excipe crimina excepta: V. G. hæreſin, & crimen læſæ Majeſtatis; poſſunt tamen tortura terreri, dum adeſt ſemiplena probatio, &, ſi fateantur, valet confeſſio.

(9) *Reſ.* 8. Semiplenam probationem faciunt 1. teſtis unus omni exceptione major, ſeu contra quem nulla poteſt fieri exceptio: oculatus, juratus, non particeps in crimine, ab accuſatore, vel denuntiante omnino diſtinctus. 2. Rei confeſſio extra judicium. 3. Si duo, vel tres complices faſſi ſint. De quibus Juriſperiti, qui hæc accuratius ſcire debent.

(10) *Reſ.* 9. Peccat graviter Judex, ſi metu torturæ ſine ſufficientibus ad torquendum indiciis eliciant confeſſio-

ſeſſionem; idem eſt, ſi promiſſione impunitatis non obligatum fateri inducat ad fatendum, nec poteſt hac confeſſione uti etſi ratificata, utpote nulla cum ſua ratificatione. In his, & ſimilibus contra juris ordinem factis tenetur ad compenſationem damnorum inde ſecutorum.

QUÆSTIO IV.

(11) *Quid de Accuſatore, Denuntiatore, Teſtibus, & Reo?*

D. 1. Accuſare, vel denuntiare ex juſtitia tenentur, qui ad hoc conſtituti ſunt; ut: Fiſcales, cuſtodes agrorum, vinearum &c., ſaltem ubi id neceſſarium eſt ad avertenda damna, quæ alias compenſare tenentur; ſuſcipiendo enim officium ad hoc ſe obligarunt. Ex charitate ad hoc tenentur privati: 1. ſi crimen in fieri vergat in grave damnum reipublicæ: ut hæreſis, veneficium, latrocinium &c.; quilibet enim etiam cum ſuo damno tenetur malum reipublicæ avertere; cum bonum publicum prævaleat privato. 2. Si neceſſarium ſit ad avertendum grave damnum innocentis, quod aliter averti non poteſt; modo denuntianti inde non immineat grave periculum. *Dixi: Crimen in fieri:* ſi enim factum ſit, & nullum amplius timeatur malum, ceſſat plerumque hæc obligatio.

(12) *D.* 2. In quavis cauſa regulariter requiruntur, & ſufficiunt duo teſtes, juxta illud Matth. 18.: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Ut autem duo teſtes plene probent, debent 1. eſſe jurati. 2. Deponere de ſenſu V. G. ſe vidiſſe Titium occidentem: audiviſſe blaſphemantem. 3. Eſſe conteſtes, id eſt: teſtari idem factum ſingulare cum iis-

dem circumſtantiis; alias vocantur teſtes ſingulares, & plenam probationem non faciunt. 4. Eſſe omni exceptione majores, id eſt: quibus jure nihil opponi poſſit, quin eis fides adhibeatur, puta: quod ſint puberes, non infames, nec excommunicati, ab accuſatore diſtincti. *Dixi; regulariter;* quia aliquando requiruntur plures V. G. ad condemnandum Clericum, aliquando ſufficit unus V. G. ad impediendum matrimonium (a).

Reſ. Nemo poteſt condemnari, qui de crimine non eſt juridice convictus, aut illud confeſſus, licet privatim ſciatur certo eſſe nocens; quia cum Judex ſit perſona publica, non poteſt judicare, niſi ex ſcientia publica, quæ habetur per teſtes, legitima inſtrumenta, & acta; unde nec poteſt aliquid ſuggerere ſaltem in cauſa criminali. An econtra poſſit condemnare, quem privatim ſcit innocentem, ſi juridice probetur nocens? *vide ſupra* (b).

(13) *D.* 3. Teſtis *per ſe loquendo* tenetur dicere veritatem: 1. ſi interrogetur juridice, hoc eſt: a competente judice, cum præceſſerit publica infamia authoris, vel ſemiplena probatio, aut adſint alia indicia ſufficientia ad inquirendum: quia juſto Superioris mandato obediendum eſt; & alias Judex non poſſet fungi officio ſuo. 2. Tenetur, ſi neceſſe ſit ad impediendum grave damnum reipublicæ, aut innocentis; quia ex charitate tenetur impedire damnum proximi etiam non rogatus. *Excipe* 1. Si crimen ſciatur ex confeſſione Sacramentali. 2. Si ſub ſigillo naturali ab ipſo reo conſilium petente; niſi vergeret in alterius innocentis, aut reipublicæ præjudicium. 3. Si per injuriam notitiam acquiſierit. 4. Si non poſ-

ſit

(a) *Ex Cap.* 27. *de ſponſal.*

(b) *Vid. de Reſtit. in particulari. n.* 47.

ſit teſtari absque ſuo, aut ſuorum gravi incommodo, nec inde periclitetur bonum commune. 5. Si ſciat non intercurriſſe culpam Theologicam: V. G. volens occidere feram, inculpabiliter occidit hominem.

(14) *D.* 4. Reus criminis, ſi certus ſit, quod juridice interrogetur, tenetur ad mentem interrogantis fateri veritatem, non tantum in cauſis civilibus, & criminalibus minoribus, ſed & majoribus. *Ratio eſt*; quia tunc Judex juſte præcipit, ergo obediendum eſt.

Reſ. 1. Quamdiu prudenter dubitat, an Juridice interrogetur, probabilius non tenetur fateri, ſi grave damnum certo ſubiret; quia nemo tenetur obedire Superiori cum ſuo gravi incommodo: niſi conſtet, quod legitime præcipiat ſub peccato; hinc Judex, antequam interroget, tenetur reo aliquo modo aperire ſtatum cauſæ, & indicia, ut intelligat contra ſe procedi juridice, utque, ſi quid habet contra, poſſit opponere, & excipere.

(15) *Reſ.* 2. Reus convictus, ſi interrogetur de ſociis criminum, non debet eos prodere, ſi hi occulti ſint, & convinci non poſſint, nec pergant nocere; tunc enim non eſt juſta cauſa diffamandi. Si autem ſocii jam laborent infamia, vel contra eos ſint ſufficientia indicia, aut teſtimonium unius legitimum, ſicut tunc legitime interrogatur, ſic bonum commune exigit, ut prodat.

Reſ. 3. Si crimen non exceptum ſit tale, quod ſine ſocio non committitur, & ſocius ſit omnino occultus, Judex non poteſt ſpecialiter inquirere, nec reus ſocium prodere. Si vi tormentorum prodat ſocios, ubi non deberet, ordinarie non peccat; quia non tenetur cum tantis tormentis celare, & manifeſtatio eſt involuntaria.

(16) *Reſ.* 4. Judex tenetur providere, ut reo detur Advocatus intelligens, & talis, qui credatur cauſam Rei ſerio acturus ſicut in conſcientia tenetur. Aditus ad carcerem non eſt præcludendus iis, quorum opera reus uti cupit ad ſui defenſionem; habet enim jus ſe defendendi.

Reſ. 5. Reus poteſt ad juſtam ſui defenſionem accuſatoris, & teſtium occulta crimina revelare ad infirmandam eorum authoritatem, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ (a): non tamen eis falſum crimen imponere, etſi injuſte accuſetur (b). Tenetur obedire Judici ſecundum leges, & juris ordinem ferenti ſententiam, non tamen ferenti aperte injuſtam.

(17) *Reſ.* 6. Si damnatus ſit ad mortem, aut mutilationem, imo & carcerem perpetuum præſertim durum, poteſt carceres infringere, & fugere, ſe e manibus ſatellitum extricare: non tamen vim inferre; quia hoc eſſet vim inferre poteſtati publicæ reſidenti in Judice, & miniſtris, non in vinculis, & foribus carceris (c). Pœna, quæ fugientibus ſtatuitur, eſt ad terrorem.

Reſ. 7. Hinc licitum eſt ſuadere fugam carcerato, eique dare inſtrumenta ad infringendos carceres: *excipe* miniſtros juſtitiæ, qui ex officio reum cuſtodire tenentur. Non tamen licitum eſt juvare infractione; ſi enim cuilibet licitum eſſet infringere carcerem, periret omnis ſecuritas carceris; cum facile ſit uni reo, non ſic aliis omnibus invigilare. Excipiuntur communiter proxime conjuncti, qui unam cum reo perſonam faciunt.

Reſ. 8.

(a) *Vid. de Reſtit. in part. n.* 38.
(b) *Vid. prop.* 44. *ab Innoc. XI. dam.*
(c) *Vid. Part. I. de Legib. Caſum* 9.

Reſ. 8. Reus non poteſt pecunia, vel muneribus corrumpere miniſtros, vel cuſtodes, ut præbeant liberum egreſſum: hoc enim eſt inducere illos ad peccatum: poteſt tamen mediis licitis illos decipere, V. G. dare vinum, ut indormiant, vel etiam eorum animos ſibi benevolos reddere, ut ſic occaſionem fugiendi habeat; cui enim licitus eſt finis, licita ſunt media ad eum neceſſaria de ſe non mala: ſi inde patiantur cuſtodes, per accidens eſt; ipſorum eſt invigilare, ne decipiantur.

Reſ. 9. Confeſſarius, qui ad captivum, & morte pleſtendum vocatur, non debet ei fugam conſulere, minus præbere inſtrumenta; per hoc enim offenduntur Judices, & cauſa eſſe poteſt, quod Confeſſarii ad captivum non admittantur, ipſeque neceſſario animæ ſubſidio privetur.

QUÆSTIO V.

(18) *Quid de Advocato, Procuratore, aliisque Juſtitiæ Miniſtris?*

D. 1. *Advocatus* eſt Patronus parti litiganti in judicio aſſiſtens, ejusque cauſam ſecundum jura legitime deducens. *Procurator* eſt, qui cauſas alienas in judicio ex mandato, & nomine principalis adminiſtrat; uterque debet rem principalis fideliter agere cum diligentia pro negotii gravitate requiſita.

Reſ. 1. Peccant, ſi cauſam, quam noverunt injuſtam, defendant, aut non prius diſcuſſam, an juſta ſit, aſſumant: ſi periculum litis amittendæ non ſincere indicent clienti: ſi in curſu litis cauſæ iniquitatem deprehendentes non moneant clientem, ut deſiſtat, nec ipſi eam deſerant: ſi litem ſtudioſe protrahant: ſi ſecreta cauſæ parti adverſæ detegant: ſi utrique parti

inſerviant: ſi injuſtitiam advertentes partes ad compoſitionem inducant, aut ei cooperentur, niſi forte circa expenſas: ſi clienti juſte damnato appellationem ſuadeant; imo quamvis ſententia probabiliter ſit injuſta, ſi tamen non ſit ſpes victoriæ, non licet appellare; quia ſine juſta cauſa vexant adverſarium.

Reſ. 2. Tenentur clienti patrocinium petenti candide dicere, ſi ob defectum temporis non poſſint ſtatim ſervire: ſi cliens jam conſentiat, ſibi imputet, ſicut, & ſi ſcienter aſſumat Advocatum minus expertum, aut deſidem.

Reſ. 3. Non poſſunt convenire de parte litis pro ſtipendio; ne inde ſumant occaſionem volendi vincere per fas, & nefas (a).

(19) *D.* 2. *Aſſeſſor* eſt, qui aſſiſtit judici, eique jura, & conſilia ſuggerit; unde & *Conſiliarius* dicitur. Hodiedum Aſſeſſor, & Conſiliarius ſimul ſententiam ferunt: ideoque communes habent cum judice obligationes.

(20) *D.* 3. *Referens* eſt, cui a Judice committuntur acta litigantium diſcutienda, ut dein cauſarum fundamenta Judici, & Aſſeſſoribus referat, eosque inſtruat pro ferenda ſententia.

Reſ. Peccat 1. ſi defectu ſtudii, & diligentiæ pro qualitate cauſæ requiſitæ male referat, vel aliquid ſubſtantiale omittat. 2. Si defectum ſubſtantialem advertens diſſimulet, tenetur enim ex officio aperire. 3. Si conetur jus unius magis, quam alterius exponere. 4. Si ſecretum uni manifeſtet in præjudicium alterius.

(21) *D.* 4. *Notarius* eſt, qui dicta, & facta in & extra judicium publica authoritate conſcribit, atque in acta, ſeu protocollum (ſic vocatur liber actorum)

(a) *L. Sumptus ff. de pactis.*

rum) refert; hinc vocatur *Actuarius*, *Protocolliſta*, *Scriba*.

Reſ. Peccat Notarius 1. Si ex ignorantia, negligentia, malitia teſtamentum, vel inſtrumentum conficiat addendo clauſulas obſcuras, vel neceſſarias omittendo, unde damna, & lites oriuntur. *Ignorantia Notariorum*, ſonat vulgare, *meſſis eſt Advocatorum*. 2. Si ſincere omnia, prout ſe habent, non ſcribat. 3. Si alteri transſcriptionem committat cum erroris periculo. 4. Si ſecretum violet: ſi parti adverſæ copiam actorum ſine conſenſu Judicis, magis ſi ipſa originalia communicet; facile enim corrumpuntur. 5. Si acta, vel protocolla negligenter cuſtodiat. 6. Si teſtamentum, vel alium contractum hominis uſu rationis deſtituti conficiat. 7. Si amiſſo inſtrumento publico, vel teſtamento aliud ſimile conficiat. Hi omnes in his, & ſimilibus non tantum peccant contra juramentum, ſiquod emiſerint, ſed & contra juſtitiam ratione officii, tenenturque de damnis inde alteri ſecutis, ſicut & reſtituere tenentur, quod ultra taxam non debitum extorquent.

De Judicio Publico.

Caſus I. Titius offert Judici munera, quæ ille acceptat, cogitans in ſe non eſſe periculum corruptionis. *Q. An & qualiter peccet.*

℞. 1. Si minutiora, præſertim ut alliciat ad extraordinariam diligentiam, neuter peccat. ℞. 2. Si offerat pro habenda ſententia injuſta, uterque peccat graviter: ſed poſt ſententiam non tenetur reſtituere (a). ℞. 3. Si ſimpliciter pretioſa offerat, uterque peccat; cum enim Judex nequeat acceptare, nec licet offer-

(a) *Vid. de Contract. in genere. Num.* 30.

offerre. *Nec juvat*; quod Judex cogitet, ſe non velle pervertere judicium: ſatis eſt, quod de ſe ad hoc alliciant, teneanturque etiam reſtituere (a). ℞. 4. Si offerat ex prudenti metu cauſam juſtam alias perdendi: peccat Judex, non Titius; ſicut non pecco ſolvendo uſuram, ſi aliter pecuniam, qua indigeo, habere non poſſim. Interim, quia ſolent litigantes cauſas ſuas pro certis, & judices ſuſpectos habere, valde periculoſum eſt in praxi.

Caſus II. Judex advertit omitti aliquid, quo allegato lis evinceretur, dubitat, an poſſit, aut debeat ſuggerere. 2. Advocatus litem ſui Clientis, quam ſatis advertit eſſe injuſtam, callide per varias tricas protrahit, ut ſic partem adverſam fatiget, ac facilius inducat ad transactionem. 3. Aſſeſſor interrogatur a Cajo, quo loco ſit res ſua: cumque hic audiat ſententiam eſſe contra ſe concluſam, mox compoſitionem init. 4. Notarius lucri majoris cauſa ita dilatat ſcripturam, ut, quod facile conficeret unico, præſtet pluribus foliis. 5. Apparitor juſſus apprehendere Titium debitorem per alium eum occulte monet, ut ſibi caveat. Q. *Quid ad hæc reſpondebit Theologus?*

℞. *Ad* 1. Videtur hoc facere non poſſe, quia Judex in ſententia ferenda agit perſonam publicam, ergo publica ſcientia ex allegatis, & probatis uti debet, & non ſimul agere Advocatum unius partis. Alii dicunt teneri, ſi omiſſum ſit aliquid juris: V. G. quod teſtes non ſint legales, præſcriptio illegitima; quia debet adminiſtrare juſtitiam ſecundum jura. Si autem omiſſum ſit aliquid facti: V. G. producere teſtes, inſtrumenta, vel alias probationes, dicunt non teneri, quia

(a) *Vid. Num.* 2.

quia ſe ſuſpectum redderet de ſtudio partium. *Ad* 2. Peſſime facit, & in defectu principalis tenetur ad omne damnum ac intereſſe, quod pars adverſa inde patitur; hanc enim inique vexat, cum gravi ejus damno, ut de ſe patet (a). Ad idem tenentur Judex, & Aſſeſſores hæc permittentes; quia ſolius veritatis indagandæ cauſa permittendæ ſunt dilationes judiciales. Transactio eſt nulla; hæc enim locum non habet, niſi ubi pro utraque parte manet dubium de potiori jure (b). Conſenſus alterius partis non fit ſponte, ſed timore protractionis, & expenſarum. *Ad* 3. Aſſeſſor male fecit, & compoſitio inde facta eſt iniqua, ideo alteri parti reſtituendum, quod inde patitur. *Ad* 4. Hæc dilatatio, cum ad nihil ſit utilis, non eſt pretio æſtimabilis, hinc praxis eſt injuſta. *Ad* 5. Peccat contra ſuum officium; hinc tenetur compenſare, ſi alius inde patiatur.

Caſus III. Titius accepit ab artifice horologium pretioſum, volens illud probare, & poſtea emere: poſt medium annum artifex repetit horologium, ſi emere nolit, ſed Titius negat ſe horologium accepiſſe; artifex rem defert ad Judicem, profertque teſtes duos domeſticos, ſed hi rejiciuntur; hinc nominat alium civem, qui citatus comparet, & jurat ſe adfuiſſe. Q. 1. *An Judex potuerit repellere domeſticos? 2. An ob juratam depoſitionem civis potuerit condemnare Titium? 3. Quid ſi civis ille noluiſſet dare teſtimonium, & ideo paſſus fuiſſet artifex? Imo 4. Si coram Judice dixiſſet, ſe nihil deſuper ſcire?*

℟. *Ad* 1.

(a) *Vid. Num.* 18.

(b) *L.* 1. *ff. de tranſact.*

℟. *Ad* 1. Bene fecit, quamdiu non accedebant alia adminicula, quia domeſticorum fides merito habetur ſuſpecta, quia præſumuntur partiales. *Ad* 2. Potuit, ſi teſtis erat fide dignus, attentis ſimul teſtimoniis domeſticorum, qui ſoli ſimilia melius ſcire poſſunt. De cætero unus teſtis non facit plenam probationem (a). *Ad* 3. Peccaſſet graviter contra charitatem, & cum citatus ſit, etiam contra obedientiam, ſed non teneretur compenſare damnum (b). *Ad* 4. Teneretur compenſare, quia per mendacium impediviſſet alterum a conſecutione rei ſibi debitæ (c).

TRA-

(a) *Vid. Num.* 12.

(b) *De Reſtit. in Comm. n.* 72.

(c) *Ibid. n.* 10.

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET DUOBUS PRIMIS IN SPECIE.

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Sacramentum?

(1) *D.* 1. Sacramentum ſtricte ſumptum eſt *ſignum ſenſibile practicum gratiæ ad ſanctificationem hominis a Deo ſtabiliter inſtitutum. dr. Signum;* hoc eſt: ducens in cognitionem alicujus a ſe diſtincti, ſcilicet gratiæ, quam cauſat: ſic in baptismo ablutio externa ſignificat ablutionem internam animæ per gratiam. *dr. Senſibile;* hoc eſt: ſigno aliquo externo perceptibile, quale eſſe debet, ut poſſit ſignificare homini, qui nil percipit, niſi dependenter a ſenſibus. *dr. Practicum;* ſeu cauſativum gratiæ in ipſo Sacramenti uſu, idque ex opere operato, hoc eſt: vi ipſius Sacramentalis operis habentis in ſe virtutem producendi gratiam in ſubjecto diſpoſito

præ-

præſcindendo a merito operantis, licet hoc quandoque requiratur in ſubjecto ut conditio, non ut cauſa. Interim Sacramenta etiam cauſant aliam gratiam ex opere operantis; religioſa enim ſuſceptio Sacramenti eſt actus moraliter bonus, & meritorius: probabilius autem cauſant gratiam tantum moraliter, quatenus ut actiones Chriſti a Chriſti meritis dignificatæ virtutem habent movendi Deum ad gratiam in ſubjecto diſpoſito infallibiliter producendam. *dr. a Deo inſtitutum;* quia ſolus Deus principaliter poteſt inſtituere Sacramenta, ſicut gratiam cauſare. Igitur Sacramenta novæ legis inſtituit Chriſtus qua Deus principaliter, & authoritative, qua homo miniſterialiter, qua homo Deus poteſtate excellentiæ, quatenus de condigno meruit collationem gratiæ, quæ fit per Sacramenta, & quia Sacramenta in nomine ipſius adminiſtrantur. *Denique dr. Stabiliter;* quia Sacramenta inſtituta ſunt, ut per illa in unam Eccleſiam conveniamus; ergo ſicut Eccleſia, vel Religio eſt ſtatus permanens, ita congruit Sacramenta habere permanentem inſtitutionem.

(2) *Reſ.* 1. Martyrium non eſt Sacramentum, cum ſit ceremonia ſacra a Deo inſtituta: nam active eſt opus malum, cujus voluntaria paſſio cauſat gratiam ex opere operato ex ſpeciali privilegio, ut patet in Innocentibus pro Chriſto occiſis.

Reſ. 2. Sacrificium qua tale non eſt Sacramentum; quia ſic non eſt principaliter inſtitutum ad hominis ſanctificationem, ſed ad proteſtationem ſupremi dominii Dei; poteſt tamen idem ſub diverſa ratione eſſe Sacramentum, & Sacrificium, & tale eſt Euchariſtia.

Reſ. 3. Sumptio Euchariſtiæ non eſt Sacramentum; quia non cauſat gratiam, niſi per modum conditio-

ditionis applicantis cibum ſpiritualem, qui cibus, non ſumptio, nutrit ſpiritualiter.

Reſ. 4. Nec actiones ſacræ ab Eccleſia inſtitutæ V. G. prima tonſura, aſperſio aquæ luſtralis &c. ſunt Sacramentum; quia; *ut infra Quæſt.* 10. non cauſant gratiam ex opere operato.

Reſ. 5. Nec lotio pedum diſcipulorum, inſufflatio Chriſti in diſcipulos &c. ſunt Sacramentum; quia, licet forte gratiam cauſaverint, non tamen ſunt inſtituta ut ceremoniæ religioſæ permanenter in Eccleſia obſervandæ.

(3) *D.* 2. Septem ſunt novæ legis Sacramenta, ſcilicet: *Baptiſmus &c. Ratio a priori* eſt ſola voluntas Dei nobis per Eccleſiam manifeſtata. Congruentiæ variæ adducuntur ab Authoribus. *Nec refert*, quod nusquam in antiquis Patribus legamus eſſe ſeptem Sacramenta; quia non erat ipſis propoſitum colligere Sacramentorum numerum, de quo non dubitabatur; ſed recenſebant modo duo, modo plura, prout eorum inſtituto ſerviebat. In Scriptura explicite non legitur eſſe ſeptem, ſed nec legitur eſſe duo, vel tria tantum.

(4) *Reſ.* 1. Sacramenta 1. alia ſunt *iterabilia*, quæ ſæpius ſuſcipi poſſunt, ut, Euchariſtia, Pœnitentia: Extrema Unctio, & Matrimonium; reliqua *initerabilia*, quæ ſæpius valide ſuſcipi non poſſunt, quia valide ſuſcepta imprimunt characterem, qui eſt qualitas ſpiritualis indelebilis impreſſa animæ in ſignum Sacramenti ſuſcepti; per Baptismum enim ſignatur homo ut ad familiam Chriſti pertinens ab infidelibus ſeparatus, capax, ut reliqua Sacramenta ſuſcipiat: per confirmationem ſignatur tanquam miles Chriſti ad pugnam deputatus: per ordinem tanquam miniſter Chriſti, diſpenſator myſteriorum Dei. Hæc qualitas manet in damnatis ad confuſionem, in Beatis ad glo-

riam.

riam. Qui horum Sacramentorum unum iterat, mortaliter peccat, niſi adſit prudens dubium de valore.

Reſ. Parochus V. G. reſuſcitatus a mortuis non eſt de novo ordinandus, manet enim character; indigeret tamen nova jurisdictione, & appobatione; hæc enim in morte finiuntur. Conjuges reſuſcitati indigerent novo matrimonio; nam, & horum vinculum manet tantum usque ad mortem.

(5) 2. Aliqua dicuntur Sacramenta *mortuorum*, quæ per ſe primo inſtituta ſunt ad conferendam gratiam primam ſeu remiſſionem peccati mortalis: alia *vivorum*, quæ per ſe primo inſtituta ſunt ad conferendam gratiam ſecundam, ſeu augmentum gratiæ, ideoque ſupponunt peccatum mortale remiſſum per gratiam ſanctificantem, quæ eſt vita ſpiritualis animæ. Mortuorum ſunt Baptismus, & Pœnitentia, quæ ideo fructuoſe ſuſcipiuntur in ſtatu disgratiæ cum ſola attritione: reliqua vivorum. *Dixi: per ſe;* quia, ſicut per accidens Sacramenta mortuorum ſæpe cauſant gratiam ſecundam, V. G. cum ſolis venialibus, vel perfecte contritus confiteris, ita valde probabiliter vivorum quandoque cauſant gratiam primam: V. G. Sacerdos invincibiliter judicans ſe non habere mortale, cum ſola attritione celebrat, alius ſuſcipit confirmationem bona fide putans ſe eſſe in gratia; quodſi tales nullum haberent dolorem ſupernaturalem, gratiam non acciperent; quia de facto peccatum perſonale non remittitur ſine dolore ſaltem virtuali. *Ratio autem hujus eſt:* quia ex Trident. Sacramenta cauſant gratiam non ponentibus obicem; ſed hi non ponunt obicem; quia quantum in ſe eſt, ſe diſponunt ad illa Sacramenta, & attritio eſt diſpoſitio ſufficiens ad primam gratiam, ut patet in Baptismo, & Pœnitentia; ergo.

Ob.

Ob. Sacramenta conferunt gratiam, quam ſignificant, ſed Euchariſtia non ſignificat gratiam remiſſivam peccati mortalis, ſed nutritivam, eſtque cibus, qui ſupponit, non dat vitam, ergo. ℞. 1. ergo nec mortuorum poſſunt cauſare gratiam ſecundam, quod eſt falſum. ℞. 2. faciunt per ſe, & ex primaria inſtitutione *c.* per accidens, & ratione ſignificati *n.* Sacramenta continent ipſam gratiam, quæ eſt vitæ ſpiritualis radix, & Euchariſtia eſt ipſa vita per eſſentiam; hinc poteſt dare vitam ſpiritualem, non ſic cibus corporalis.

Inſt. Ergo, ſiquis attritus falſo putans ſe eſſe baptizatum ſumeret Euchariſtiam, acciperet primam gratiam. ℞. Non acciperet; quia ſine Baptismo homo nullius Sacramenti qua talis eſt capax, ergo nec fructus Sacramenti.

Reſ. 3. Alia ſunt Sacramenta *formata*, quæ in ſuſcipiente cauſant gratiam: alia *informia*, quæ valida ſunt, ſed gratiam non cauſant ob indiſpoſitionem ſubjecti: V. G. in mortali ſcienter ſuſcipis Ordines ſacros; non enim de eſſentia Sacramenti eſt actu cauſare gratiam, ſed, quantum eſt de ſe, eſſe cauſativum, ſi debitæ conditiones adſint.

(6) 4. Alia ſunt Sacramenta *tranſeuntia*, quæ conſiſtunt in actione tranſeunte V. G. baptismus in ablutione: alia *permanentia*, quæ in re permanente, & tale eſt ſola Euchariſtia. *Denique* 5. alia ſunt Sacramenta *Novæ*, alia *Veteris* Legis. Pro his breviter

(7) *Obſ.* In lege naturæ fuit remedium contra originale, quia Deus volens omnes homines ſalvos fieri, nunquam reliquit parvulos ſine remedio, fuitque externa fidei proteſtatio in Meſſiam venturum. In lege veteri ſcripta manſit hoc remedium pro fæmellis, & maſculis ante octavum diem periclitantibus de vita, quia hos circumcidere non licebat, pro aliis maſcu-

lis fuit circumciſio ex ſemine Abrahæ. Utrumque fuit verum Sacramentum; quia contulit gratiam ex meritis Chriſti prævifis, cum deleret peccatum, idque independenter a diſpoſitione ſuſcipientis, & miniſtri; dum autem Patres dicunt Sacramenta veteris legis non cauſaſſe gratiam, intelligendi ſunt de Sacramentis improprie talibus, ut erant eſus paſchalis agni, certæ purificationes &c. ſi quandoque etiam dicant per circumciſionem non fuiſſe collatam gratiam, loquuntur comparative ad Baptismum, quia non tantam, non immediate diſpoſitivam ad cœlum, quod tunc erat clauſum.

QUÆSTIO II.

(8) *Quid, & quotuplex ſit gratia?*

D. Gratia proprie dicta eſt *donum ſupernaturale ex meritis Chriſti a Deo gratis conceſſum in ordine ad finem ſupernaturalem.* Alia eſt *gratis data*, quæ primario, & per ſe ad aliorum ſalutem procurandam homini datur, ut: gratia miraculorum, donum prophetiæ, gratia ſanitatum &c., quæ Apoſtolus *ad Rom.* 11. memorat. Alia *gratum faciens*, quæ ad proriam ſalutem illius, cui datur, primario, & per ſe ordinatur, ut ſunt gratia ſanctificans (quæ formaliter) & gratia actualis (quæ diſpoſitive reddit Deo gratum) ideoque hæc gratia dividitur *in habitualem*, & *actualem*. *Habitualis* eſt qualitas ſupernaturalis inhærens permanenter homini ipſumque formaliter ſanctificans, faciensque hominem formaliter ſanſanctum, amicum, filium Dei, & hæredem vitæ æternæ, quæ juxta *Scotiſtas* eſt eadem formaliter cum habitu charitatis, juxta alios forma diſtincta; ſed ſemper concomitans charitatem. *Gratia actualis* eſt auxilium Dei ſupernaturale tranſiens

ſiens elevans, & inclinans naturam rationalem ad actus honeſtos ſupernaturales. Conſiſtit in ſupernaturalibus illuſtrationibus intellectus, & piis motionibus voluntatis, quas Deus operatur in nobis ſine nobis, ſcilicet libere operantibus; unde ſunt actus intellectus, & voluntatis indeliberati.

Gratia hæc actualis alia dicitur *præveniens* quatenus præcedit conſenſum noſtrum liberum: *excitans*, quatenus nos velut a ſomno excitat ad bene operandum: dicitur *concomitans*, quatenus conſenſum noſtrum perſeveranter comitatur, & continuare juvat: *adjuvans*, quatenus nos confortat, & nobiſcum operatur: dicitur *ſubſequens*, quatenus quandoque perſeverat poſt conſenſum voluntatem demulcens, & ſtimulans ad conſtanter bene operandum.

Gratia habitualis alia eſt *ſacramentalis*, quæ confertur vi Sacramenti, alia *non ſacramentalis*, quæ extra ſacramentum confertur V. G. per contritionem perfectam.

(9) Gratia actualis alia eſt *efficax*, quæ, ſi detur infallibiliter obtinet conſenſum; hinc dicitur dare non tantum poſſe, ſed etiam agere: alia *pure ſufficiens*, quæ dat poſſe operari, ſed vitio noſtro non obtinet conſenſum.

Gratia actualis præveniens, & excitans eſt homini etiam juſto neceſſaria ad actus quoſcunque ſupernaturales, & ſalutares; quia habitus ſupernaturales non influunt in actus, niſi præeunte excitatione proportionata, adeoque ſupernaturali intellectus, & voluntatis: dat autem Deus omnibus adultis gratiam ſufficientem ſaltem remote ad ſalutem; vult enim omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; ergo dat etiam media neceſſaria, ſcilicet illuſtrationes, & pias motiones, quibus ſi cooperentur, dat ulterio-

res, tandemque juſtificationem, in qua ſi perſeverent, dat vitam æternam. Quodſi fideli quandoque non adſit ſufficiens proxime ad actum V. G. contritionis, adeſt gratia eam petendi, qua ſi recte utatur, ulteriorem Deus non negat.

QUÆSTIO III.

(10) *Quomodo materia Sacramentorum ſit a Chriſto determinata, & quænam mutatio obſit?*

Suppono. Omnia Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conficientis cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Ita in terminis *Concilium Florent.* Horum uno deficiente, vel ſubſtantialiter mutato, Sacramentum eſt nullum. Pro quo

N. 1. Materia, & forma ſumitur hic per analogiam ad materiam, & formam phyſicam, ſic res, & actiones ſenſibiles dicuntur materia, quia ſe habent ut determinabile per verba, quæ ideo dicuntur forma: V. G. ablutio aquæ in Baptismo eſt indifferens, ut ſignificet refrigerationem, vel ablutionem, per verba: *ego te baptizo in nomine Patris &c.* determinatur ad ſignificandam ablutionem internam animæ.

N. 2. In matrimonio, quod eſt contractus, qui ſolis nutibus fieri poteſt, ſufficiunt verba æquivalentia: V. G. nutus, aut ſigna conſenſum exprimentia: in aliis requiruntur verba formalia, ut declarat ſenſus communis, & univerſalis Eccleſiæ praxis, ideoque mutus nullum poteſt miniſtrare Sacramentum, niſi matrimonium. Inſuper verba pœnitentis comparative ad verba ſacerdotis dicuntur res.

N. 3.

N. 3. Materia Sacramenti alia eſt *remota*, & eſt res aliqua, in qua, vel circa quam exercetur actio Sacramentalis: alia *proxima*, eſtque ipſa actio exercita V.G. in Baptismo materia remota eſt aqua, proxima ablutio, verba: *Ego te &c.* ſunt forma, & ſic de reliquis.

(11) *D.* 1. Materiæ, & formæ Sacramentorum a Chriſto ſunt determinatæ, ſed aliquæ quoad genus tantum, quoad ſpeciem vero determinatæ ab Apoſtolis, vel Eccleſia. *Prob.* 1. *Pars:* Materiæ, & formæ ab eo ſunt determinatæ, a quo Sacramenta ſunt inſtituta; quia Sacramenta utpote compoſita moralia eſſentialiter conſtant materia, & forma; ſed Chriſtus inſtituit omnia Sacramenta, ut eſt de fide, ergo. 2. *Pars* patet in Sacramento Ordinis, cujus alia materia, & forma eſt apud Græcos, alia apud Latinos; Græci Presbyteratum conferunt ſola impoſitione manuum, Latini inſuper traditione calicis cum vino, patenæ cum hoſtia; ergo, cum certum ſit, Eccleſiam non poſſe ſubſtantialiter mutare materiam Sacramenti, ſequitur materiam Ordinis a Chriſto eſſe determinatam tantum in genere ſub ſigno aliquo ſenſibili expreſſivo poteſtatis per ordinem collatæ (idem eſt de verbis) electionem autem eorum in ſpecie reliquiſſe Eccleſiæ, quæ alia pro Eccleſia Græca, alia pro Latina ſtatuit, utraque tamen utitur materia a Chriſto inſtituta, ſcilicet ſigno illo ſenſibili, licet materialiter differant hæc ſigna.

(12) *D.* 2. Mutatio materiæ, vel formæ Sacramenti Theologice ſubſtantialis reddit Sacramentum invalidum, non accidentalis. *Ratio eſt;* quia partibus eſſentialiter mutatis mutatur compoſitum, non mutatis tantum accidentaliter. Pro quo

N. Materia mutatur *ſubſtantialiter*, ſi juxta communem uſum, & æſtimationem non ſit re, & nomine

eadem res cum illa, quam Chriſtus inſtituit: ut: ſi volens baptizare aquæ admiſceres medietatem vini. Mutatur *accidentaliter*, ſi inter homines retineat eundem uſum, & idem nomen, ut: ſi loco aquæ frigidæ ſumatur calida, parum lutoſa &c. Forma mutatur *ſubſtantialiter*, ſi non retineat ſenſum a Chriſto intentum; ſenſus enim eſt quaſi anima verborum: mutatur *accidentaliter*, ſi adhuc maneat ſenſus a Chriſto intentus, qui cognoſcitur ex uſu, & doctrina Eccleſiæ, quæ in his errare non poteſt.

Reſ. 1. Aqua congelata a non congelata differt tantum accidentaliter phyſice. Theologice, & Sacramentaliter differt ſubſtantialiter reſpectu Baptismi; quia, ut congelata, non eſt proxime apta ad abluendum, actualis autem ablutio eſt materia proxima Baptismi.

Reſ. 2. Conſecrans paſtam, ſuccum in uvis nihil conficit; quia licet phyſice paſta cruda non differat ſubſtantialiter a pane, nec ſuccus maturus in uvis a vino, differunt tamen ſic moraliter, & Theologice.

(13) *Reſ.* 3. Facile ex his reſolvitur, quæ mixtio alienæ materiæ obſit valori Sacramenti; ſi enim facta mixtione, adhuc in uſu communi, & nomine conveniat cum materia a Chriſto inſtituta, valet Sacramentum, non econtra.

Reſ. 4. Si in materia extremæ Unctionis deficiat ſola benedictio, ut: ſi oleo benedicto una vice affundatur quantitas illo major de non benedicto, eſt mutatio Theologice ſubſtantialis; quia perit prædicatum ſacri, quod Chriſtus requiſivit.

℟. 5. Eccleſia annullando contractum matrimonii clandeſtinum, non mutavit ſubſtantialiter materiam Sacramenti, quia Chriſtus pro materia inſtituit contractum legitimum, & validum, qui, quamdiu eſt talis, non poteſt Eccleſia ab eo tollere, quod ſit materia Sacramenti, poteſt tamen ſuprema Eccleſiæ po-

teſtas

teſtas requirere conditiones ad contractum, ut valide fiat, qui de ſe ſine illis validus foret: ſic faciens ex vino acetum non mutat materiam Euchariſtiæ, niſi remote, & materialiter, ita Eccleſia quaſi corrupit clandeſtinum contractum.

(14) *Reſ.* 6. Miniſter ſubſtantialiter mutans materiam, vel formam (idem eſt, ſi hujus ſit prudens dubium, vel periculum) peccat graviter contra religionem, charitatem, & juſtitiam (a).

Reſ. 7. Peccat etiam graviter, qui facit mutationem accidentalem notabilem; quia inſtitutio Chriſti, & univerſalis Eccleſiæ conſuetudo vim legis habens per ſe graviter obligat.

(15) *Reſ.* 8. Forma Sacramenti poteſt variis modis variari: 1. *Variatione idiomatis*, ut, ſi forma latine proferenda, vel ex toto, vel ex parte proferatur germanice: hæc non eſt ſubſtantialis, manet enim ſenſus verborum: eſt tamen peccatum mortale, excepto Baptismo non ſolenni in neceſſitate; imo obſtetrix baptizans in neceſſitate tenetur uti idiomate vulgari, ut magis remota ſit a periculo errandi. 2. *Subſtituendo voces ſynonimas.* V. G. loco: *Baptizo* dicis: *Abluo*, debent autem eſſe perfecte ſynonimæ. Alias ſæpe non manet ſufficiens expreſſio a Chriſto intenta; hinc non valet: *Baptizo te in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis*, vel, *in nomine primæ*, *ſecundæ*, *&* *tertiæ perſonæ*, de quo *infra*. 3. *Transpoſitione*, *ſubtractione*, vel *additione verborum*: quæ eſt ſubſtantialis, ſi non maneat ſenſus a Chriſto intentus. 4. *Repetitione*, vel *corruptione verborum*; hæc non eſt ſubſtantialis, ſi conſideratis circumſtantiis perſonæ, loci, aut temporis verba retineant eundem ſenſum V. G. non potens exprimere H. & R. dicit: *Oc eſt copus* vel *colpus meum*; ſic Zacharias Papa validam agno-

(a) *Vid. part.* 1. *Tract. I. de Conſci. Q.* 5.

agnovit formam Baptismi a quodam idiota prolatam: *Ego te baptizo in nomine patria & filia & ſpiritua ſancta. Ratio eſt:* quia verba illa in iſtis circumſtantiis adhuc ingerunt audientibus ſenſum a Chriſto intentum: niſi corruptio eſſet tanta, ut audientes non poſſent ſcire, quid loquens vellet, vel fieret ſtudio; tunc enim cenſeretur non habere ſeriam intentionem. 5. *Interruptione;* hæc mutat ſubſtantialiter, ſi longior, non, ſi brevis ſit, quia hic, non ibi manet moraliter una oratio: hinc non obeſt, ſi poſt verba: *Ego te baptizo*, interponat pauca verba V. G. *Aqua eſt nimis frigida*, ſternutet aliquoties &c. nec tunc debet repetere jam prolata: facilius autem fit mutatio ſubſtantialis, ſi ſyllabæ interrumpantur; quia earum unitas non eſt ita diviſibilis, hinc eſt mutatio ſubſtantialis, dum in conſecratione dicit, *hoc eſt cor, tacete*, & ſubjungat: *pus meum*, vel ſpuat in terram. In praxi cavenda eſt omnis interpolatio præſertim interlocutoria propter irreverentiam & periculum nullitatis.

(16) *Reſ.* 9. Materia & forma debent ab eodem miniſtro applicari; hinc, ſi una mulier affundat aquam, altera pronuntiet formam, nullus eſt Baptismus, quia ſenſus formæ eſt falſus. *Excipe* Pœnitentiam, in qua materia ponitur a pœnitente, forma a confeſſario.

Reſ. 10. Materia & forma debent poni ſimul, ut ſpectata Sacramenti natura verba cenſeantur afficere materiam & de ea verificari; pro diverſitate autem Sacramenti major vel minor requiritur ſimultas: in conſecratione phyſica, ita, ut dum inchoatur forma, materia conſecranda ſit præſens ob pronomina, *hoc* & *hic* demonſtrativa: in aliis ſufficit ſimultas moralis; ſic ad verificationem hujus propoſitionis: ego jam bibo, ſufficit, quod immediate ante vel poſt verba biberim. Attamen in praxi caurandum eſt, ut ſecundum aliquas ſui partes phyſice coexiſtant; agitur enim de valore,

lore, & ſententia oppoſita eſt probabilis; in pœnitentia tamen abſolutio ſequi poteſt confeſſionem etiam poſt unam vel alteram horam valide, ex rationabili cauſa etiam licite.

(17) *Reſ.* 11. Peccat, *ut ſupra*, triplici peccato, qui adhibet materiam vel formam dubiam, dum certa haberi poteſt; ubi hæc haberi non poteſt, in neceſſitate habenda eſt dubia V. G. infans moribundus baptizandus eſt in aqua roſacea, ſi certior materia deſit, ſub conditione tamen, ſi ſit materia ſufficiens; ne forma abſolute prolata forte ſit falſa; neceſſitas enim excuſat, eſtque minus malum Sacramentum propter homines inſtitutum exponi periculo nullitatis, quam hominem damnari, inter duo autem mala minus eſt eligendum.

(18) *Reſ.* 12. Reus eſt gravis ſacrilegii, qui ſecluſo prudenti dubio formam ſacramenti repetit etiam ſub conditione tantum; quia ſecunda forma eſt inutilis, & iteratio ſub conditione permittitur tantum in dubio rationabili; imo unum tantum verbum aut ſyllabam ſine cauſa repetere eſt ſaltem veniale; hinc caveant illi, qui ex quovis levi ſcrupulo ſtatim repetunt formam ſacramentorum, idque in conſuetudinem deducunt: nec ideo prudenter dubitas, quia non recordaris te dixiſſe, ſi alias errare non ſoleas. Vere ſcrupuloſi raro hic peccant graviter propter anxietates & perplexietates: credibile enim non eſt, quod Deum graviter offendant, dum, ne offendant, repetunt: attamen antecedenter debent ſibi formare judicium, nil eſſe repetendum, cui poſtea ſtandum eſt contempto timore, hoc ſi negligant, graviter peccare poſſunt.

Reſ. 13. Sub conditione repetendum eſt ſacramentum, ubi facto diligenti examine manet prudens dubium, an Sacramentum fuerit vere collatum; interim in ſacramentis, quæ characterem non imprimunt, non eſt opus tanto examine, quam in characteriſticis.

QUÆSTIO IV.

(19) *An & qualis intentio requiratur in miniſtro?*

Suppono: miniſter ſacramentorum principalis eſt Chriſtus, *hic* enim *eſt, qui baptizat Joan.* 1. minus principalis ordinarius eſt ſolus homo viator; quia ſolis hominibus in perſona Apoſtolorum Chriſtus legitur contuliſſe hanc poteſtatem; quia tamen & Angeli boni leguntur adminiſtraſſe ſacramenta, ſunt miniſtri extraordinarii, & a potiori homines Beati; an autem Angeli poſſint conficere ſacramenta, eoquod non poſſint verba humana proferre, controvertitur. Non tamen omnis homo eſt miniſter pro omni ſacramento, ut definivit *Tridentinum*, ſed tantum qui in Eccleſia rite ordinatus eſt; excipe Baptiſmum & Matrimonium; unde in Miniſtro præprimis requiritur poteſtas conficiendi ſacramentum, de quo per decurſum. *Quantum ad intentionem.*

(20) *N.* Intentio hic eſt *actus voluntatis, quo quis aliquid vult*, eſtque quadruplex: *actualis, virtualis, habitualis & interpretativa. Actualis* eſt volitio, qua quis cum perceptibili advertentia aliquid vult; ad eam tamen non requiritur, ut quidam ſcrupuloſi putant, ore vel corde dicere: *volo orare, volo baptizare, volo facere, quod facit Eccleſia* &c. ſed ſufficit in actu exercito, ſeu quod advertens faciat, quod novit ab Eccleſia fieri. Intentio *virtualis* eſt intentio actualis habita remanens in virtute, ſecundum quam influit in operationem, & probabilius eſt intentio aliqua actualis tenuis, vi cujus pergit quis operari ob finem per intentionem priorem intentum, licet propter diſtractionem non ita advertat; hoc cenſetur fieri, quamdiu ponuntur media ad intentum finem, V. G. poſt intentionem legendi miſſam vadis ad ſacriſtiam, te lavas &c.

quam-

quamvis totus diſtractus. Intentio *habitualis* eſt intentio ſemel habita non revocata, non remanens in virtute. *Interpretativa* eſt intentio, quæ nec exiſtit, nec exſtitit, ſed præſumitur adfore, ſi memoria rei occurreret.

(21) *D.* 1. Ad valorem Sacramenti requiritur in miniſtro 1. aliqua intentio: 2. faciendi, quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, ſaltem confuſe & implicite, & quidem 3. non tantum actionem illam externam, ſed conferendi Sacramentum, *Ratio primi & ſecundi eſt;* quia miniſter debet agere humano modo, & nomine Chriſti miniſtri principalis; hinc Tridentinum (a) ſic definit: *Siquis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* 3. *Pars contra quosdam Lovanienſes Prob.:* qui ſe gerit ut miniſter Chriſti & Eccleſiæ, debet ſuam intentionem conformare intentioni Chriſti & Eccleſiæ, agit enim nomine utriusque, ſed intentio Chriſti & Eccleſiæ non eſt facere actionem externam utcunque, ſed ut ſacram & ſacramentalem, ergo. *Deinde* ſi ſufficeret ſerio ponere actum externum, poſſet Sacramentum confici cum intentione non faciendi, quod facit Eccleſia, quod damnavit Alexander VIII. *Denique* religioſus Sacerdos in menſa ex Evangelio ſerio legens: *Hoc eſt Corpus meum*, conſecraret panes appoſitos, quod nemo dicit.

Ob. 1. Miniſter confert gratiam, licet hanc non intendat, ergo & ponendo actionem externam ponet ſacramentum, licet hoc non intendat. ℞. *n. c.* gratia ex Chriſti voluntate neceſſario connexa eſt cum Sacramento in ſubjecto diſpoſito: aſt actio præciſe externa non neceſſario connectitur cum Sacramento, ut patet in matre lavante puerum, & pronuntiante formam Baptiſmi.

Inſt.

(a) *Seſſ.* 7. *Can.* 11.

Inſt. Ut dominus per famulum det eleemoſynam ſufficit in hoc ſola donatio externa, ergo & ut Chriſtus per miniſtrum valide baptizet, ſufficit ablutio externa. ℞. *d. a.* ſi ſit tantum internuntius donationis factæ, & purus executor *c.* ſic enim poſſet fieri per canem ita edoctum: ſi ei ut procuratori committatur donatio authoritate domini facienda. *n.*

Ob. 2. Noluit Chriſtus Sacramentorum valorem pendere a bonitate miniſtri, ne incerta eſſent Sacramenta, ſed idem ſequitur, ſi requiratur intentio, ergo. ℞. *n. m.* facile enim contingit miniſtrum eſſe malum, non ita facile carere ſufficienti intentione; hanc enim habere eſt facillimum, & contrarium nil prodeſt. Incommoda, quæ exaggerantur de Baptismo ob defectum intentionis invalido, etiam ſequuntur, ſi miniſter ſerio agat actionem externam, interius autem intendat jocari ac ludere, ſi occulte aliquid formæ omittat &c. Sufficit caſum eſſe rariſſimum, nec facile permitti a Deo; talis autem infans, ſi moriatur, excluditur a cœlo non propter malitiam miniſtri, ſed propter peccatum originale, ſicut ſi ante Baptismum occidatur.

Ob. 3. Valet Baptismus ab Atheo collatus, ſed is non intendit facere, quod Eccleſia, neque quod Chriſtus, cum hæc omnia neget; ſic nec hæreticus intendit facere, quod facit Eccleſia Chriſti, ſed quod ſua, quæ eſt Eccleſia Anti-Chriſti ergo. ℞. *d. m.* intendit intentione particulari & inefficaci *c.* generali & efficaci. *n.* Atheus, dum ſerio vult baptizare, habet duas voluntates ſeu intentiones, unam, qua nec Eccleſiam, nec Deum vult agnoſcere, & hæc eſt particularis, aliam, qua de facto vult baptizare & facere, quod faciunt Chriſtiani, & quod ab eo petitur, & hæc eſt generalis, quæ prævalet, & impedit errorem, & intentionem particularem. Simile eſt de hæretico, pro quo

Reſ.

Reſ. Sufficit intentio generalis faciendi, quod facit vera Chriſti Eccleſia, quæcunque illa ſit, imo faciendi, quod facit Eccleſia particularis, quæ putatur eſſe vera, licet ſit falſa, modo in illa adhibeatur recta intentio; nec obeſt error privatus.

(22) *D.* 2. Non requiritur in miniſtro intentio actualis, etſi hæc ſit optima: quia non eſt in poteſtate hominis ad diſtractiones maxime proni ſemper habere actualem, & prudenter timere poſſet ſuſcipiens de intentione miniſtri actuali; adeoque res eſſet plena ſcrupulis, & anxietatibus: nec ſufficit habitualis; collatio enim Sacramenti debet eſſe actus humanus a miniſtro nomine Chriſti poſitus; ſed ad hoc non ſufficit intentio habitualis, cum etiam detur in ebriis & dormientibus; ergo non ſufficit habitualis, minus interpretativa; hæc enim, cum nunquam fuerit, non poteſt influere in actionem miniſtri, ut fiat humano modo. Itaque ſufficit virtualis; hæc enim ſatis influit, ut patet in oratione, voto, contractu, quæ libere & humano modo agere dicimur, licet in ipſa actione diſtracti ſimus. *De Matrimonio dicetur ſuo loco.*

Ob. Ad ſuſcipiendum Sacramentum ſufficit intentio habitualis; ergo & ad miniſtrandum. ℟. *n. c.* Suſcipiens habet ſe paſſive, non operatur nomine Chriſti, miniſter active; ad agere autem plus requiritur, quam ad pati.

Inſt. Celebrans ſe habet active, attamen ad applicationem Miſſæ ſufficit intentio habitualis; V. G. hodie applico pro Petro omnes Miſſas per annum legendas, ergo. ℟. *n. c.* Applicatio non eſt confectio, ſed donatio quædam conditionata, qua applicans actualiter dicit: cedo fructum ſacrificii Petro, ſi illud per annum obtulero, ideoque impleta conditione donatio tranſit in abſolutam.

(23)

(23) *Reſ.* 1. Qui advertenter vadit ad baptiſterium, confeſſionale, altare &c. miniſtraturus Sacramentum, valide baptizat &c., quamvis prævie nullam intentionem fecerit, & tempore miniſterii ſit omnino diſtractus; quia adeſt intentio exercita, quæ manet virtualiter, licet non percipiatur; voluit enim ibi aliquid facere, & quid aliud, quam baptizare &c.? Hinc, qui advertenter poſuit actionem Sacramentalem, non poteſt prudenter dubitare de intentione.

Reſ. 2. Idem eſt de eo, qui poſuit pixidem in altari ſuper corporale conſecraturus parvas hoſtias, licet in conſecratione deſuper non cogitet, calicem non detegat &c. *De his plura ſuo loco.*

Reſ. 3. Qui timet, an habeat intentionem ſufficientem, hoc ipſo habet plus quam ſufficientem, & hæ ſcrupuloſæ reflexiones ad minus devotionem impediunt.

Reſ. 4. Retinet ſufficienter intentionem ſacerdos, qui poſt Evangelium tempore concionis recedit ab altari, licet tunc parum dormiviſſet, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; ſi ſomnus fuiſſet longior, intentio eſſet renovanda, quod fit eo ipſo, quo advertenter regreditur ad altare. Idem eſt de celebrante, qui vadens ad ſacriſtiam parum fabulatur, legit litteras, & ſimilibus multis.

(24) *D.* 3. Intentio hæc debet eſſe directa, & per medium non privans uſu rationis. Hinc, qui novit ſe in ebrietate pronuntiare verba V. G. conſecrationis, & ſe inebriat, non conſecrat; per ebrietatem enim vel ſomnum aufertur omnis influxus humanus & moralis, quod non fit per diſtractionem.

D. 4. Non obeſt valori Sacramenti, ſi intentio metu extorqueatur V. G. baptizas puerum ob metum mortis tibi intentatæ; quia metus non cauſat involuntarium ſimpliciter. *De Matrimonio dicetur ſuo loco.*

(25)

(25) *D.* 5. Ad validam Sacramenti confectionem requiritur 1. ut intentio dirigatur ad determinatam perſonam & materiam. Patet id ex forma Sacramentorum: *Ego te abſolvo*, *baptizo te. Hoc eſt Corpus meum* &c.; debet autem miniſter intentionem ſuam dirigere ad perſonam præſentem, quæcunque illa ſit; hinc valide abſolvo virum, quem puto eſſe fæminam, Petrum, quem puto eſſe Paulum. Excipitur matrimonium, in quo ob graviſſima conjugii onera quilibet merito alligat intentionem huic determinatæ perſonæ. 2. Requiritur, ut intentio ſit abſoluta ſaltem æquivalenter, qualis eſt, dum conditio eſt de præſenti, vel præterito ac revera ſubſiſtit; hinc non valet abſolutio ſub conditione de futuro: V. G. abſolvo te, ſi intra tale tempus reſtitueris; quia talis conditio ſuſpendit præſentem intentionem, ergo non fit Sacramentum jam defectu intentionis efficacis, nec poſtea, dum conditio impletur; quia tunc non amplius adeſt materia & forma.

Ob. Sententia judicialis poteſt ferri ſub conditione de futuro, ergo & abſolutio ſacramentalis. *Prob. a ſimili* de matrimonio, quod, quia eſt contractus poteſt fieri ſub tali conditione. ℞. *n. c.* Chriſtus circa contractum matrimonii nihil innovavit, ſed tantum elevavit ad rationem Sacramenti, abſolutionem vero Sacramentalem inſtituit, prout voluit, quæ, ſicut non poteſt ferri ſcripto vel in abſentem, ſicut aliæ ſententiæ judiciales, ita nec ſub conditione ſuſpenſiva valoris & effectus. In matrimonio non ſuſpenditur effectus Sacramenti, quia contractus talis non eſt materia Sacramenti, niſi impleta conditione evadat abſolutus.

Ref. 1. In praxi conditiones etiam de præſenti vel præterito non ſunt apponendæ, niſi ex cauſa rationabili V. G. in Baptismo, dum prudenter dubitatur, an obſtetrix rite baptizarit, in pœnitentia, an V. G. puer mori-

moriturus habeat ſufficientem uſum rationis &c. in his & ſimilibus apponenda eſt conditio ſufficienter quidem mente (quia per illam ſatis reſtringuntur verba, quæ ultra intentionem loquentis operari non poſſunt) melius tamen ore etiam exprimitur.

(26) *Reſ.* 2. Simul habeantur duæ intentiones vel voluntates contrariæ V. G. Lutheranus vult conficere Baptiſmum, prout eſt inſtitutus a Chriſto, non prout confertur ab Eccleſia Romana, illa intentio prævalet: quæ eſt major appretiative, hæc enim alteram quaſi irritat; quænam autem ſic ſit major, cognoſci debet ex diſpoſitione miniſtri; ſi enim ita ſit conſtitutus, ut cognita impoſſibilitate alteram præeligeret, hæc eſt major, hoc autem facile quis in ſe experiri poteſt. In dubio dubius eſt valor Sacramenti. Si utrumque æque primo intenderet ignorans incompoſſibilitatem, Sacramentum eſt nullum; quia intentio fertur in objectum impoſſibile.

Reſ. 3. Valet conſecratio, ſi Sacerdos ex ignorantia, non, ſi ex malitia, per to *Corpus meum* intelligat ſuum Sacerdotis; quia prævalet intentio generalis ſignificandi, quod Chriſtus inſtituit. Idem applica multis aliis.

Q. *Quid de attentione?*

(27) ℞. Præter intentionem requiritur attentio, hoc eſt: advertentia intellectus ad id, quod agitur, præſertim dum profertur forma & applicatur materia; hanc enim exigit reverentia Sacramenti, attamen probabiliter eſt veniale tantum voluntarie diſtrahi, niſi ſit periculum notabile aliquid omittendi, vel in forma aut materia mutandi, quale ordinarie non eſt in illo, qui eſt exercitatus, ideoque & voluntaria diſtractio in Miſſa ſub Canone, per ſe non eſt mortale; quia non apparet tam gravis irreverentia, nec debet aſtrui peccatum mortale ſine ratione convincente, ut habet communiſ-

muniſſima: *Periculoſe*, ait D. Thomas quodl. 9. q. 7. a 15. *determinatur aliquid eſſe mortale, niſi expreſſa veritas habeatur*, quod ſemel pro ſemper dictum ſit. Dixi: per ſe; in praxi enim videtur eſſe gravis negligentia; hæc vero in re gravi plerumque eſt peccatum grave.

QUÆSTIO V.

(28) *An in miniſtro requiratur fides & ſtatus gratiæ?*

N. Miniſter alius eſt *ſolemnitatis*, qui conficit Sacramentum ut miniſter ad id conſecratus, vel ſaltem ab Eccleſia ſpecialiter deputatus, ut eſt Sacerdos reſpectu Baptismi ſolemnis: alius *ſimplicis idoneitatis*, qui ſine his miniſtrat, ut in matrimonio & Baptismo non ſolemni.

D. 1. Ad conficiendum valide Sacramentum non requiritur in miniſtro fides infuſa, aut ſtatus gratiæ. *Eſt de fide definitum in Trident.*; quia miniſter non virtute propria ſed Chriſti principalis miniſtri, ejusque meritis conficit Sacramenta. *Deinde* infidelis reſpectu Baptismi poteſt applicare materiam & formam cum debita intentione; atqui ab his pendet valor Sacramenti, ergo. Et cum actio miniſtri conferat gratiam ex opere operato, non obeſt ſi ſit peccaminoſa, ſicut nec, ſi ſit ſimoniaca.

(29) *D.* 2. Peccat mortaliter per ſe loquendo, qui Sacramentum conficit in mortali tanquam miniſter ſolemnitatis; quia ſancta ſancte tractanda ſunt, & miniſter gerit perſonam Chriſti, ergo gravem committit irreverentiam; eo ipſo enim, quod quis eſt ſpecialiter deputatus in miniſterium Chriſti, obligatur ſe conformare in ſanctitate ſuo agenti principali. *Deinde* in lege veteri, Exod. 19. dicitur: *Sacerdotes, qui ac-*

cedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos, ergo magis modo.

(30) *D.* 3. Probabile eſt miniſtrum neceſſitatis non peccare graviter, ſi Sacramentum in mortali conficiat; quia, licet obligatio oriatur ex ſanctitate Sacramenti & reverentia debita miniſtro principali, ideoque ſententia oppoſita ſit valde probabilis, non tamen videtur oriri tanta reſpectu omnis miniſtri, ſed illius tantum, qui per ſe ad hoc munus eſt deputatus; cum enim ipſe hoc munus acceptet, & ſpeciales ad rite peragendum accipiat gratias, ſpecialem contrahit obligationem miniſtrandi in ſtatu gratiæ.

Reſ. 1. Sacerdos in extrema neceſſitate in peccato mortali baptizans, probabiliter non peccat graviter; quia tunc non facit ex officio, & poteſtas ſacerdotalis habet ſe per accidens; econtra peccat mortaliter Diaconus ex ſpeciali commiſſione Sacerdotis ſolemniter in mortali baptizans.

Reſ. 2. Celebrans Miſſam in mortali duo ſaltem committit peccata mortalia ſpecie diſtincta unum conficiendo, alterum indigne ſumendo Sacramentum, in rigore adhuc unum ſibi indigno miniſtrando, & probabilius quartum indigne miniſtrando.

(31) *Reſ.* 3. Conjuges in ſtatu peccati mortalis contrahentes peccant mortaliter, quatenus hoc Sacramentum indigne ſuſcipiunt, probabiliter non peccant graviter, quatenus ſibi mutuo miniſtrant, cum non ſint ab Eccleſia ſpecialiter deputati.

Reſ. 4. Parochus in ſtatu peccati mortalis aſſiſtens matrimonio peccat graviter; probabilius enim eſt Miniſter.

Reſ. 5. Qui in ſtatu peccati mortalis audit confeſſionem, per hoc præciſe non tamen peccat graviter, ſi eliciat contritionem, antequam abſolvat; quia

quia jure naturali, & divino ſancta ſancte ſunt tractanda.

(32) *Reſ.* 6. Probabilius videtur eſſe mortale, miniſtrare communionem in mortali, licet Sacramentum non conficiat; quia videtur gravis irreverentia in Chriſtum Dominum, dum ut miniſter ſanctiſſimum ejus Corpus diſpenſat.

QUÆSTIO VI.

An liceat petere Sacramentum a miniſtro indigno, & econtra miniſtrare indigno?

N. Miniſter indignus hic eſt, qui valide miniſtrare poteſt, ſed prævidetur id facturus in peccato mortali, vel per cenſuram prohibetur miniſtrare.

(33) *D.* 1. Peccat mortaliter, qui ſine juſta & gravi cauſa petit aut accipit Sacramentum a miniſtro notorie indigno; quia ex lege charitatis tenemur impedire peccatum proximi, dum ſine gravi incommodo poſſumus; ergo non dare occaſionem miniſtro peccandi, quod fit petendo, non cooperari ejus peccato, quod fit recipiendo; hoc verum eſt, licet ſit Parochus & aliunde jam ſit paratus, quia hic & nunc peccaret ſaltem actu externo. *Dixi* 1. *ſine juſta & gravi cauſa;* ſi enim hæc adſit & non adſit alius, qui poſſit, aut velit miniſtrare, licitum eſt etiam petere; quia aliena malitia nemini in ſuo jure nocet, & cum ille ſine peccato conferre poſſit, ſi per contritionem ſe diſponere velit, malitia ipſi, non petenti, imputatur, *ut alibi de ſcandalo* (a). *Dixi* 2. *Notorie indigno*; ſi enim ſit occulte malus, ſubditus vel Parochianus debet ab eo recipere V. G. communionem paſchalem, ejus Miſſas audire; quamdiu enim eſt occulte malus, manet in poſ-

(a) *Vid. Part. II. Tract. I. de Virtut. Theolog. Diſſ.* 2. *Q. XI. de ſcand. num.* 90.

ſeſſione ſuæ famæ, quæ ſine injuria non poteſt ſpoliari abſtrahendo ſe ab ipſius Sacramentis & Miſſis.

(34) *Reſ.* 1. A notorie excommunicato non tolerato, a nominatim ſuſpenſo, publice per ſententiam irregulari, a degradato extra caſum extremæ neceſſitatis non licet petere aut ſuſcipere Sacramenta; quia Eccleſia graviſſime prohibet cum his communicare præſertim in ſacris: in extrema vero neceſſitate aut in articulo vel morali periculo mortis, ſi deſit alius, licitum eſt ab his petere Sacramenta neceſſaria, ut: Baptismum *Cap.* 40. *q.* 1. abſolutionem *Trid. Seſſ.* 14. *Cap.* 7. viaticum, quamvis præceſſerit abſolutio, probabiliſſime etiam extremam unctionem, ſi non præceſſerit abſolutio; quia & illa per accidens poteſt in attrito cauſare primam gratiam. *Ratio horum eſt;* quia, licet adultus poſſit ſalvari per ſolam contritionem, longe tamen facilius, tutius & efficacius fit cum ipſo Sacramento; hinc Eccleſia tunc non vult ſuos propter aliorum malitiam tanto præſidio fraudare.

Reſ. 2. Ab excommunicato tolerato, vel ſuſpenſo ex gravi cauſa extra mortis periculum peti poſſunt Sacramenta; quia petitur res Sacra, quam miniſter ſine peccato dare poteſt. Gravis cauſa eſt, ſi urgeat præceptum annuæ confeſſionis vel communionis, ſi ſis infirmus, ſi nimis diu expectare deberes, ſi gravis tentatio ſine confeſſione vinci non poſſit, ſi occurrant indulgentiæ plenariæ, ubi hæ ſunt raræ, ſi indigeas ſacro pro defuncto amico &c.

Reſ. 3. In dubio, an miniſter ſit malus, poſſunt peti, quia in dubio debet præſumi bonus, & quamvis viderim heri aut aut ante horam illum peccaſſe mortaliter, præſumi poteſt ſe diſpoſuiſſe aut diſpoſiturum faltem per contritionem, niſi certo conſtet eſſe conſuetudinarium, eſſe in occaſione proxima; tunc enim ſine gravi cauſa peti non poſſunt.

(35) *D.* 2. Peccat mortaliter per ſe loquendo, qui Sacramentum ſcienter miniſtrat indigno; quia miniſter tenetur Sacramentum miniſtrare reverenter, & fideliter; ergo non conferre indignis dicente Chriſto: *Nolite ſanctum dare canibus.* *Deinde* cooperaretur peccato ſuſcipientis; ergo non tantum contra religionem, ſed & charitatem peccat; hinc in rigore Sacerdos in mortali celebrans diſtinctum committit peccatum, ut ſibi indigno miniſtrat Euchariſtiam. *Dixi: per ſe;* quia per accidens ſæpe licitum eſt, pro quo

Reſ. 1. Indignus hic eſt, qui valide, ſed ſine effectu gratiæ Sacramentum ſuſcipit.

(36) *Reſ.* 2. Occulte indigno publice petenti negari non poteſt Sacramentum, ſi non poſſit absque gravi ejus infamia; ſic enim docemur exemplo Chriſti, qui Euchariſtiam dedit Judæ occulte indigno, quod factum Apoſtoli & Eccleſia apprehenderunt ut exemplum, quod ſequerentur, ut ex traditione & praxi conſtat. *Dein* ordinata charitas Eccleſiæ poſtulat, ut nemo publice repellatur a Sacramento, qui non eſt publice compertus de crimine, non quidem ob jus præciſe, quod habet ad famam, prout ſupponunt argumenta contraria, ſed ob jus Chriſtianæ communitatis; quæ multa inde pateretur incommoda; facile enim orirentur ſcandala, diſſenſiones, multique averterentur a ſuſceptione & adminiſtratione Sacramentorum; vel enim miniſter teneretur indignitatem probare, & hoc ipſi odioſum foret: vel non teneretur, & ſic timendum eſſet, ne ex paſſione vel malitia procederet; attamen talis privatim monendus eſt, vel ſi non poſſit, omnes in genere hortandi ad dignam ſuſceptionem.

Reſ. 3. Sacramentum Ordinis indigno conferri non debet, licet publice petat, idque ob bonum publicum, quod debet præferri privato, ſalva tamen, quantum fieri poteſt, conſervatione famæ, quod hic non eſt dif-

ficile, quia multi rejiciuntur propter defectus phyſicos V.G. titulum, ætatem &c. & ſi quæ ſit infamia, prævalet bonum Eccleſiæ. Attamen probabile eſt, Epiſcopum præciſe ob crimen occultum non poſſe aliquem repellere ab ordine, ſi crimen non vergat in detrimentum communitatis, præcipue, ſiquis prætendat jus ratione beneficii aut dignitatis; quia *Cap. ex tenore, de tempore ordinandorum*, ſic habetur: *Veruntamen, quia peccatum occultum eſt, non debet aliqua ratione prohibere.*

(37) *Reſ.* 4. Occulte indigno occulte petenti negandum eſt Sacramentum, poteſt enim fieri ſine ipſius infamia, nullum ſequitur incommodum, & negatio ſervit pro correctione; *excipe:* niſi indignitas ſit nota ex ſola confeſſione Sacramentali; tunc enim repelli non poteſt, ſive publice, ſive privatim petat; eſſet enim tacite exprobrare crimen confeſſum, *de quo alibi.*

(38) *Reſ.* 5. Peccatori publico, cujus delictum eſt evidens, vel evidentia juris (dum de delicto conſtat in judicio ex propria rei confeſſione, ex depoſitione teſtium aut ſententia judicis) vel evidentia facti aut famæ, hoc eſt: quando tam multis, & talibus eſt notum, ut nulla tergiverſatione poſſit celari, illicite confertur Sacramentum ab abſolutione diſtinctum, quamvis in foro Sacramentali ſit abſolutus, quamdiu non conſtat publice de talibus veræ converſionis indiciis, ut ſcandalum abſit, V.G. de publico concubinario, quod concubinam dimiſerit; id enim foret ſcandaloſum. *Excipe iterum:* niſi ex ſola confeſſione Sacramentali ſciatur peccatum eſſe publicum: ſi tamen talis privatim petat V.G. communionem, ſufficit occulta pœnitentia, & propoſitum mox ſatisfaciendi ſcandalo publico.

Reſ.

Reſ. 6. Si crimen non ſit ſimpliciter publicum, tamen notum omnibus præſentibus, negandum eſt Sacramentum; non enim ſequitur nova infamia. Econtra, ſi ſit ſimpliciter publicum, attamen ignotum præſentibus, vel publicum in vicinia, ex qua facile hic ſit publicandum, negari debet; quia amiſit jus ad famam etiam hic, & temere petendo eſt cauſa, quod crimen ignorantibus fiat notum.

Reſ. 7. In articulo mortis, vel morali periculo peccatori etiam publico, ſi ſigna pœnitentiæ dederit, & privatim non poſſit, publice dandum eſt Sacramentum; quia neceſſitas prævalet ſcandalo mox auferibili, ſi reſipiſcentia publicetur.

(39) *Reſ.* 8. Non ſufficit, quod miniſter reſciat indignitatem ſuſcipientis, ſed requiritur, ut prudenter judicet eſſe diſpoſitum; hoc enim exigit officium prudentis, & fidelis diſpenſatoris: attamen non requiritur pro omnibus Sacramentis eadem cura: in pœnitentia requiritur major, cum ibi Sacerdos ſit judex, & diſpoſitio pœnitentis requiratur ad valorem: exactam quoque requirit Ordo; quia ab hoc dependet bonum commune, & ſalus animarum: in Baptiſmo adultorum inquirendum eſt de diſpoſitionibus: circa parvulos primo volentes communicare aut confiteri, an ſint ſatis inſtructi: ante Matrimonium Parochus tenetur inquirere de impedimento, item an intelligat fidei rudimenta, pariter curare, ut ſponſi ſint in gratia, prævie confiteantur; pro Confirmatione, Euchariſtia, & Unctione ordinarie præſumitur dignus, qui illa petit, niſi de contrario conſtet, aut fundata ſit præſumptio.

Reſ. 9. In Germania excipitur hic matrimonium, quod aliquando pro conſervanda tranquillitate publica toleratur cum parte hæretica, ſicque peccatori publico miniſtratur Sacramentum, attamen indirecte tantum;

quia contrahentes principaliter conficiunt contractum; ſi tamen ſponſus V. G. ſit hæreticus tantum materialis, debet Parochus cum eo elicere contritionem.

(40) *Reſ.* 10. Indigno, qui non poteſt ſe ad communionem diſponere, quamvis conſentienti non licet dare hoſtiam non conſecratam pro conſecrata, ut legitur factum; quia illam hoſtiam exponit adorationi tum adſtantium, qui committent idololatriam materialem, tum illius, qui eum externa reverentia illam hoſtiam ſuſcipiet, adeoque ſcienter committet idololatriam ſaltem externam; poſſet tamen Sacerdos illi cum hoſtia conſecrata benedicere dicendo: *corpus Domini* &c. eamque occulte in ciborium deponere; quia talis benedictio habet ſe indifferenter ad miniſtrationem Sacramenti.

(41) *D.* 3. Si ſuſcepturus nequidem valide poſſit ſuſcipere Sacramentum, non poteſt ipſi conferri nequidem metu mortis V. G. minatur quis te occidere, niſi baptizes Judæum invitum, abſolvas indiſpoſitum. *Ratio eſt;* quia tunc applicando materiam, & formam, ſimulas te conferre Sacramentum, quod ſcis fieri non poſſe, eſtque illuſio Dei, & reale mendacium in re graviſſima: pro quo

Q. *An liceat aliquando ſimulare Sacramentum?*

(42) *N.* Sacramentum ſimulare eſt ponere ejus materiam, & formam, vel ſaltem formam ſine intentione Sacramentum conficiendi; hoc, ſi fiat ex intentione, ut putetur Sacramentum conferri, eſt ſimulatio formalis, & reale mendacium intrinſece malum; ſi ſine tali intentione cum prævitione tamen alios putaturos Sacramentum confici, eſt ſimulatio materialis tantum.

℞. 1. Simulatio Sacramenti etiam materialis tantum eſt grave ſacrilegium, quia eſt gravis irreverentia in Chriſtum, ita abuti verbis, & rebus ſacris ab

ipſo

ipſo inſtitutis, eſtque reale mendacium, quamvis deſit animus aliquem per hoc decipiendi.

Reſ. 1. Peccat graviter, qui ex metu mortis profert verba conſecrationis ſuper panem ſine animo conſecrandi, formam abſolutionis ſuper indiſpoſitum ſine animo abſolvendi.

Reſ. 2. Non peccat, qui ſuper indiſpoſitum dicit: ego te benedico in nomine Patris &c. vel ego te non abſolvo &c. pronuntiando ly *non* ſubmiſſe; non debet tamen intendere deceptionem circumſtantium, ſed illam tantum permittere, cogitando V. G. volo huic tantum dare benedictionem, ne homines advertant me negare abſolutionem, quamvis prævideam illos putaturos, me illam dare.

(43) ℟. 2. Ex juſta cauſa non eſt illicita ſimulatio materialis circa rem indifferenter ſe habentem ad Sacramentum V. G. licite accedo ad confeſſionale, ut loquar confeſſario, licet alii putent me confiteri; ſi autem accederem eo fine, ut circumſtantes putarent me confiteri, præter mendacium reale committerem ſacrilegium contra reverentiam Sacramenti, ſed veniale tantum. Speciale hic eſt de matrimonio, de quo ſuo loco.

QUÆSTIO VII.

(44) *Quid ex parte ſubjecti requiratur ad valide, & licite ſuſcipiendum Sacramentum?*

N. 1. Subjectum capax Sacramentorum eſt ſolus homo viator; quia hic ſolus ex voluntate Chriſti eſt capax gratiæ de novo accipiendæ, vel augendæ, quæ eſt finis, & effectus Sacramentorum: non tamen omnis eſt capax omnium, mulier enim non eſt capax Ordinis.

N. 2. Qui non eſt baptizatus, non eſt proxime capax alterius Sacramenti, Sacramenta enim ſunt pro ſola Eccleſia, ſed per Baptiſmum ingredimur Eccleſiam, & evadimus membra ejus. *Deinde* per Baptismum regeneramur, ſed nemo poteſt roborari, creſcere, nutriri, niſi generatus: ergo.

N. 3. Adulti hic dicuntur, qui vel ratione utuntur, vel ea aliquando uſi ſunt; amentes vero, qui nunquam ea uſi fuerunt, comparantur parvulis, & infantibus.

N. 4. Ut infantes, & perpetuo amentes ſuſcipiant valide, & cum fructu Sacramenta, quorum ſunt capaces, non requiritur intentio, vel alia diſpoſitio; cum enim propria voluntate non peccarint, etiam ſine proprio actu juſtificantur per Baptismum, & cum ad ſalutem ſuam cooperari nequeant, ſufficit illis intentio Chriſti, & Eccleſiæ: ſunt autem capaces Baptismi, ut eſt de fide, a pari, & Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis, non Pœnitentiæ, Unctionis, & Matrimonii cum hæc ſupponant hominem doli capacem.

(45) *D.* 1. In adultis ad valide ſuſcipiendum Sacramentum Euchariſtia diſtinctum requiritur intentio ſeu conſenſus poſitivus, quo velint tale Sacramentum ſuſcipere ſaltem in confuſa ratione Sacramenti; quia ſicut Deus hominem adultum nonniſi per proprios actus libere cooperantem ſalvat, ita nec ei niſi libere conſentienti vult applicari media ſalutis. *Deinde* pleraque Sacramenta inducunt gravem obligationem; ſed æquum non eſt hanc imponi ſine poſitivo conſenſu; ergo.

Reſ. 1. Si adſit voluntas contraria, nihil fit, ſic enim definivit Innocentius III. *de Baptismo.*

Reſ. 2. Nec ſufficit ſe habere negative, ſive non contrarie; quia Concilia, *Carthaginenſe III. & Arauſica-*

ſicanum I. ſtatuunt ſubito obmuteſcenti conferri poſſe Baptismum, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeatur, ſed hoc fruſtra exigeretur, ſi ſufficeret ſola voluntas non contraria; ergo.

Ob. Cap. majores, de Baptismo dicitur: Sacramentum validum eſt, quando obicem contrariæ voluntatis invenit, ergo ſufficit ſe habere negative. ℞. *d. a.* Voluntatis contrariæ tantum poſitive per carentiam diſſenſus poſitivi *n.* contrariæ etiam privative per carentiam conſenſus *c.* intelligit cit. Cap. per non contrarietatem conſenſum in Baptismum ſaltem habitualem; patet hoc ex contextu.

Inſt. Aliqui Sancti leguntur ordinati contra voluntatem, & reluctantes. ℞. *d.* Simpliciter reluctantes *n.* ſecundum quid ob humilitatem *c.*

(46) *D.* 2. Ad validam, & fructuoſam Sacramenti ſuſceptionem ſufficit, & requiritur intentio habitualis. Patet id ex Conciliis cit., quæ contenta ſunt teſtimonio voluntatis præteritæ, intellige: non retractatæ.

Dices. Suſcipiens ſe habet paſſive tantum: ergo fruſtra requiritur in illo intentio. ℞. *d. a.* Habet ſe paſſive tantum phyſice *n.* moraliter, & humano modo *c.* Recipiens eſt patiens voluntarie, qui conſentire debet in favores, & onera, quæ dantur per Sacramenta.

Reſ. Intentio hæc debet eſſe directa, qua Sacramentum in ſe ſit volitum; cum indirecta enim poteſt ſtare voluntas contraria, ſic Judæus prævidens ſe in ſomno baptizandum, poteſt velle ſomnum, & nolle Baptismum: inſuper debet eſſe abſoluta, *ut ſupra de miniſtro.*

(47) *D.* 3. In aliquibus Sacramentis ſufficit intentio habitualis implicita incluſa in voluntate Chriſtiane vivendi, & moriendi: ſic 1. ad Euchariſtiam reci-

recipiendam a moribundo licet jam ratione privato, modo abſit periculum irreverentiæ, & alia adſint: 2. juxta aliquos ad Pœnitentiam, in caſu extremæ neceſſitatis de quo *ſpecialiter infra:* 3. ad extremam unctionem, & 4. probabiliter etiam ad Baptismum in moribundo, ſi habuiſſet voluntatem ſuſcipiendi omnia ad ſalutem neceſſaria, quamvis de baptismo nil audiviſſet.

Reſ. 1. Qui poſt petitum Sacramentum incidit in amentiam, valide baptizatur, confirmatur, communicatur, abſolvitur, inungitur, quamvis in phræneſi, vel amentia contradicat; quia negatio non eſt actus humanus, & liber, ideo prior intentio habitualiter manet.

Reſ. 2. Judæum in articulo mortis probabiliter potes, & ideo ex charitate teneris baptizare ſub conditione: ſi ſit capax, modo prudenter judices habuiſſe ſaltem attritionem, & efficaciter velle ſalvari; quia in hac includitur voluntas ſervandi omnia Dei præcepta, & recipiendi media ad ſalutem neceſſaria, ideoque, & ſuſcipiendi Baptismum; intentio autem contraria eſt minus efficax, ſi enim ſciret eſſe neceſſarium, utique illum vellet. Ita cum aliis Reverendiſſimus Janſen.

(48) *D.* 4. Ut adultus compos rationis licite, & cum fructu Sacramentum ſuſcipiat, requiruntur debitæ diſpoſitiones, per quas fiat capax gratiæ ſanctificantis aut ejus augmenti percipiendi; quia ſanctificare non vult Deus adultum ſine debita diſpoſitione; itaque ad Sacramentum mortuorum requiritur actus fidei, & ſpei ſaltem virtualis; per Baptismum enim, & Pœnitentiam accedimus ad Deum; ergo *oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* ad Hebr. 11. Inſuper; ſi ſibi eſt conſcius peccati mortalis, in baptizando requiritur attritio ſupernaturalis;

ralis; peccatum enim perſonale non remittitur, niſi retractetur: non tamen contritio, alias eſſet Sacramentum vivorum. Ad hæc Sacramenta requiritur, & ſufficit ſtatus gratiæ; conferunt enim per ſe gratiam ſecundam, ergo ſupponunt primam procuratam, Euchariſtia per confeſſionem, alia ſaltem per contritionem; ad omnia autem Sacramenta ut diſpoſitio requiritur obſervatio eorum, quæ vel ex natura rei, vel ex præcepto Dei aut Eccleſiæ neceſſaria ſunt. *De quibus particularia ſuis locis.*

(49) *Reſ.* 1. Qui omittendo debitam diſpoſitionem impedit effectum gratiæ, per ſe committit grave Sacrilegium: quia privat Sacramentum primario ſuo effectu, & abutitur inſtitutione divina in re maximi momenti.

Reſ. 2. Ut fructuoſe ſuſcipiantur Sacramenta vivorum ſufficit Fides, & Spes implicita confuſa, qua quis ex memoria notitiæ per fidem comparatæ velit ſuſcipere tale Sacramentum ut conferens fructum aliquem ſpiritualem.

Reſ. 3. Ad hæc Sacramenta non requiritur actualis devotio, quamvis hæc valde utilis ſit ad majus gratiæ augmentum, eſtque valde indecens ſic recipere præſertim Euchariſtiam, & indubie modicum valde accipiet gratiæ, qui voluntarie ſine ulla recipit devotione.

Reſ. 4. Qui in peccato veniali habituali tantum ſuſcipit Sacramentum, non peccat: qui autem cum actuali affectu ad veniale, non ponit quidem obicem effectui primario, qui eſt gratia ſanctificans, probabilius tamen committit novum veniale.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

(50) *Quinam ſint effectus Sacramentorum?*

D. 1. Omnia Sacramenta in rite diſpoſitis cauſant gratiam habitualem ſanctificantem primam, vel ſecundam, *de quo ſupra* (a); hanc velut proprietates concomitantur habitus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, & ſiqui ſint alii: *item* jus ad ſpecialia, & copioſiora auxilia gratiæ actualis ſuo tempore intuitu Sacramenti ſuſcepti danda, pro cujusque Sacramenti fine proprio conſequendo conducentia, niſi ſe illis indignos reddant ſuis peccatis, per quod jus annexum gratia Sacramentalis differt a non Sacramentali ſeu collata extra Sacramentum. *Deinde* aliqua Sacramenta imprimunt characterem, *de quo ſupra* pro noſtro inſtituto ſatis.

(51) *Reſ.* 1. In Baptismo acquiritur jus ad ſpecialia auxilia, ad ducendam novam vitam Chriſto, & ejus legi conformem, & cætera Sacramenta rite ſuſcipienda: in Confirmatione ad ſuperandas tentationes contra fidei confeſſionem, & ad crebros virtutum actus eliciendos: in Euchariſtia ad nutriendam, & augendam vitam ſpiritualem, quæ eſt charitas: in Pœnitentia ad fortius fugienda peccata, & occaſiones illorum, ac Deo pro præteritis ſatisfaciendum: in Unctione extrema ad vincendum languorem ex corporis debilitate provenientem, & ad fortius reſiſtendum diabolo tunc maxime inſidianti: in Ordine ad rite obeunda ordinis munia: in Matrimonio ad auxilia ſpecialia, quibus conjugum concupiſcentia temperetur, conjuges mutuam ſibi fidem ſervent, onera matrimonii patienter tolerent, proles pie educent.

(a) *Vid. Num.* 5.

Reſ. 2. Hoc jus acquiritur ſtatim, dum Sacramentum digne ſuſcipitur: ipſa tamen auxilia non dantur, niſi dum occurrunt occaſiones ad finem iſtius Sacramenti ſpectantes, niſi tunc ſe illis indignum quis reddat. Imo, ſiquis non peccet mortaliter, poteſt tamen illis gratiis actualibus privari propter culpas veniales omnino voluntarias, & frequentes, propter nimiam diſtractionem voluntariam &c.

(52) *Reſ.* 3. Hoc jus quia fundatur in gratia, hinc, ea per peccatum mortale amiſſa, amittitur etiam hoc jus; probabiliter tamen recuperata gratia ſanctificante reviviſcit.

Reſ. 4. Licet Deus etiam det auxilia gratiæ non habenti Sacramentum, non tamen dat adeo copioſa, & peccatori dat ſaltem ſine ullo jure.

Reſ. 5. Hoc jus non acquiritur per votum Sacramenti; quamvis ex opere operantis (ſi adſit perfecta contritio) acquiratur gratia ſanctificans.

Reſ. 6. Auxilia illa gratiæ actualis ſunt piæ illuſtrationes, ſanctæ cogitationes, ſubditi motus voluntatis ad bonum inclinantes, prout ſæpe experimur in nobis, dum Deus nos ad bonum excitat (a).

(53) *D.* 2. Sacramenta ejuſdem rationis æqualem conferunt gratiam æqualiter diſpoſitis, inæqualem inæqualiter diſpoſitis; unde melius diſpoſitus majorem accipit gratiam etiam virtute Sacramenti. Habetur ex Trident. dicente *homines juſtificari ſecundum cujusque diſpoſitionem, & cooperationem. Deinde* Sacramenta cauſant per modum cauſarum naturalium, ſed hæ æqualem formam introducunt ſubjectis æqualiter diſpoſitis, inæqualem diſpoſitis inæqualiter, ut patet in igne reſpectu ligni magis, vel minus aridi. *Denique* ſic congruit, ut homines ſe magis diſponant. *Dixi: Sacramenta ejusdem rationis;* quia Euchariſtia V.G.

(a) *Vid. Num.* 8.

V. G. majorem confert gratiam, quam Baptismus etiam diſpoſitis æqualiter; per accidens tamen Baptiſmus, ſi ſuſcipiatur cum longe majori diſpoſitione, majorem cauſat gratiam, licet Euchariſtia ſit Sacramentum nobilius.

Ob. Si plus accipiat magis diſpoſitus, illud provenit ex illius diſpoſitione, ergo non ex Sacramento. ℞. *d. a.* Ex ipſius diſpoſitione ut conditione ſine qua non *c.* ut cauſa efficiente *ſubd.* ſi loquamur de gratia non Sacramentali, *c.* ſi de gratia Sacramentali *n.* Dum itaque diſpoſitio eſt de ſe ſufficiens ad merendam gratiam, duplex datur augmentum, unum ex opere operantis correſpondens diſpoſitioni ut merito, alterum correſpondens Sacramento; dum autem diſpoſitio non eſt ex ſe ſufficiens, unum tantum datur vi Sacramenti, ad quod diſpoſitio ſe habet ut conditio.

QUÆSTIO IX.

(54) *An Sacramenta ficte ſuſcepta remoto obice reviviſcant, & gratiam cauſent?*

N. 1. Per fictionem hic non intelligitur ſimulata ſuſceptio, quæ Sacramentum reddit invalidum, ſed defectus diſpoſitionis neceſſariæ tantum ad gratiam Sacramenti ſuſcipiendam; fictio hæc, vel ut vocari ſolet, obex gratiæ, alius eſt *materialis*, vel *negativus*, eſtque inculpabilis omiſſio diſpoſitionis neceſſariæ ex ignorantia V. G. aut oblivione inculpabili: alius *formalis*, & *poſitivus*, eſtque peccatum mortale in vel cum ſuſceptione Sacramenti commiſſum V. G. Judæus dum baptizatur, inculpabiliter omittit dolorem de peccatis perſonalibus, eſt obex negativus: ſi vero hunc culpabiliter omittat V. G. ſatis inſtructus, vel ſibi in peccatis præteritis complaceat, eſt obex poſitivus.

N. 2.

N. 2. Sacramenta dicuntur reviviſcere, quæ primo ſua eſſentialia habent, ſed cum tali obice ſuſcepta ſunt, quo poſtea ſublato gratiam cauſant, quam ante cauſſaſſent.

(55) *D.* 1. Baptiſmus remoto obice reviviſcit; nam 1. poteſt eſſe validus, & informis, Eccleſia enim adultos in hæreſi baptizatos non rebaptizat. 2. Obice remoto reviviſcit, *tunc* enim, ait S. Auguſt. lib. 1. de Bapt. *Baptiſmus valere incipit ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit. Deinde* talis homo eſſet deſtitutus remedio ſalutis, non enim poſſet liberari ab originali, ad quod neceſſarius eſt Baptiſmus in re, cum ſit initerabilis, nec in voto, quia votum de iterando Baptiſmo tali caſu eſſet ſacrilegum, ergo.

(56) *D.* 2. Probabilius eſt, Sacramenta initerabilia, ut confirmationem, & ordinem, imo & matrimonium, quod non poteſt iterari cum eadem conjuge, & extremam unctionem, quæ in eodem mortis periculo iterari nequit, ſublato obice reviviſcere. *Ratio eſt:* quia congruum eſt divinæ miſericordiæ, quod ſaltem reviviſcant quoad gratias actuales, ne multi in perpetuum priventur his, quibus indigent ad munus ſuum rite exequendum, ergo & quoad gratiam habitualem, talia enim auxilia dantur ad exigentiam gratiæ habitualis Sacramentalis.

(57) *D.* 3. Euchariſtia, ſi removeatur obex, antequam conſumptæ ſint ſpecies, cauſat gratiam, ut tenent plurimi cum D. Thoma, quia, cum ſubjectum jam ſit diſpoſitum, & cum Sacramento permanente adſit author omnis gratiæ, non videtur negandum, quod gratiam cauſet: hinc, qui ſacrilege communicavit, ſi ſtatim conteratur, antequam ſpecies ſint conſumptæ, accipit effectum Sacramenti; econtra, ſi ſpecies ſint conſumptæ, non reviviſcit; alias enim, qui tempore vitæ ſæpe communicaſſet ſacrilege, ſi in fine

pœniteret, acciperet vi communionum ſacrilegarum magnam gratiam, quod eſt incredibile.

(58) *D.* 4. Si Baptiſmus ſit ſuſceptus cum obice tantum negativo, & ex poſt non peccaverit mortaliter, ad removendum obicem ſufficit ſola attritio; quia poſita attritione relinquitur locus Baptiſmo, ut poſſit producere effectum, attritio enim eſt ſufficiens diſpoſitio in Baptiſmo. *Deinde* obex negativus conſiſtit in ſola carentia diſpoſitionis, ergo poſita diſpoſitione tollitur obex. Si cum obice poſitivo ſit ſuſceptus, requiritur contritio perfecta, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ, quia attritio ſola ex *Trid.* non poteſt tollere peccatum mortale, nec Sacramentum Baptiſmi poterit, cum ex ſuppoſito impediverit effectum illius, ergo aliunde tolli debet.

(59) *D.* 5. Ut reviviſcant alia Sacramenta, requiritur ſtatus gratiæ, quia non minorem requirunt diſpoſitionem, ut reviviſcant, quam ut ab initio effectum ſuum conferant, ſed tunc requirebatur ſtatus gratiæ, cum ſint Sacramenta vivorum, ergo.

Obj. Opus bonum factum a peccatore poſita contritione non reviviſcit ad meritum; ergo nec Sacramentum ficte ſuſceptum. ℟. *n. c.* Opus bonum caret vi meritoria, ſi procedat ab homine non habente gratiam; Sacramentum autem non caret vi collativa gratiæ, quando ſubjectum eſt diſpoſitum. Alia de modo cauſandi, quia ad praxin nil faciunt, omittimus.

QUÆSTIO X.

De Sacramentalibus, & Ceremoniis.

N. Ceremoniæ ſunt *actus externi Religionis ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem inſtituti.* De his in particulari dicetur ſuis locis; generaliter

(60)

(60) *D.* 1. Ceremoniæ iſtæ ſunt veri actus Religionis, pars quædam cultus divini, eſtque de fide ex *Trid.* uſum illarum eſſe pium, & fidelibus ſalutarem; ſunt enim inſtitutæ, ut dignitas Sacramentorum commendetur, eisque reverentia concilietur, ut myſteriorum fidei intelligentia creſcat, & memoria retineatur, ſic fere in omnibus Sacramentis adhibetur ſignum crucis, ut intelligatur ex paſſione Domini virtutem Sacramentis provenire: ſunt etiam, ut fideles conveniant in modo colendi Deum, & ideo ſunt quædam profeſſio externa fidei.

Reſ. 1. Omiſſio, vel variatio harum ceremoniarum eſt peccatum mortale, niſi excuſet levitas materiæ; peccatum enim contra Religionem eſt ex genere ſuo mortale.

Reſ. 2. Peccat, qui illas perfunctorie ſine ullo pietatis indicio percurrit non ſine ſcandalo, & vilipenſione aſtantium.

Reſ. 3. Peccant Parochi, qui harum ſignificationem intelligere non ſtudent; tenentur enim ex *Trid.* ſignificationem illarum fidelibus explicare.

(61) *D.* 2. Sacramentalia dicuntur, quæ habent aliquam ſimilitudinem cum Sacramentis propter effectus quosdam ſpirituales. De his eſt verſus antiquus;

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Per *orans* intelligitur oratio Dominica, & oratio in Eccleſia conſecrata. Per *tinctus* aſperſio aquæ benedictæ, & quælibet unctio Sacramentalis, quæ non eſt Sacramentum. Per *edens* comeſtio panis benedicti, ſumptio vini benedicti, &c. Per *confeſſus* confeſſio generalis, hoc eſt: confiteor; ad quam reducitur tunſio pectoris. Per *dans* erogatio eleemoſynæ, & conſequenter omnia opera miſericordiæ. Per *benedicens*

benedictio Epiſcopi, Abbatis, benedictio ſacrorum cinerum, & quæ fit cum hoſtia conſecrata.

(62) *D.* 3. Sacramentalia non remittunt venialia ex opere operato, nec pœnam temporalem ſecluſis indulgentiis ab Eccleſia adjunctis; nullum enim eſt hujus fundamentum, ſed ex opere operantis, & mediante pio motu peccatis contrario.

Reſ. 1. Quædam Sacramentalia per vim impetrationis conferunt ſuo tempore pios motus, quibus homo diſponitur ad peccatorum remiſſionem, & ad exercitium virtutum, habentque hanc vim ex orationibus Eccleſiæ, per quas ad hos effectus conſecrantur, vel fidelibus applicantur; habet autem Eccleſia magnam vim impetrandi apud Deum. Eodem modo quædam Sacramentalia operantur beneficia corporalia: V. G. ſanitatem, ſic & aqua benedicta fugat dæmones.

Reſ. 2. Effectus ille non eſt infallibilis; non enim adeſt ſpecialis Dei promiſſio; plus tamen valent, quam alii actus boni V. G. lectio libri ſpiritualis, quæ etiam excitat pios motus; quia in uſu ſacramentalium impetrative ſimul concurrit meritum, & ſanctitas Eccleſiæ. Hinc

Reſ. 3. Non æqualiter prodeſt aqua, quæ putatur erronee eſſe benedicta, quam quæ vere eſt benedicta, quamvis in utraque eadem ſit accipientis devotio.

Reſ. 4. Melius eſt orare in templo conſecrato, quam extra, etiam ideo: quia in illo orans applicat ſibi orationes Eccleſiæ factas in conſecratione templi.

Reſ. 5. Sacramentalia etiam proſunt defunctis V. G. aſperſio aquæ benedictæ, quia aquam benedicens petit prodeſſe ad condonationem pœnarum, ipſis etiam prodeſt in quantum eſt proteſtatio fidei, qua credimus animas fidelium poſſe adjuvari noſtris precibus. Secundo ipſis prodeſt incenſatio thuris, in quantum Eccleſia adhibendo hunc ritum orat pro defunctis, ut

ut paſcantur odore cœleſti. Tertio prodeſt uſus cereorum ardentium, in quantum eſt aliquid conferens ad ſplendorem cultus divini, & ſacrificii oblati pro defunctis, & in quantum amici nomine defuncti protestantur, ſe profiteri Chriſtum eſſe verum lumen. Quarto prodeſt ipſis ſepultura in loco ſacro, in quantum fideles illuc convenientes, & pertranſeuntes excitantur ad orandum pro illis, in quantum preces publicæ, quæ fiunt in illo loco, etiam extenduntur ad ibi ſepultos, & in quantum participant de orationibus, quæ fiunt nomine Eccleſiæ, dum conſecratur Cœmeterium. Denique Sacramentalibus annumeratur ſonitus Campanæ benedictæ, quæ præter naturalem virtutem ad tempeſtates, quæ in regione aeris gignuntur, repellendas, etiam habet virtutem ſupernaturalem diſſipandi machinationes Dæmonum, per vim impetrationis ex benedictione nomine Eccleſiæ facta. Ex eadem ſonitus Campanæ benedictæ vim habet excitandi in cordibus fidelium devotionem, ſonitus ille etiam prodeſt defunctis, in quantum movet audientes ad bene precandum defunctis, in quantum confert ad ſolemnitatem officii divini, & in quantum eſt actus meritorius, ac pœnalis ipſorum trahentium campanas.

De Sacramentis in genere.

Caſus I. Parochus 1. cum obſtetrice vadens ad Eccleſiam in via infantem agonizantem, dum deeſt aqua, nive baptizat. 2. Per errorem infirmum inungit Chriſmate. 3. Conſecrat hoſtiam notabiliter fractam, & 4. vinum prope aceſcens. 5. Baptizat infantem aqua parum calefacta. *Denique* cum ſit devotus B. Virgini, formæ Baptismi addit: *& intemeratæ Virginis Mariæ.* Q. 1. *Quæ ſit materia, & forma Sacramentorum?* 2. *Quæ mutatio obſit valori?* 3. *Quid ad caſum?*

 ℟. 1.

℟. 1. Materia *remota* eſt res, in qua, vel circa quam fit actio Sacramentalis. *Proxima* eſt ipſa actio miniſtri exercita, *Forma* ſunt verba miniſtri (a) ℟. 2. Mutatio horum ſubſtantialis irritat Sacramentum, non accidentalis tantum (b); illa enim deſtruit, hæc non deſtruit materiam, & ſenſum verborum a Chriſto intentum: attamen eſt graviter mala, niſi excuſet levitas materiæ. ℟. 3. Si nix non fuerit in manibus Parochi reſoluta, nulliter fecit defectu ablutionis activæ. In 2. Per ſe peccavit graviter; quia materia ſaltem dubia. In 3. Si adverterit poſt oblationem, non peccavit, ſi ante, tenebatur ſub veniali petere novam, ſi commode poterat. In 4. Valide, ſed graviter illicite. In 5. Bene fecit, ne frigus noceret. In ultimo, ſi velit conferre baptismum etiam in nomine B. Virginis, eſt nullus: quia ſenſus formæ exigit fieri authoritate ſolius Trinitatis; ſi tantum, ut ejus interceſſio proſit, eſt validus, ſed in re gravi contra ritum Eccleſiæ peccat graviter.

Caſus II. Neo-curatus 1. baptizans profert formam poſt aquæ effuſionem. 2. In extremis inungens legit formas e libro ante unctiones. 3. In Conſecratione ob anxietates dicit: *hoc*, *hoc*, & loco *meum* putat ſe dixiſſe *meu*, hinc vult repetere. 4. In eadem poſt verba: *hoc eſt corpus meum*, obruitur tuſſi, qua finita addit: *meum.* 5. Poſt *ego te abſolvo*, pœnitenti volenti diſcedere, dicit: *flecte*, *usquedum te abſolverim*, dein pergit: *a peccatis tuis.* Q. *An bene egerit? & quid agere debuiſſet?*

℟. In 1. & 2. peccavit graviter contra religionem, charitatem, & juſtitiam (c); licet enim probabilius baptismus, & unctio fuerint valida, quia tamen agitur de valore Sacramenti, eſtque probabile formam, &

(a) *Vid. Num.* 11. (b) *Num.* 12. (c) *Num.* 14.

& materiam debere coexiſtere phyſice quoad aliquam partem, hinc Sacramentum expoſuit periculo nullitatis, & baptismus ſic collatus debet ſub conditione repeti; idem eſt de Presbyteratu, & Epiſcopatu, ob graviſſima damna, ſi valida non eſſent. *In* 3. Conſecratio eſt valida, non enim mutatur ſenſus ſubſtantialiter, attamen de ſe eſt peccatum grave. Nec obeſt, ſi dixerit: *meu* (a); adhuc enim apud audientes manebat idem ſenſus, adeoque non debuit ideo repetere. *In.* 4. Si tuſſis fuerit omnino brevis, valide, & licite fecit, ſi longior, debebat priora repetere; quia facile poterat deſtrui ſenſus formæ. *In* 5. Valide, ſed male fecit; dum enim poterat ei loqui, erat ſatis præſens; ergo debebat reliqua proſequi.

Caſus III. Parocho 1. affertur infans, in via, dum aqua deerat, cereviſia, quam pater ſecum portabat, baptizatus. 2. In Miſſa recitans orationes conſecrationem ſubſequentes dubitat; an calicem conſecraverit; fuit enim perturbatus, & diſtractus. 3. Dum poſt confeſſionem cum pœnitente locutus eſt de aliis rebus, dubitat, an eum abſolverit: timet autem, ne peccet repetendo abſolutionem. *Q. Quid in his fieri debuerit?*

℞. *Ad* 1. Si cereviſia fuerit tenuis, debebat rebaptizari a Parocho ſub conditione; quia materia dubia: ſi craſſa, abſolute; quia materia certo inepta; cum hac non potuit: cum tenui debebat baptizari infans periclitans a proprio parente; dum enim medium certum deeſt, ſub conditione in neceſſitate applicandum eſt dubium, & inter dubia veroſimilius ſub hac V. G. forma: *ſi hæc ſit materia ſufficiens, ego te baptizo &c. ſi non ſis baptizatus, ego te &c.* ℞. *Ad* 2. Si non habuerit ſpeciale fundamentum judicandi, quod

(a) *Vid. Num.* 15.

quod non conſecraverit, non debuit repetere; non enim ideo prudenter dubito, quia ob diſtractionem non recordor, ſi alias errare non ſoleam (a): ad ſummum, ut ſuæ conſuleret quieti, poterat quærere a miniſtro: an calicem elevaverit? ℞. *Ad* 3. Si dubium ſit prudens, nec poſſit interrogando pœnitentem certificari, roget, ut denuo ſe accuſet de peccatis confeſſis, & elicito novo dolore abſolvat abſolute, intendendo facere novum Sacramentum, ſi factum ſit prius. Generaliter in prudenti dubio, dum miniſter non eſt ſcrupuloſus, potius facienda eſt repetitio ſub conditione; quia ſic conſulitur reverentiæ Sacramenti, & utilitati ſuſcipientis.

Caſus IV. Parochus 1. ob triſte nuntium totus perturbatus ex improviſo vocatur ad baptizandum puerum, accipit Agendam, & ſacra olea, vadit ad baptiſterium, omnia more conſueto peragit ſine ulla formata intentione, unice de nuntio triſti cogitans. 2. Eunti ad altare datur parva hoſtia, ut aliquem ſub ſacro communicet, hoſtiam ſuper patenam ponit, ſed nil recordatur, niſi dum ad communionem perveniens videt jacentem in corporali. 3. Dum largiter bibit, vocatur ad ungendum infirmum, in aerem veniens fit ebrius; ſequitur tamen æditiuum, & infirmum inungit. Q. 1. *An, & qualis intentio in miniſtro Sacramenti requiratur?* 2. *An Parochus valide baptizaverit, hoſtiam conſecraverit, infirmum inunxerit?*

℞. 1. Requiritur ad valorem aliqua intentio faciendi, quod facit Eccleſia, vel inſtituit Chriſtus, ſaltem implicite; agit enim ut horum miniſter: ſufficit virtualis, non habitualis; quia cum illa, non hac agit modo humano (a). ℞. 2. Baptizavit valide; adfuit enim

(a) *Vid. Num.* 21. *&* 22.

enim intentio exercite ſufficiens, quia cogitavit, ad quid vocaretur, alias non iviſſet: & quod cogitavit, actualiter in ipſo exercitio voluit, licet non ita perceptibiliter (a). ℟. 3. Hoſtia indubie fuit conſecrata; dum enim advertenter ſuper patenam poſuit, habuit intentionem conſecrandi implicitam exercitam. Valet hoc, licet intra ſe cogitaverit: faciam intentionem conſecrandi, dum ero ad altare; portando enim illuc, jam exercite conſecrare voluit. ℟. 4. Sacramentum unctionis fuit nullum (b); quia per ebrietatem plenam ſublatus eſt omnis influxus humanus, & tantum operata eſt phantaſia, ac ſenſus externus; ſicut, ſi Sacerdos inter celebrandum incideret in amentiam, & vi prioris intentionis, ac ſpecierum excitatarum pergeret proferre verba conſecrationis.

Caſus V. Titius Confeſſarius pœnitentes paſſim, præſertim dum peccata non ſatis certa adferunt, aut de diſpoſitione dubitat, abſolvit ſub conditione. Q. 1. *An Sacramenta valide, & licite poſſint conferri ſub conditione?* 2. *Quid ad caſum?*

℟. 1. Sub conditione de futuro nequidem valide conferuntur, excepto Matrimonio: conſtat enim ex praxi Eccleſiæ Chriſtum noluiſſe ſuſpendi effectum Sacramenti (c). ℟. 2. Sub conditione de præſenti, vel præterito, dum verificatur, valide conferuntur; tranſit enim mox in abſolutam. ℟. 3. Peccat graviter, ſi absque debita inquiſitione de diſpoſitione pœnitentis ſub conditione abſolvat, voluit enim Chriſtus, & ritus Eccleſiæ habet, ut Sacramenta abſolute conferantur, niſi neceſſitas, vel magna pœnitentis utilitas aliud poſtulet; igitur vel pœnitens prudenter judicatur diſpoſi-

(a) *Vid. Num.* 23.
(b) *Part.* 1. *Tract.* 1. *de actib. human. Caſ.*
(c) *Num.* 25.

ſpoſitus? Et abſolvendus eſt abſolute; vel non diſpoſitus, aut ſaltem utilius differre abſolutionem? Et eſt differenda: vel manet de diſpoſitione prudens dubium? Et iterum eſt differenda, ſi nunc magis diſponi non poſſit: niſi ob neceſſitatem danda ſit ſub conditione. ℟. 4. Si ſatis certus de diſpoſitione adhuc abſolvat ſub conditione intrinſeca Sacramenti: V. G. ſi ſis diſpoſitus: peccat venialiter: cum enim conditio ſit imbibita, eſt levis irreverentia eam explicite addere. ℟. 5. Si ſola venialia dubia adferantur, dicat: ut oret V. G. aliquid, & detur ſola benedictio; cum enim non ſit neceſſitas, ſit irreverentia Sacramento, ſi abſolvat: nec opus eſt hoc illi dicere, ad quid enim? ſi adſit prudens dubium, & metus, ne forte graviter peccaverit, abſolvat ſub conditione: forte fieri poteſt & hoc, ſi lucrandæ ſint indulgentiæ, magis ſi diu privaretur fructu Sacramenti. Adultus tamen urgendus eſt, ut ex præteritis certum adferat, & de hoc ſe cum dolore accuſet, & nemo facile erit, qui non fuerit aliquando leviter mentitus, voluntarie diſtractus, &c.

Caſus VI. Titius Parochus vir gravis in gravia incidit pecata, adſunt Confeſſarii duo, unus Sacellanus, at homo litigioſus, cum quo gravem habet litem, alter Parochi nepos valde juvenis, utrique confiteri veretur, hinc elicita contritione Sacramenta adminiſtrat, Miſſam legit, ſub qua tamen dolet, ſe non eſſe confeſſum. *Q. 1. Quomodo in miniſtro requiratur ſtatus gratiæ? 2. An, & qualiter peccaverit Parochus non prævie confitendo? 3. Quid ſub Miſſa agere debuerit?*

℟. 1. Peccat per ſe graviter, ſi ſcienter in peccato mortali Sacramentum conficiat; agit enim in perſona Chriſti, cujus ipſe eſt hoſtis, & diaboli mancipium: ideo idem videtur de diſtributione Communionis.

nis. ℟. 2. Si noluiſſet legere Miſſam, ſufficiebat ei contritio perfecta prudenter putata, cum propoſito confitendi tempore debito: ante Miſſam tenebatur ex præcepto divino confiteri, cum haberet Confeſſarium, nec eſſet ratio excuſans; hinc ficta eſt aliquorum contritio, dum aut Miſſam omittere, aut confiteri poſſunt. ℟. 3. Indigna miniſtratio eo eſt gravior, quo pluribus miniſter obnoxius eſt peccatis. ℟. 4. Etiam ad altare exiſtens tenebatur elicere contritionem, quod tunc poterat, idque etiam poſt conſecrationem, ut ſaltem poſteriora peccata vitaret.

Caſus VII. Cajus lecturus Miſſam confitendi cauſa accedit Parochum, ſed hic plane ebrius, a ſomno vix excitari, & caput levare poteſt. Caja novit Parochum, cui confiteri ſolet, eſſe in malo ſtatu, tum quia, ut novit, cum Ancilla male vivit, tum quia & ipſa aliquoties carnaliter cum eo peccavit. Q. 1. *An liceat petere Sacramentum a miniſtro indigno? 2. Quid faciendum Cajo? 3. Quid ſi ambo fuiſſent ebrii, & modo ſibi invicem confiteri vellent? 4. An Caja poſſit confiteri Parocho, quod libenter vellet, ne ſe & ipſum apud alium diffamaret?*

℟. 1. Extra extremam neceſſitatem peccat graviter, qui Sacramentum ſuſcipit a miniſtro non tolerato; quia communicat cum ipſo in ſacris, petit vel accipit, quod licite dare non poteſt, & abſolutionem nequidem valide defectu juriſdictionis. ℟. 2. Ab excommunicato tolerato poſſum petere, ſi adſit gravis cauſa; ille enim, licet ſe non poſſit ſponte ingerere, poteſt tamen rogatus, & poteſt ſe diſponere per contritionem (a). ℟. 3. A miniſtro, quem ſcio eſſe in mortali, poſſum petere, ſit adſit neceſſitas. ℟. 4. Si Cajus non indiguerit confeſſione: ſi commode potuiſſet Miſ-

(a) *Vid. Num.* 34.

Miſſam ſaltem differre: ſi alteri confiteri, debebat hoc facere, præſertim ſi ſciverit eſſe conſuetudinarium; alias poterat confiteri relinquendo illi tempus, ut ſe diſponeret. ℟. 5. Qui primo confeſſionem audiebat, tenebatur præmittere contritionem; alias miniſtraret Sacramentum in mortali. ℟. 6. Caja non potuit confiteri Parocho ſaltem in Diœceſi Colonienſi, ubi hoc peccatum eſt complici reſervatum, & de ſe periculoſum eſt confiteri complici ſaltem in hac materia, imo de facto nequidem in articulo mortis ob conſtitutionem Bened. XIV. *Vide infra de Pœnitentia* (a).

Caſus VIII. Parochus ruralis curis ſæcularibus occupatus, in Dominicis & Feſtis mane parat concionem, unde, 1. nunquam niſi coactus eſt in confeſſionali: 2. dum ad illud vocatur, obmovet ſtudium concionis: 3. vocatus de nocte ad infirmum, propter potum non poteſt ſurgere, 4. quia aliquoties, dum ivit, invenit non adeſſe periculum, hinc ruſticos increpans dicit, ut redeant mane. *Denique* nuper vocatus ad laborantem morbo peſtifero miſit ad pariter approbatum, ſed ipſe ad curam non obligatus, remiſit ad Parochum, quo tardante, mortuus eſt infirmus. Q. 1. *Quanta ſit obligatio miniſtrandi Sacramentum? 2. Quid ad caſum?*

℟. 2. Parochus & omnis curam animarum ex obligatione habens tenetur ſuis miniſtrare Sacramenta, quoties rationabiliter petunt, etiam ex ſola devotione; ſemel vel bis negare per ſe non eſt mortale, ſi non adſit gravis ratio ex parte petentis; cum enim damnum ſit facile reparabile, ſubditus non cenſetur graviter invitus: modo per hoc non abſterreatur ab ulterius petendo: ideo dixi per ſe. ℟. 2. In neceſſitate extrema, imo gravi tantum tenetur cum evidenti vitæ periculo

(a) *Num.* 134.

riculo miniſtrare neceſſaria: Baptismum & Pœnitentiam, & ſi poſſit eodem periculo, etiam, Euchariſtiam & Unctionem extremam, dum autem de pœnitentiæ Sacramento non habetur ſufficiens certitudo, tenetur cum novo periculo dare Euchariſtiam vel Unctionem; quia per accidens neceſſaria ſunt. Ideo tenetur primo ingredi domum peſte infectam, ſi nequeat aliter miniſtrare Sacramenta neceſſaria. Secundo repulſam paſſus ab obſtinato tenetur redire quamdiu manet ſpes reſipiſcentiæ. Tertio. Si infectus poſt ſuſcepta Sacramenta iterum confiteri velit, tenetur toties, quoties, niſi certus ſit pœnitentem petere ex ſola devotione vel anxietate nimia, & alii ſint magis indigentes. Quarto: Si bonum pœnitentis ſtatum novit ex ſola ipſius confeſſione Sacramentali, videtur quod non poſſit eo neglecto aſſiſtere aliis, vel ipſi negare extremam unctionem, quia uſus ille notitiæ Sacramentalis videtur eſſe in gravamen pœnitentis. Moneat interim tempore peſtis populum, ut omnes adhuc ſani in Eccleſia Sacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ percipiant, ne cum periculo ſemper opus ſit adire domos infectas, moneat inſuper, quod infectus multiplicis homicidii ſit reus, ſi temere ſe ſanis immiſceat, eosque periculo infectionis exponat. ℞. 3. Omnis Sacerdos & Parochus reſpectu extraneorum in defectu Parochi proprii tenetur, ſi neceſſitas vel utilitas id exigat, in extrema cum periculo vitæ, ordine charitatis ſic exigente. ℞. 4. *In* 1. Poteſt peccare mortaliter, ſi non curet, ut ſui ſæpe frequentent pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta adeo neceſſaria, aut ſaltem utilia. *In* 2. Difficilem ſe exhibendo virtualiter negat, nec ordinarie excuſat ſtudium; debet enim prævenire. *In* 3. Per ſe peccavit graviter propter periculum (a), ne quis ſine Sacramentis moriatur. Hinc

In 4.

(a) *Vid. Num.* 32.

In 4. non ideo excuſatur; quia poteſt jam eſſe periculum. *In ult.* ſi inſtabat periculum, debebat ipſe mox feſtinare non obſtante periculo infectionis; ad hoc enim eſt conductus, accipit alimenta, aut ſaltem honorem. Cæterum non prohibetur facere per alium idoneum.

Caſus IX. Parocho confitetur 1. Cajus hodie Matrimonium contracturus, quod usque huc indies cum Sponſa ſit fornicatus, quem ut indignum dimittit. 2. Sponſa nonniſi pauca venialia confitetur; hinc interrogat: an non cum ſponſo ſit fornicata, quod illa negat. 3. Berta accuſat ſe de fornicationibus cum Lutherano, cui nubere intendit, commiſſis, quam prævio dolore abſolvit. *Q.* 1. *An Sacramentum poſſit miniſtrari indigno?* 2. *An bene fecerit Parochus?* 3. *Quid facere debuerit?*

℞. 1. Peccat per ſe graviter contra Religionem & Charitatem, qui Sacramentum miniſtrat ſcienter indigno (a); irreverenter enim & infideliter ſancta diſpenſat, & cooperatur peccato proximi: attamen occulte indigno publice petenti dari debet (b): publice indigno publice petenti non dari, donec publice conſtet de emendatione, & quod occaſionem, ſi in ea ſit, dimiſerit (c), ſi in illa non ſit, ſufficit publice eſſe confeſſum, niſi ſæpe eſſet relapſus. ℞. 2. Videtur Cajum abſolvere non potuiſſe, quomodo enim tam repente illi amara erit fornicatio, quæ eum jugiter, imo priori nocte oblectavit, & ubi erit propoſitum efficax, cum, ſi nuptiæ differantur, periculum ſit, ne fornicari pergant. Attamen cum circumſtantiæ mutentur, & matrimonium ſine gravi infamia differri non poſſit, omni modo eum ad verum dolorem excitet, & ubi hujus ſigna apparent, ſub conditione ſaltem abſolvat. ℞. 3. Male

(a) *Vid. Num.* 35. (b) *Num.* 36. (c) *Num.* 38.

Male fecit mox interrogando de fornicatione cum ſponſo, quia frangit ſigillum, *de quo alibi.* ℞. 4. Communionem, ſi non abſoluti publice petierint, debebat dare, ne ſigillum frangeret. ℞. 5. Cum tale Matrimonium regulariter ſit illicitum, debet Bertæ diſſuadere, quantum poteſt; dicat: ſponſalia eſſe nulla, quia de re illicita; infamiam, ſi ſit imprægnata, ſibi imputare debet: ſi non acquieſcat, & judicet adeſſe proximum periculum perverſionis vel aliorum peccatorum, ut indiſpoſitam dimittat.

Caſus X. Parocho ſub Miſſa indicatur cecidiſſe ab alto murarium brevi moriturum, abſoluta celeriter Miſſa accurrit, ſed quia jam eſt ſenſibus deſtitutus, nec ſcitur Parochum petiiſſe, renuit dare Sacramenta. Q. 1. *Quid requiratur ad Sacramentum valide ſuſcipiendum?* 2. *Quid ad licite?* 3. *An bene fecerit abſolvendo prius Miſſam, & quid ſi eſſet vocatus ad infantem moribundum baptizandum?* 4. *An & quæ Sacramenta dare potuerit aut debuerit murario?*

℞. *Ad* 1. In adulto præter alia requiritur intentio, ſufficit habitualis, & quidem pro aliquibus Sacramentis in articulo mortis implicita tantum (a). *Ad* 2. Ad Sacramenta vivorum requiritur ſtatus gratiæ, ad mortuorum attritio ſupernaturalis (b). *Ad* 3. Male pro infante: ſi alium expertum mittere non potuerit, tenebatur interrupta etiam poſt conſecrationem Miſſa mox currere, depoſitis etiam, ſi longius abeat, ſacris veſtibus; prævalet enim extrema ejus neceſſitas. Idem eſt de adulto, ſi nulla adhuc Sacramenta ſuſceperit, prout in caſu; excuſat enim & gravis ejus neceſſitas. Si adhuc ſit ante conſecrationem, poteſt tantiſper relinqui Miſſa, ut miniſtretur viaticum vel extrema unctio,

(a) *Vid. Num.* 45. 46. & 47. (b) *Num.* 48.

ctio, licet moribundus ſuſceperit alia Sacramenta; idem poteſt poſt conſecrationem, ſi ſit in vicinia interim conſtituendus, qui ſacras ſpecies cuſtodiat, vel ſunt reponendæ intra tabernaculum; in tali autem caſu per ſe loquendo non videtur licita Confeſſionis dimidiatio. *Ad* 4. Tenebatur dare viaticum, Unctionem, imo & ſub conditione abſolvere, quamvis non ſciat ullum ſignum doloris dediſſe; quia, ſi Chriſtiane vixerit, præſumitur dediſſe, imo adhuc dare ſignum per ſe ſenſibile doloris, ut ſunt: ſuſpiria, gemitus, apertio oculorum, fixus intuitus &c. per quæ forte petit abſolutionem, licet nemo intelligat; duo autem alia implicite petiit, dum Chriſtiane vixit.

Caſus XI. Duo Judæi nuper ex gravi metu baptizati confitentur, unus in Baptiſmo habuit in uſuris patratis complacentiam, alter hanc non habuit, attamen deſuper non doluit. Q. 1. *Quid & quotuplex ſit fictio vel obex? 2. Quænam Sacramenta reviviſcant? 3. Quid ad hoc requiratur? 4. Quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Eſt omiſſio diſpoſitionis neceſſariæ non ad valorem, ſed ad gratiam Sacramenti ſuſcipiendam; alia *negativa*, ſi omiſſio ſit inculpabilis: alia *poſitiva*, ſi mortaliter culpabilis (a). *Ad* 2. Baptiſmus reviviſcit (b); alias ficte ſuſcipiens careret remedio contra Originale; reviviſcunt probabiliter alia Sacramenta ſimpliciter, vel ſecundum quid initerabilia, ne multi in perpetuum priventur gratia Sacramentali illis, ſi non neceſſaria, ſaltem valde utili (c). *Ad* 3. Ut obex poſitivus tollatur, requiritur contritio perfecta, vel attritio cum pœnitentiæ Sacramento: ut negativus, ſufficit attritio, ſi ex poſt non ſit commiſſum peccatum mor-

(a) *Vid. Num.* 54. (b) *Num.* 55.
(c) *Num.* 56.

mortale; hoc enim ſi adſit, requiritur contritio perfecta, vel abſolutio, quibus poſitis Baptismus reviviſcit, & ſimul cum abſolutione delet peccata, ille ante Baptismum commiſſa, hæc vel in - vel ex poſt commiſſa. Ex his patet ſolutio caſus; vel enim complacentia duravit ad finem Baptismi? & ſic eſt materia confeſſionis, vel non duravit, attamen non eſt retractata? & tunc ſufficit confiteri omiſſionem culpabilem doloris. Secundus interrogandus eſt, an culpabiliter omiſerit? an ex poſt graviter peccaverit?

DISSERTATIO II.

DE BAPTISMO.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid ſit Baptismus, & quæ ejus Materia?*

Triplex eſt Baptismus: *Fluminis*, *flaminis*, *ſanguinis*. De duobus ultimis inferius; de primo, qui ſolus eſt Sacramentum

D. 1. Baptismus eſt *Sacramentum conſiſtens in externa corporis ablutione facta in aqua naturali ſub certa verborum forma ad generationem ſpiritualem hominis viatoris:* eſt a Chriſto inſtitutus ante paſſionem; Chriſtus enim *Joan.* 3. baptizabat per diſcipulos ſaltem; ſed non Baptismo Joannis, alias non potuiſſent diſcipuli ejus querelam facere de Baptimo quaſi alieno: nec eſt veroſimile Chriſtum ordinaſſe Apoſtolos Sacerdotes & Eccleſiæ prælatos, ut fecit in ultima cæna, antequam per Baptismum ingreſſi eſſent Eccleſiam. De tem-

tempore autem inſtitutionis non ſatis conſtat; *D. Thomas* vult inſtitutum, dum Chriſtus in Jordane baptizatus eſt: alii volunt, dum diſcipulos miſit ad prædicandum & docendum.

(2) *D.* 2. Materia remota Baptismi eſt omnis & ſola aqua naturalis ſeu elementaris ad abluendum apta. *Trid. Seſſ.* 7. *de Baptismo Can.* 2. Sumitur ex *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.*

Reſ. 1. Valet Baptismus in aqua marina, pluviali, fontana, ſive ſit dulcis, ſive ſalſa, turbida, colorata & reſoluta ex grandine, glacie, nive, in rore, in ſudore pavimenti, parietis tempore pluvioſo &c.; quia ſunt aqua naturalis.

Reſ. 2. Non valet in ſaliva, ſudore, lachrymis, atramento craſſo, cereviſia pingui, aqua ſupernatante ſanguini extracto, fluente ex corpore hydropici, ſucco pomorum &c.; quia vel nunquam fuerunt aqua naturalis, vel per nimiam ſui alterationem amiſerunt naturam & nomen aquæ.

(3) *Reſ.* 3. Dubius eſt Baptismus in jusculo vel cereviſia tenui, lixivio, aqua roſacea, reſoluta ex ſale, humore fluente ex vite, arbore.

Reſ. 4. Non ſufficit glaciem vel nivem reſolvi vi caloris ex contactu corporis, dum abluitur: ſufficit certo, ſi antequam admoveatur, reſolvatur in manu baptizantis, uti &, ſi ab ipſo baptizante ita applicetur, ut frictione fluat; quia tunc baptizans vere per eam abluit, non ſic in primo.

Reſ. 5. In neceſſitate extrema, ubi certior materia haberi nequit, licite adhibetur omne id, de quo prudenter dici poteſt: forte eſt aqua; quia tunc neceſſitas extrema ſalutis & conditio appoſita abſtergunt injuriam Sacramenti, & melius eſt Sacramentum exponi periculo nullitatis, quam hominem periculo æter-

næ

næ damnationis. Taliter baptizatus habita materia certiore eſt ſub conditione rebaptizandus.

Reſ. 6. Peccat graviter, qui ſine neceſſitate utitur aqua turbida, valde impura &c.; quia gravem Sacramento infert irreverentiam.

(4) *Reſ.* 7. Extra neceſſitatem licita materia eſt tantum aqua ſacri fontis rite benedicta; illam prætermittere in Baptiſmo ſolemni eſt mortale, quod ſatis indicat Eccleſiæ ſolemnitas in conſecrando, cura in aſſervando, & diligens hujus præcepti obſervantia: in non ſolemni eſt veniale, ſi ſacerdos, nullum, ſi laicus ea non utatur. Pro praxi obſervanda ſunt verba ſequentia Ritualis Romani: „ ſi aqua benedicta tam immi„ nuta ſit, ut non ſufficere videatur, alia non benedicta „ admiſceri poteſt, ſed in minori quantitate: ſi vero „ quovis modo defecerit, Parochus in fontem mundum „ nitidum recentem aquam infundat, eamque benedi„ cat, ſed, ſi conglaciata ſit, curetur, ut liqueſiat, ſi „ nimis frigida, poterit parum aquæ naturalis non be„ nedictæ calefacere, & admiſcere aquæ baptiſmali in „ vaſculo, & ea tepefacta uti. Benedictio autem hæc „ eſt diſtincta ab illa, quæ habetur in vigilia Paſchæ & „ Pentecoſtes, habeturque in eodem Rituali, & in Agen„ da Colon. p. 44.

(5) *D.* 2. Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio in aqua naturali; quia illa ablutio immediate per formam ſignificatur, & per eam materia remota Baptiſmi applicatur. Pro quo

Reſ. 1. Ablutio debet fieri ab alio; quia nullus poteſt ſe ipſum generare, aut ſibi conferre Sacramentum, niſi Euchariſtiam, & Matrimonium: *Deinde* debet fieri ab ipſo baptizante, alias forma eſſet falſa, nec hic valet regula: *Quod quis facit per alium, per ſe ipſum facere cenſetur;* cujus ratio eſt voluntas Chriſti nobis per Eccleſiam intimata. Hinc

 Reſ. 2.

Reſ. 2. Non valet Baptiſmus, ſi videas puerum cadentem, aut ab alio projectum in aquam, & proferas formam; aliud eſt, ſi tu ipſe eum cum funiculo projiceres.

Reſ. 3. Probabilius valet Baptiſmus, ſi aliquem ſubmittam aquæ e tecto defluenti; quia cenſeor moraliter abluere: aliud foret, ſi, dum ſtat ſub tecto, proferrem formam ob rationem contrariam.

(6) *Reſ.* 4. Ablutio hæc debet eſſe ſucceſſiva, & tantum aquæ affundi, ut ſucceſſive fluat ſuper corpus; hinc non ſufficit una, vel altera gutta; quia, licet tunc dicatur leviter madefactus, non tamen vere ablutus: non tamen tanta, ut importet amotionem ſordium; hæc enim eſt effectus ablutionis, qui in anima, non in corpore intenditur.

Reſ. 5. Ad valorem Baptiſmi requiritur contactus phyſicus aquæ ad corpus baptizati; hinc non ſufficit attingi veſtes, vel panniculos; quia ſine contactu ad corpus non cenſetur vere ablui homo.

(7) *Reſp.* 6. Ad valorem requiritur, ut ſaltem talis pars corporis abluatur, ratione cujus homo vere dicatur ablutus V. G. collum, humeri, pectus, vel alia pars principalis corporis; hinc non ſufficit, ſi abluatur manus, pes, digitus &c.; minus, ſi ſoli capilli, quod fieri poteſt, ſi omnino modicum aquæ affundatur, quod notandum venit, & attendendum, dum puer baptizatur, ne propter ſordes capiti, & crinibus adhærentes aqua forte non pertingat ad cutem, ideoque Baptiſmus fiat dubius, aut ſaltem poſtea oriantur anxietates. Idem eſt, ſi tantum pellis ſecundina tangatur ab aqua: quia ſic homo non dicitur ſimpliciter ablui, ſed tantum ſecundum quid, & capilli non ſunt proprie pars corporis, nec pellis ſecundina pars infantis, ſed ſe habet quaſi per modum veſtis. Quia

tamen

tamen contrarium eſt probabile, ideo in neceſſitate, ſi infans partem principalem non extenderet, deberet in quacunque parte, per affuſionem aquæ modo meliori ſub conditione baptizari.

Ob. Act. 2. & 4. una die ter mille, alia quinquies mille homines per aſperſionem aquæ leguntur baptizati; atqui non eſt credibile, quod aqua ad cujuslibet cutem penetrarit, ſaltem motu ſucceſſivo, ſed potius multorum ſolas veſtes attigerit, ergo. ℟. *n. m.* Non enim putandum eſt, rem ita temere factam, ut unus, vel alter baptizandos aſpergeret, ſed plures fuiſſe deſignatos, qui tranſeundo ſingulos ita aſpergerent, ut aqua eorum capita ſufficienter attingeret, & deflueret.

Reſ. 7. Graviter peccat, qui extra neceſſitatem aliam partem, quam caput abluit, licet eſſet pars principalis V. G. pectus; quia in re gravi agit contra communem Eccleſiæ praxin; abluitur autem caput ut præcipua pars corporis, in qua vigent omnes ſenſus. Si absque gravi periculo caput ablui non poſſit, ſufficit ablutio alterius partis principalis, nec talis Baptismus videtur repetendus; quia videtur certo validus; monet tamen Benedictus XIV. (a) ut Parochi quoad hoc ſe conforment rituali Romano.

Reſ. 8. Ad valorem non refert, ſive ablutio fiat per immerſionem, ſive affuſionem aquæ, ſive fiat ſemel, ſive pluries. Patet id ex praxi Eccleſiæ, & quia his modis vera fit ablutio; ut licite fiat, obſervari debet, ſi poſſit, modus cujusvis Diœceſis, in qua quis baptizat. Uſus approbatus in Colonienſi eſt, ut Patrino infantem tenente Sacerdos aquam baptismalem urceolo ex fonte hauſtam ſuper caput infantis extra fontem ſuper alia pelvi tenendi ter in modum crucis fun-

(a) *de Synodo L. 7. C. 5. in fine.*

fundat dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris* faciendo crucem, deinde hauſtam rurſus aquam infundat dicens: *& Filii* denuo crucem faciendo, & tertio ſimiliter dicens: *& Spiritus Sancti. Amen.* Aqua autem deflua in pelvim fundatur in piſcinam, non in fontem.

Difficultas hic ſpecialis eſt plus ſpeculativa, quam practica de ablutione occiſiva. Pro qua

(8) *N.* Dupliciter poteſt intelligi ablutio occiſiva: una, quæ, licet lotum occidat, reputatur tamen adhuc moraliter ablutio V. G. ſi infantem abluas aqua fervente aut venenata, unde moriatur: altera, quæ ratione circumſtantiarum videtur moraliter a ratione ablutionis deficere, ut: ſi infantem projicias in fluvium, vel puteum, ex quo non poteſt emergere. Prima ablutio ſufficit ad valorem; quia vere eſt ablutio uſualis, ad quam impertinens eſt, an aqua ſit calida, an venenata. De ſecunda diſputatur in utramque partem probabiliter; probabilius tamen non valere Baptismum; quia ſicut Chriſtus pro aliis Sacramentis inſtituit materias communes, & uſuales, ſic & hic ablutionem uſualem, ſeu talem, quæ ſecundum æſtimationem hominum, & loquendi modum dicitur vera ablutio, qualis non eſt hæc projectio, qui enim V. G. canem etiam ſordidum in altum puteum projicit, unde evadere non poteſt, non dicitur velle ipſum lavare, ſed perdere; ergo quamvis eſſet ablutio phyſica, non tamen moralis, & uſualis. Quidquid ſit, pro praxi vix poteſt defendi licere, quamvis infans ſit ſine Baptismo moriturus; eſt enim directa occiſio, cum actio immediate tendat in mortem infantis.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

(9) *Quænam ſit legitima forma Baptismi?*

D. Completa forma Beptiſmi in Eccleſia Latina eſt hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: eſt maxime conformis verbis Chriſti *Marc. ult. baptizantes eos in nomine Patris &c.* Pro clariori

Reſ. 1. *Ego* poteſt omitti, quia ſatis continetur in *baptizo*; omittere tamen eſt veniale: in lingua Germanica, & Gallica eſt mortale; quia videtur non manere ſenſus a Chriſto intentus. In fine omittere *Amen* nullum eſt peccatum; cum nec in verbis Chriſti, nec in Rituali Romano habeatur.

(10) *Reſ.* 2. Neceſſario debet exprimi 1. perſona baptizans ſaltem implicice, ut fit in forma Græcorum: baptizetur, vel baptizatur ſervus Chriſti, ubi ſubintelligitur: a me. *Ratio eſt*: quia forma eſt oratio practica ſignificans actum aliquem, ut hic & nunc procedentem a proferente: 2. ejusdem actio ſeu ablutio, alias forma non determinat materiam, cum ablutio ſit indifferens ad refrigerationem, & emundationem: 3. perſona ſuſcipiens Baptismum, & quidem ſignate, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ: 4. unitas divinæ eſſentiæ: 5. Trinitas perſonarum ſub nominibus propriis ſecundum proprietates perſonales. Colligitur ex verbis Chriſti: *Baptizantes eos in nomine Patris &c. Ratio congruentiæ pro hoc Sacramento eſt*: quia eſt prima fidei profeſſio, ergo conveniens fuit, ut primarium fidei myſterium diſtincte exprimatur, & quidem verbis magis uſitatis. Hinc

Reſ. 3. Nullus eſt Baptismus 1. Si omittatur ly *In*, hoc enim non ſignificat tantum authoritatem, ſed & virtutem ac operationem Trinitatis, imo, & invo-

invocationem, profeſſionem, quæ ſignificatio non habetur omiſſo *In:* 2. Si dicatur: *in nominibus;* quia non ſignificatur unitas naturæ: 3. Si dicatur: *In nomine SS. Trinitatis, primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ &c.*

(11) *Reſ.* 4. Dubius eſt Baptismus 1. ſi dicas: *Baptizo te in nomine Patris; in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti;* & quia ſimplices in invocatione SS. Trinitatis, dum ſe cruce ſignant, ſolent cuilibet Perſonæ addere in nomine, monendæ ſunt obſtetrices, ne, dum in idiomate Germanico baptizant, repetant in nomine: 2. Eſt dubius, ſi dicas: *in nomine genitoris, geniti, & ſpirati;* quia non ſignificant idem formaliter: 3. *In Patre, Filio, & Spiritu Sancto:* 4. Si omittatur ly *Sancti &c.*

Ob. Apoſtoli leguntur baptizaſſe in nomine Jeſu Chriſti; ergo expreſſio trium Perſonarum non eſt eſſentialis. ℞. 1. Si verum eſt, fuit factum ex diſpenſatione Chriſti, ut Sanctiſſimum nomen Jeſu, quod, ut loquitur Apoſtolus, Judæis erat ſcandalum: gentibus ſtultitia, redderetur glorioſum. ℞. 2. Veroſimilius videtur nunquam in ſolo nomine Chriſti baptizaſſe Apoſtolos: quia non videtur mox ab initio in eſſentiali forma diſpenſatum, & nullibi de hac diſpenſatione legitur. *Deinde* cum Apoſtolus *Act.* 19. interrogaſſet quosdam, *an accepiſſent Spiritum Sanctum,* & reſpondiſſent, *neque, ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus,* ſubjunxit: *in quo ergo baptizati eſtis?* Ergo ſuppoſuit Baptismum non conferri ſine expreſſione Spiritus Sancti. Hinc ℞. 3. In nomine Jeſu idem eſt, ac in fide, & authoritate Chriſti, vel in Baptismo Chriſti, quod eſt in remiſſionem peccatorum, non in Baptismo Joannis, qui tantum diſponebat ad ſuſcipiendum Baptismum Chriſti; vel *denique* addiderunt nomen illud Sanctiſſimum dicendo V. G. in nomen

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

men illud Sanctiſſimum dicendo V. G. in nomine Patris & Filii Jeſu Chriſti &c. Dum autem dicuntur baptizati tantum in nomine Jeſu, excluditur receptio confirmationis, ut patet ex contextu: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

QUÆSTIO III.

Quis ſit Miniſter?

Baptiſmus conferri poteſt, vel ſolemniter, hoc eſt: cum ceremoniis ab Eccleſia præſcriptis, vel non ſolemniter absque his: iterum, vel valide tantum, vel valide, & licite ſimul, vel ex officio, vel ex neceſſitate tantum.

(12) *D.* 1. Omnis homo viator ratione utens, ſi debitam adhibeat materiam, & formam cum debita intentione, valide, & in neceſſitate licite baptizat. *Ratio eſt* Chriſti voluntas manifeſtata per Concilia, & praxin Eccleſiæ. Congruentia eſt maxima hujus Sacramenti neceſſitas.

Reſ. 1. Ut a quovis miniſtro licite conferatur, debet eſſe neceſſitas, & ex parte baptizandi, ut inſtet ipſi periculum vitæ, & ex parte baptizantis, ut non adſit alius dignior; ordo enim ab Eccleſia præſcriptus ſervari debet, qui eſt: ſi adſit Sacerdos, præferatur Diacono, Diaconus Sub-Diacono, Clericus laico, vir fœminæ, niſi ratio pudoris exigat fœminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, aut etiam non deceat Parochum accedere jam naſcentem aut mulierem parturientem, vel niſi fæmina melius ſciret formam, & modum baptizandi; ſufficit autem adeſſe timorem prudentem mortis, quod judicare pertinet ad obſtetrices, Medicos, quos non oportet hic eſſe nimis anxios.

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

Reſ. 2. Eſt peccatum mortale, ſi præſente, & volente Sacerdote aut Diacono Clericus inferior, præſente fideli, non excommunicato, excommunicatus aut infidelis, hæreticus baptizet; in reliquis ordinem invertere eſt veniale, ex cauſa rationabili, nullum. Ratio differentiæ eſt, quia Sacerdos, & Diaconus ſpecialem in ordine acceperunt poteſtatem.

(13) *Reſ.* 3. Parochus ſub mortali tenetur inſtruere, & examinare obſtetrices circa materiam, & formam Baptismi V. G. quod debeant applicari ſimul, & alia huc ſpectantia V. G. an baptizandus ſit infans apparente tantum pede, vel manu, ſi dubitetur, utrum vivat &c. ne ex horum defectu infantes ſæpe de vita corporali periclitantes, etiam ſalute æterna priventur.

(14) *D.* 2. Miniſter Baptismi ſolemnis ordinarius, & ex officio eſt omnis, & ſolus Sacerdos, ex hujus commiſſione etiam Diaconus poteſt ſolemniter baptizare. *Prima pars* habetur in *Florent. de Sacram.* Congruentia eſt: illius eſt ex officio intromittere ad Eccleſiam, & unire Corpori Chriſti myſtico, qui habet poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum; atqui hanc habet ſolus Sacerdos, Diaconus vero eſt conſecratus in miniſtrum Sacerdotis, in quo differt a Clerico inferiori, quod vi ordinationis ſuæ habeat, ut in defectu Sacerdotis poſſit delegari ad baptizandum ſolemniter, & ſic delegatus agat ex officio, intellige: ex cauſa rationabili, in quo differt a Sacerdote ſimplici, cui ſine cauſa committitur. Cauſa rationabilis eſt, ſi Parochus ægrotet, aut aliud juſtum adſit impedimentum, deſit alius Sacerdos, & Baptismus ſine notabili incommodo differri non poſſit.

Reſ. Clerici Diacono inferiores, ſi ſolemniter baptizent, incurrunt irregularitatem ex *Cap. ſiquis. de Clerico non ordinato miniſtrante.* Laici, ſi id faciant,

ciant, probabiliter non incurrunt; quia jura loquuntur ſub titulo de Clericis: plures dicunt incurrere; quia Canon loquitur generaliter: *ſiquis baptizaverit non ordinatus*, & hoc videtur probabilius, quia Canon præferendus eſt titulo. Nec eam incurrit Diaconus, ſi ſine commiſſione faciat, ut docet communior. *Dixi: Solemniter*; quia, cum Baptismus privatus non ſit actus ordinis, non ſubjicitur præſentis decretalis irregularitati.

(15) *D.* 3. Proximum jus baptizandi ſuos parochianos competit ſoli parocho, quia, licet baptizare non ſit actus jurisdictionis, cum baptizandus nondum ſit ſubjectus Eccleſiæ, eſt tamen actus habentis jurisdictionem circa fideles, quibus baptizandus eſt aggregandus. Hinc graviter peccat contra præceptum Eccleſiæ, & jus Parochi, qui ſine hujus licentia ſaltem prudenter præſumpta baptizat; nulla tamen per hoc incurritur irregularitas, quia nullibi legitur. Ideo & graviter peccant parentes, ſi infantem alieno baptizandum offerant.

Reſ. 1. Abſente Parocho, qui vices ſuas nulli commiſit, quilibet Sacerdos poteſt ſolemniter baptizare, imo in neceſſitate Diaconus, & cum poſſit ſolemniter, videtur debere, ſi periculum permittat; adeſt enim licentia generalis, vel præſumpta ab Eccleſia.

Reſ. 2. Parochus nondum Sacerdos, ſed Diaconus, jure ordinario poteſt ſolemniter baptizare; quia jam pertinet ad eum regere parochiam, quantum diaconatus permittit, & Epiſcopus dando parochiam cenſetur id ei committere.

Reſ. 3. Peregrini, & vagi poſſunt eligere locum Baptiſmi ubi volunt; hinc peregrina pariens in alieno pago duabus, vel tribus horis a ſua domo diſſito poteſt prolem mittere ad Eccleſiam ſuam, poteſt & baptizandam offerre Parocho loci; gaudet enim in

tan-

tantum privilegio peregrini : in hoc tamen alieno pago non poteſt baptizare proprius ipſius Parochus.

(16) *Reſ.* 4. Non licet Baptismum recipere ab hæretico ; quia ſaltem eſt cooperari indigne miniſtranti : licitum tamen eſt nomen baptizati mittere ad prædicantem, ut inſcribatur, ſi hoc jubeat Magiſtratus ; pariter, ſi timeantur gravia mala V. G. gravis pœna a Magiſtratu hæretico, verbera, rixæ a marito hæretico, poteſt Baptismus permitti fieri a prædicante. Imo probabiliter licitum eſt parentibus Catholicis alias graviſſime puniendis mittere proles a prædicantibus baptizandas, eoquod tunc ſolum per hoc oſtendant, quod prædicans ſit validus miniſter, eſtque non tam petere, quam ex gravi cauſa permittere ; nec ideo judicantur parentes profiteri hæreſin, ſicut judicarentur, ſi ex metu gravi cum hæreticis ſtarent ad eorum cœnam, & panem a prædicante admitterent. Attamen in praxi mater, ſi poſſit, tenetur ante partum ſe conferre ad locum vicinum Catholicum; ut ibi pariat, & prolem baptizari faciat ; ſi hoc non poſſit, tenetur curare, ut privatim ritu Catholico baptizetur: dein ſe excuſare dicendo jam eſſe baptizatam; niſi prævideret denuo baptizandum.

QUÆSTIO IV.

(17) *Quodnam ſit Subjectum Baptismi?*

D. Subjectum Baptismi eſt omnis homo vivus nondum baptizatus ; dicitur enim *Joan.* 3. univerſaliter : *niſi quis renatus fuerit* &c.

Reſ. 1. De fide eſt contra Anabaptiſtas, infantes valide, & licite baptizari. Ita definitum in *Trident.*; quia a prima conceptione obnoxii ſunt peccato originali, ergo de ſe capaces Baptismi. Idem eſt de perpetuo

petuo amentibus, hoc eſt: qui uſum rationis nunquam habuerunt, nec adepturi exiſtimantur. Idem eſt de iis, qui a nativitate ſunt muti ſimul ſurdi, & cœci; quia probabilius æquiparantur infantibus, & ideo ſub conditione ſunt baptizandi. Qui vero aliquando uſum rationis habuerunt, baptizari non poſſunt, niſi ante amentiam ſaltem implicite petierint, & non conſtet eſſe in peccato mortali perſonali; in dubio, an petierint, ſub conditione baptizandi ſunt.

(18) *Reſ.* 2. Infans adhuc in utero exiſtens poteſt, & debet, ſi ſit periculum, & aqua eo deferri poſſit, baptizari ſub conditione; quia probabilius eſt validus Baptismus; eſt enim homo vivens natus in utero ex Adamo deſcendens, contraxitque peccatum originale, ſic *Matth.* 1. dicitur: *quod in ea natum eſt.* Sic renatus eſt Joannes Baptiſta, antequam natus; dum autem prohibetur fætum in utero matris baptizare, intelligitur de nondum vicino partui, non de eo, qui eſt vicinus, & egredi nititur.

Reſ. 3. Si infans ex utero extendat caput, & in eo baptizetur, certo valet Baptismus: ſi in pede V.G. dubius eſt, *de quo ſupra Num.* 7.

Reſ. 4. Si dubium ſit, an parturiens ſit editura prolem vivam, debet obſtetrix, ubi infans manum, vel pedem extendit, mox abluere, & baptizare: ſi nulla pars appareat, & timeatur moriturus, ſi poſſit ſine periculo occidendi infantem, aut matrem, conetur extrahere aliquam ejus partem: ſi non poſſit, conetur omni meliori modo aqua tepida (frigida enim noceret) humectare, & baptizare in utero; cum enim hoc Sacramentum ſit ſumme neceſſarium, debet omni poſſibili modo, licet dubio miniſtrari.

Reſ. 5. Si mater in partu moriatur, vivente adhuc fœtu, os matris teneatur apertum immittendo V.G. cochlear, aut quid ſimile, ne infans defectu reſpi-

reſpirationis ſuffocetur; interim per chirurgum, aut alium ex præſentibus aperiatur cadaver, quidquid contradicant cognati; hoc enim exigit periculum animæ: infans autem baptizatus probabiliter tantum, ſi naſcatur, vel eximatur, debet ſub conditione rebaptizari.

Reſ. 6. An mater teneatur permittere ſectionem, ut puer baptizetur, controvertitur in utramque partem probabiliter; negant plures, quia medium eſt incertum, periculum matris certum. Affirmant alii; quia tenetur mater cum periculo vitæ ſuccurrere proli conſtitutæ in neceſſitate ſpirituali extrema, ſi ſit certa ſpes baptiſmi, qualem eſſe teſtantur Medici, docet experientia. Mater permittens ſaltem facit actum heroicum charitatis: ſi renuat, non eſt multum urgenda ob ſententiam oppoſitam; ſi ob debilitatem matris non ſit prudens ſpes conſervandi vitam matris, ſectio eſt graviter illicita; quia per ſe tendens ad mortem matris innocentis. Confeſſarius ſi adſit, in his periculoſis caſibus, ubi de vita agitur, taceat.

(19) *Reſ.* 7. Omnes abortus ex concubitu humano nati quomodocumque imperfecti baptizandi ſunt ſub conditione: *ſi ſit homo*, modo per motum dent ſignum vitæ, vel ſaltem non conſtet eſſe mortuos; quia plures Medici docent fœtum poſt tres dies a conceptione animari anima rationali.

Reſ. 8. Si monſtrum habeat membra hominis principaliora duplicia, ita ut dubitetur, an ſit unus homo, vel duo, duplex eſt conferendus Baptiſmus, unus abſolute in illa parte, ubi caput, vel pectus eſt magis perfectum, alter ſub conditione, ſi non ſis baptizatus. In neceſſitate, dum periculum eſt in mora, totum baptizetur una ſimplici affuſione aquæ, dicendo: *ego vos &c.*

Reſ. 9. Conformiter Agendæ Colonienſi in monſtris, ſi non ſit periculum in mora, conſulendus eſt Ordi-

Ordinarius, vel alius peritus. Monſtra autem nata per nefandum ſcelus ex homine mare, & bruto fœmina, ſub conditione ſunt baptizanda, licet homini multum ſint diſſimilia; econtra nata ex homine fœmina, & bruto mare non ſunt baptizanda; quia defectu ſeminis homo naſci non poteſt.

(20) Q. *An licite baptizentur infantes infidelium invitis parentibus?*

Suppono 1. Adulti habentes uſum rationis, ſi petant, licite baptizantur contradicentibus parentibus; in negotio enim ſalutis ſunt ſui juris.

Suppono 2. Licite baptizantur *per ſe loquendo* infantes hæreticorum; quia parentes baptizati jam ſubſunt Eccleſiæ: per accidens ob turbationem reipublicæ non debet fieri.

Suppono 3. Sine conſenſu parentum quilibet infans baptizatur valide.

℟. 1. Si infideles ſint proprie ſervi, licite baptizantur authoritate dominorum eorum infantes; patet id ex praxi Eccleſiæ filios etiam Turcarum in bello captorum contra voluntatem parentum baptizando, & cum dominus poſſit illos vendere, poteſt a poteſtate parentum ſeparare, ſicque ceſſat periculum apoſtatandi, nec parentibus fit injuria, ergo domini poſſunt, imo *per ſe loquendo* tenentur illis procurare Baptiſmum.

(21) ℟. 2. Per ſe licitum eſt authoritate Principis Chriſtiani baptizare infantes infidelium civiliter ſubditorum invitis parentibus. *Ita probabiliter Scotiſtæ. Ratio eſt:* ſiquid obſtaret, eſſet jus naturale, quod habent parentes in filios; atqui hoc non obſtat, quia non habent jus pro hoc caſu; jus enim naturale non eſt contrarium juri divino, atqui parentes jure divino tenentur curare, ut baptizentur filii; ergo non habent jus prohibendi, natura enim non dat jus ad illici-

illicitum. Dixi: *per ſe*; quia ob gravia incommoda fieri non ſolet. Pro praxi

Reſ. 1. Secundum omnes ſufficit unius parentis conſenſus, modo infans educandus ſit in vera religione.

Reſ. 2. Mortuis parentibus baptizari poſſunt invitis tutoribus; poteſt enim Princeps derogare juri tutorum, quod per leges civiles eſt introductum.

Reſ. 3. Si infans jam ſit extractus e poteſtate parentum, licet injuſte, & non amplius ad eos reverſurus V. G. longe abductus a mercatoribus, poteſt baptizari; jam enim parentes amiſerunt jus proximum, & ſuccedunt illi, quibus infans jam ſubeſt.

Reſ. 4. Si filius ſit perpetuo amens, poteſt baptizari invitis parentibus.

Reſ. 5. Si ſit in periculo morali mortis, poteſt etiam a privato, imo debet, ſi commode fieri poſſit, baptizari; ceſſat enim periculum perverſionis, & per mortem abſtrahitur a parentibus.

Reſ. 6. Si puer Baptismum petat contra voluntatem parentum, & dubitetur de pleno uſu rationis, ſi ſimul adſit periculum mortis, debet baptizari, ſi non adſit, exſpectari, donec accedat plenus uſus rationis, interim non reddi parentibus.

Reſ. Denique: ſi puer invitis parentibus ſit baptizatus etiam illicite, *per ſe loquendo* eſt abſtrahendus, inſtruatur in fide Chriſtiana; quia per Baptismum Eccleſia acquiſivit jus.

QUÆSTIO V.

(22) *An Baptismus ſit iterabilis, & quando neceſſarius?*

D. 1. Sacramentum Baptiſmi non eſt iterabile in eodem ſubjecto; quia originale, ob quod præ-

præcipue eſt inſtitutum, non iteratur, & character, quem imprimit, eſt indelebilis.

Reſ. 1. Graviſſimum eſt ſacrilegium iterato ſuſcipere, vel conferre Baptismum etiam tantum ſub conditione, quando moraliter certo conſtat, priorem valide collatum eſſe: in jure civili ſtatuitur pœna capitis: in Canonico irregularitas, ſi rebaptizatio fiat ſcienter, & abſolute. Ab hac irregularitate juxta Benedictum XIV. (a) non eximuntur ii, qui ob ſolum apprehenſum prioris Baptismi vitium, nullaque præmiſſa veritatis indagatione illum denuo ſub conditione conferunt, quibus certo ſciunt jam ſemel antea fuiſſe collatum. Quoties autem occurrit rationabile dubium ſive negativum, ſive poſitivum, juris, vel facti, an prior Baptismus ſit valide collatus, debet iterari ſub conditione ob ſummam ejus neceſſitatem, quod fieri poteſt a quolibet perito privatim omiſſis ceremoniis.

Reſ. 2. Collatus ab hæreticis per ſe non eſt repetendus, modo conſtet, quod exterius adhibeant debitam materiam, & formam, prout contingit communiter in his partibus, ut teſtantur Catholici, qui eorum mores ſciunt. *Dixi: per ſe;* ſi enim rationabile adſit dubium, prout ſæpe eſt, ſub conditione eſt repetendus.

(23) *Reſ.* 3. Infantes baptizati ab obſtetricibus non ſunt univerſaliter rebaptizandi, ſed ſolæ ceremoniæ ſupplendæ; quia ſæpe poſt diligens examen nulla prudens ratio dubitandi de defectu ſubſtantiali occurrit. *Deinde* Baptismus collatus ab Athanaſio puero judicatus fuit non repetendus; cur collatus ab obſtetrice jurata? præſertim ſi & alii præſentes teſtentur omnia rite eſſe peracta.

Ob.

(a) *Lib. 7. de Synodo Cap. 6. Num. 3.*

Ob. Multa Ritualia illimitate præcipiunt illorum rebaptizationem. ℞. *d.* Ubi eſt prudens dubium de valore *c.* ubi non eſt *n.* quia tunc prohibitum jure divino, contra quod nulla eſt conſuetudo, vel præceptum humanum. Attamen pro praxi, quia in partu difficili ex nimia feſtinatione, perturbatione ſæpe, & potu errores facile committuntur, communiter eſt prudens dubium, & hinc in aliquibus Diœceſibus illimitate præcipiuntur rebaptizari; quilibet autem bene facit, ſi ſe ſuæ Diœceſis ordinationi accommodet: in Colonienſi rebaptizantur.

(24) *Reſ.* 4. Infantes expoſiti, licet adſit ſchedula de Baptismo collato, ſunt rebaptizandi ſub conditione; manet enim prudens dubium; cum in ſimili caſu ut plurimum baptizet mater ipſa, quæ forte non didicit, vel adhibeantur obſtetrices minus inſtructæ, magis de partu celando, quam Baptismo rite adminiſtrando ſollicitæ, nec poteſt fieri examen.

Reſ. 5. Manens dubius de valore ſui Baptismi debet abſtinere ab aliis Sacramentis, donec rebaptizetur, ne hæc ſine cauſa exponat periculo nullitatis: ſacerdos ſi velit manere in ſuo officio, debet de novo ſuſcipere Ordines ſaltem majores.

(25) *D.* 2. Baptismus extra caſum martyrii omnibus hominibus eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii, parvulis in re, adultis in re, vel in voto; & his inſuper neceſſitate præcepti. *Ratio primi, & ſecundi eſt:* quia Chriſtus univerſaliter *Joan.* 3. dixit: *Niſi quis renatus fuerit &c.* ſed parvuli non poſſunt renaſci per Baptismum in voto; ergo per Baptismum in re. Quod aliquando ſufficiat votum, conſtat ex *Trident. Seſſ.* 6. *cap.* 4. ubi declarat *neminem juſtificari poſſe ſine Baptismo, aut ejus voto*, intellige: incluſo in perfecta ad Deum converſione, *de quo infra. Ex his ſequitur ultima pars.* Ex præcepto divino, imo natu-

naturali charitatis erga nos ipſos obligamur exequi media ad ſalutem neceſſaria; ergo adultis etiam Baptismus eſt neceſſarius neceſſitate præcepti.

Ob. 1. Chriſtus juſſit prius doceri homines, quam baptizare, ait enim: *Docete omnes gentes, baptizantes illos;* ergo ſicut non poſſunt omnes doceri, ita nec omnibus neceſſarius eſt Baptismus. ℞. *d. a.* Juſſit prius doceri capaces *c.* incapaces *n.* Adulti debent doceri, ut ſe ad recipiendam gratiam diſponant, cujus inſtructionis capaces non ſunt infantes, hi tamen debent baptizari, ſicut in lege veteri circumcidi, ut gratiam recipiant, cujus capaces ſunt.

Inſt. Joan. 6. Eodem modo dicitur: *Niſi manducaveritis carnem &c.* atqui hoc non extenditur ad parvulos ergo nec illud: *Niſi quis renatus fuerit &c.* ℞. *d. M.* Eodem modo, & cum iisdem circumſtantiis finis, materiæ ſubjectæ, & interpretatione Eccleſiæ *n.* ſine his *c.*

Ob. 2. Etiam contritio includit voluntatem reſtituendi ablatum: ergo & reſtitutio erit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii in re, vel voto. ℞. *d. a.* Includit voluntatem reſtituendi, ita ut hæc voluntas ſit neceſſaria negative, ne per contrariam voluntatem ponatur impedimentum ſalutis *c.* ita ut illa voluntas ſit medium per ſe conducens ad primam gratiam *n.*

Reſ. 1. Adultus obligatur ſuſcipere Baptismum, quamprimum moraliter commode poteſt, & eſt ſatis inſtructus, ac diſpoſitus: ſicut tenetur credere myſteria fidei ſibi ſatis propoſita, & Religionem Catholicam amplecti.

Reſ. 2. Graviter peccant parentes, qui ad aliquot hebdomadas differunt Baptismum infantis, quamvis non ſit periculum mortis, quod tamen ut plurimum adeſt infantibus variis infirmitatibus ſubjectis; quia univerſalis conſuetudo, & decreta plurima ſynodalia

præſcribentia, ut non differatur ultra triduum, aut quatriduum, obtinuerunt, vel ſatis explicant vim legis pro tota Eccleſia.

(26) *Reſ.* 3. Beata Virgo immunis ab omni labe peccati indigebat Baptismo, ut fieret membrum Eccleſiæ capax aliorum Sacramentorum.

(27) Effectus Baptismi ſunt: 1. Imprimit characterem indelebilem *Trid. Seſſ.* 7. *Can.* 9. *de Sacrament.* 2. Si non inveniat obicem, confert gratiam ſanctificantem per ſe primam, hanc concomitantur virtutes per ſe infuſæ. 3. Per illam gratiam tollit peccatum originale, & omne perſonale debite retractatum. Eſt de fide, tum ex ſcriptura Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris:* tum ex Conciliis. 4. Tollit ſimul omnem reatum pœnæ apud Deum luendæ, ideoque baptizatis nulla imponitur ſatisfactio. 5. Habet vim auferendi pœnalitates hujus vitæ, ut ſunt morbi, concupiſcentia &c.: has tamen non aufert, tum, ut conformemur Chriſto capiti, qui, licet ab initio ſuæ conceptionis fuerit plenus gratia, his tamen ſubjectus fuit; tum, ut contra eas pugnando augeamus meritum obtinendo victoriam. 6. Confert gratiam ſacramentalem baptismalem, ſeu jus ad gratias actuales, *de qua ſupra.* 7. Conſtituit hominem membrum corporis Chriſti myſtici, ſeu Eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus, ideoque ſubjicit jurisdictioni Eccleſiæ: denique jure Eccleſiaſtico inducit cognationem ſpiritualem.

QUÆSTIO VI.

(28) *Quænam in Baptismo adhibendæ ſint Ceremoniæ, & ſpecialiter de Patrinis?*

D. 1. Variæ ſunt Ceremoniæ, quæ Baptismum, vel antecedunt, vel concomitantur, vel ſubſequun-

quuntur, de quibus videri debet Agenda propriæ Diœceſis, & prius hæ ſunt revidendæ, antequam ad baptizandum accedatur: hæ a Parocho quandoque populo ſunt explicandæ ex libris paſſim obviis.

Reſ. 1. Eſt ex genere ſuo mortale notabilem partem harum ceremoniarum omittere, *de quo ſupra:* imo eſt mortale omittere unam notabilem V. G. unctionem chrismatis; eſt enim ex fine materia gravis, ſicut mixtio aquæ cum vino in Miſſa. Diaconus tamen baptizans ſolemniter Chrisma adhibere non poteſt, ſed hoc ex poſt ſupplendum eſt a Sacerdote.

Reſ. 2. Eſt mortale ſine neceſſitate baptizare extra Eccleſiam, licet ibi non ſit fons baptismalis; quia id ſevere prohibet Eccleſia. Non requiritur autem magna neceſſitas, ſed ſufficit prudens dubium, timor, aut præſumptio periculi, ne ex delatione ad Eccleſiam infans patiatur. Signa periculi varia adducuntur V. G. ſi infans naſcatur ſine fletu; tunc enim non habet ſenſus perfectos, alioquin ingreſſus in aerem ſentiret frigus: ſi Mater difficulter ſit enixa: ſi naſcatur menſe octavo &c. pariter, ſi natus ex fornicatione nequeat deferri ad Eccleſiam ſine periculo infamiæ parentum, adeoque ſine gravi damno; deinde proles Principum, imo & Nobilium, ubi eſt recepta conſuetudo, ex privilegio licite baptizantur in ſacello domeſtico.

Reſ. 3. Dum licite domi V. G. baptizatur infans, adhibendæ ſunt ceremoniæ; quia licet diſpenſetur in uno, non ideo diſpenſatur in alio; dum autem inſtat mortis periculum, conferendus eſt Baptismus, & poſtea in Eccleſia ſupplendæ ſunt Ceremoniæ, & quidem ſub mortali, quamdiu eſt parvulus; habent enim ſuos effectus. In hæreticis converſis non ſupplentur ceremoniæ, ne cenſeatur improbari Baptismus ab hæreticis collatus.

(29) *D.* 2. Patrini dicuntur, qui infantem levant de fonte: ordinarie ſunt unus, & una; ſufficit tamen unus, vel una. Ultra unum, & unam, vel duos ejusdem ſexus, vel in Baptismo ſolemni nullum adhibere eſt mortale; quia contra præceptum Eccleſiæ in re gravi. *Dixi: Solemni;* quia in non ſolemni in neceſſitate collato non eſt opus Patrino: ſi enim puer ſtatim moriatur, illo non indiget, ſi ſupervivat, deſignabitur, dum ſolemnitates ſupplebuntur, qui curam gerat baptizati, ſed cognationem non contrahet; quia, ut ait D. Thom. ſupp. Q. 56. a. 2. hæc non contrahitur niſi per aliquod Sacramentum, ſicque non eſt vere patrinus.

Reſ. 1. Si plures a parentibus deſignentur, aut ſponte ſe ingerant, Paſtoris eſt unam, & unum ſigno aliquo externo deſignare, quibus poſtea ſolis tradat infantem, & illos velut Patrinos inſcribat, alios addere poteſt ut teſtes; etſi enim parentum ſit deſignare Patrinum, Paſtoris tamen eſt deſignare, ubi parentes vel non, vel male deſignant.

(30) *Reſ.* 2. Officium Patrini, & gravis obligatio eſt, baptizatum ſuo tempore inſtruere in rudimentis fidei, ſalutis illius ſpiritualis curam agere; hinc dicitur quaſi ſpiritualis Pater, niſi prudenter præſumat hoc fieri a parentibus, Parochis, vel Ludi-Magiſtris, ut ſit inter Catholicos. De hac obligatione, de dando bono exemplo, & de impedimento cognationis ſpiritualis patrinos monere debet Parochus.

Reſ. 3. A munere patrini excluduntur ſeptennio minores, muti, fidei rudimenta ignorantes, non baptizati, criminoſi, publice infames, hæretici, non enim eſt ſpes bonæ educationis; hinc, ſi Parocho in his locis obtrudatur hæreticus, qui repelli commode non poſſit, vel omittat ea, quæ patrinum contingunt, & infantem reddat obſtetrici; quia melius eſt nullum, quam

quam hæreticum adhibere: vel cum hæretico ſumat Catholicum, & huic tradat infantem.

Reſ. 4. Econtra per ſe non eſt illicitum ſaltem in his partibus eſſe patrinum prolis parentis hæretici baptizante prædicante; hoc enim eſt ſpondere, quod infantem in defectu parentum velit in vera fide inſtruere, nec per hoc approbat eorum ceremonias, ſed potius impedit, ne cum majori contemptu Eccleſiæ fiant, alias enim aſſumeretur hæreticus.

Reſ. 5. Prohibentur Abbates, & Religioſi eſſe patrini, niſi alia conſuetudo alicubi obtineat; prohibetur quoque graviter Pater, vel Mater levare propriam prolem, idque licet alius deficiat, quia patrini ſunt, ut defectum parentum proles inſtruendo ſuppleant. Plura de patrinis, & de cognatione, quæ hinc oritur, dicentur, ubi de impedimentis Matrimonii.

(31) Q. 1. *Quænam hic ſint obligationes Parochi?*

℞. Principaliores ſunt ſequentes: 1. Tenetur omnia baptizatorum nomina, & cognomina, eorumque parentes, & patrinos, locum, annum, diem nativitatis, & collati Baptiſmi libro ſpecialiter deputato, quem baptiſmalem vocant, inſcribere: facile peccat mortaliter, ſi in hoc ſit negligens; eſt enim res gravis momenti, cum ex hoc libro petatur teſtimonium ætatis pro ordinibus, profeſſione, matrimonio, inchoatione jejunii &c. hinc ipſam horam, in qua infans eſt natus, merito annotare deberet, ſi conſtet, ſingulariter etiam, an ſit ex legitimo thoro, quorum notitia poteſt eſſe ſumme neceſſaria, & liber baptiſmalis plenam facit fidem in quovis tribunali: liber ille cuſtodiri debet ſub ſera, ne a quovis poſſit inſpici, tum ne quid malitioſe mutetur, tum ne detur occaſio infamiæ, ubi proles eſt illegitima, vel ſpuria. 2. Si proles non ſit legitima, & ibidem ſit lex, vel

conſuetudo, mater interrogata tenetur edicere Patrem baptizandæ, eſt enim lex juſta; alias non tenetur, ſed poteſt uti reſtrictione, ſi ſine gravi ſui, vel alterius infamia non poſſit: nunquam autem manifeſtetur pluribus, quam ſit neceſſe, Parochus non ſit nimis curioſus in his; nomen autem patris denominati, niſi hic fateatur ſe eſſe patrem, non ſcribatur abſolute, ſed cum addito, *ut Mater dicit:* 3. Obſtetricem non toleret niſi Catholicam bene inſtructam, quæ conſuetum juxta Agendam juramentum emiſerit, moneat illam, ut non baptizet, niſi in neceſſitate, ut adhibeat teſtes, non baptizet proles mortuas, ut infantes mature curet ferri ad Eccleſiam &c. Tenetur eam aliquando examinare, qualiter baptizet, an formam rite exprimat, materiam, & formam ſimul applicet &c.; an non ad levandos partus dolores, vel facilitandum partum mediis ſuperſtitioſis utatur &c. 4. Inculcet parentibus, nutricibus, aliisque ſimilibus perſonis, ne infantes ante unum, aut alterum annum ſecum in lecto habeant ob periculum ſuffocationis, ſi enim ſuffocentur a dormientibus, eſſe reos homicidii, ſi non ſuffocentur, adhuc peccare graviter propter periculum, niſi forte ita diſponerent, ut periculum ceſſaret. 5. Sæpe moneat parentes, ne infantes committant improbis nutricibus, a quibus cum lacte peſſimas ſugunt inclinationes, nec poſtea magiſtris hæreticis, quod a bona, vel mala educatione potiſſimum æterna pendeat ſalus, vel damnatio. *Denique* inſtruat parentes, *ut in electione patrinorum non nobilitatis, aut divitiarum* (verba ſunt S. Borromæi) *rationem habeant, ſed eos, qui filiorum animæ magis conſulere poſſunt, eligant.*

Quære: 2. *Quid circa Ceremonias Baptismi?*

℟. Primo: Quia Parochus ſubinde debet explicare, quæ ſint, & quid ſignificent Ceremoniæ Baptismi, hinc

hinc easdem, earumque ſignificationem hic addere placuit, antequam autem aliquis baptismum ſolenniter miniſtret, Rituale Diœceſanum attente relegat, ne errores committat.

℞. Secundo: Ceremoniæ baptismum præcedentes ſunt primo: conſecratio aquæ cum infuſione olei, quod Catechumenorum vocant, & chrismatis, quæ ſolenniter fit in Vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, & privatim, ſi contingat aquam fontis deficere. Fit autem illis diebus, eoquod olim non baptizarentur communiter adulti, niſi illis diebus extra neceſſitatem. Secundo: Baptizandus adducitur ad fores Eccleſiæ, & ab ejus ingreſſu arcetur; quia non eſt dignus, ut domum Dei ingrediatur, antequam jugum diaboli excuſſerit, & ſe Chriſti imperio ſubjecerit, hoc tamen in Diœceſi Colonienſi fit in Eccleſia in loco non nihil a baptiſterio remoto. Tertio: Baptizando imponitur nomen, ut agnoſcat ſe militiæ Chriſti adſcribi, debet autem eſſe nomen alicujus Sancti, ut habeat exemplum virtutum, quod imitetur, Patronum, & Advocatum, quem colat, & invocet. Quarto: Sacerdos ter ipſum interrogat, renuntias Sathanæ, & omnibus operibus ejus, & pompis ejus? ubi ille, vel patrinus ejus nomine reſpondet ad ſingulas interrogationes: abrenuntio. Pollicetur ergo baptizandus ſe diabolum, & mundum deſerere, ſeque omni tempore utrumque tanquam hoſtem averſaturum, renuntiat pompis ejus, ſcilicet ambitioni, ſuperbiæ, profuſis in victu, & veſtitu ſumptibus; quia hæc homines mergunt in interitum, & ab humili Chriſto diſſonant, ad hæc attendant homines mundani, videantque, an non ſint votifragi. Quinto: Interrogat ſacerdos, an credat in Deum Patrem, ubi ipſe, ſi poſſit, vel per patrinum reſpondet, Credo, juxta illud Chriſti Marci ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit*, hoc enim Sa-

cramentum eſt Sacramentum fidei, in quo ſolemnis ſit fidei profeſſio. Sexto: Adhibentur exorcismi cum precibus, & trina inſufflatione in faciem ad expellendum dæmonem ejusque vires frangendas, idque levi flatu, quo nihil infirmius, in dæmonis contemptum, ſimulque ſignificatur illapſus Spiritus Sancti, ex quo datur intelligi, quod ante baptismum fuerimus ſub poteſtate dæmonum. Septimo: Baptizandus obſignetur ſigno crucis in pluribus partibus corporis, ut crucem non erubeſcat, & in ea fiduciam ponat, in Diœceſi Colonienſi tantum in fronte, & pectore, in fronte, ut nunquam crucem Chriſti erubeſcat, Chriſtumque crucifixum palam confiteatur, in pectore, ut credat in Chriſtum non ſolum ore, ſed & corde, dicit enim Apoſt. ad Rom. 10. *corde creditur ad juſtitiam.* Octavo: Sacerdos imponit manus ſuper caput baptizandi, & ſignificatur primo: præcludi viam dœmoni jam ante per exorcismos expulſi, ne redeat, ut docet S. Thomas ſecundo petitur pro baptizando gratia perſeverantiæ, imponitur, & ſubinde extenditur manus ſuper caput baptizandi tanquam victimæ, quæ dœmoni erepta ſoli Deo jam conſecranda ſit. Nono: Sal benedictum ori baptizandi intromittitur, ut ex guſtu ſalis, quo vera indicatur ſapientia, fœtore careat iniquitatis, nec a vermibus peccatorum ultro putreſcat, indicatur etiam non ſufficere, quod anima per baptismum liberata ſit a putredine, ſed curandum, ne rurſus corrumpatur. Decimo: In Diœceſi Colonienſi Sacerdos imponit manum capiti infantis, ſi ſit maſculus, & eum offert Deo. Undecimo: Repetuntur exorcismi cum impoſitione crucis in fronte baptizandi. Duodecimo: Legit Evangelium, & ſignat baptizandum, vel vel ipſe, ſi adultus ſit, ſe ſignat, in fine Evangelii imponit manum ſuper caput baptizandi. Decimo tertio: Impoſita manu ſuper caput baptizandi, orat,

credo,

credo, Pater noſter, Ave Maria, dein repetuntur exorcismi. Decimo quarto: De ſaliva ſua tangit primo aurem dexteram baptizandi: dein nares, & aurem ſiniſtram ſub his verbis: epheta, quod eſt adaperire, tangit nares ut accipiat odorem vitæ æternæ, aures, ut non ſit ſurdus ad expoſitionem cœleſtis doctrinæ, his peractis baptizandus ducitur ad fontem baptismi, ubi iterum renuntiat Sathanæ, & pompis ejus, repetit profeſſionem fidei, intincto dextro pollice in oleum Catechumenorum linitur infans in modum crucis primo in pectore, deinde inter ſcapulas, ut per fidei Sacramentum, cujus vis tota a cruce eſt, ſit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium ſit fortitudo laborum piorum in ſcapulis ait Innocent. III. cap. unico de ſacra Unctione. S. Chryſoſt. Hom. in 6. cap. 2. epiſt. ad Coloſſ. *Inungitur*, inquit, *baptizandus more athletarum, qui ingreſſuri ſunt ſtadium, accipitque robur ad jugum Chriſti, & crucem ejus ferendam*, poſtea interrogatur, an baptizari velit, per ſe, vel patrinum reſpondet, ſe hoc velle; quia ſicut homo voluntarie ſerpenti obediendo damnatus eſt, ſic decet, ut voluntarie ſalvetur, deinde ſequitur baptismus, poſt baptismum ſequitur primo unctio chrismatis, quæ non in fronte fieri debet, ſed in vertice, ſeu ſummitate capitis, idque tum ut baptizatus ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem, tum quia chrisma ſoli competit Chriſtiano, *Chriſtus enim a chrismate dicitur, vel potius a Chriſto dicitur chrisma, non ſecundum nominis formam, ſed ſecundum fidei rationem* Innocent. III. ubi ſupra, in oleo, & balſamo denotatur ſuavitas novæ legis, juxta illud Apoſt. *Chriſti bonus odor ſumus*, imponitur capiti infantis cappa, vel mitra candida, ut novus Chriſti Tyro Innocentiæ acceptæ meminerit, & eam pro viribus conſervare nitatur, deinde ſecundum ritum Colonien-

ſem

ſem Sacerdos parum vini imponit ori infantis, olim dabatur guſtandum lac, & mel, vel vinum cum lacte in ſignum novæ infantiæ, denique traditur cereus accenſus, in cujus lumine deſignatur fides, in calore charitas, in altitudine ſpes, qua terrena ſupergrediens ſe ad cœlos attollat, ut, cum dominus venerit ad nuptias, poſſit ei baptizatus occurrere cum ſanctis in aula cæleſti, vel ut intelligat fidem charitate inflammatam, quam in baptismo accepit, ſtudio bonorum operum eſſe alendam, & augendam, inquit Catechismus Romanus. Quando jam ob neceſſitatem baptismus collatus eſt ſine ceremoniis, hæ debent expoſt ſuppleri, ſicque habet praxis, & Rituale Romanum, ubi tamen miniſter, dum exorcismos ad profligandum dæmonem legit, intentionem referat ad perfectiorem dæmonis, qui nunquam omnino infeſtare ceſſat, repulſam.

QUÆSTIO VII.

(32) *Quid ſit Baptismus flaminis, & ſanguinis?*

D. 1. Baptismus flaminis non eſt ſolum deſiderium ſeu voluntas ſuſcipiendi Baptismum, ſed eſt perfecta contritio, vel amor Dei ſuper omnia, cui conjungitur, vel ſaltem implicite includitur hæc voluntas, quatenus eliciens habet voluntatem ſervandi omnia Dei præcepta, ergo, & ſuſcipiendi Baptismum, ſi de hoc ſciret, vel cogitaret; his enim actibus, non nudo deſiderio, tanquam ultimæ diſpoſitioni ad gratiam annexa eſt juſtificatio.

(33) *D.* 2. Baptismus ſanguinis eſt Martyrium perpeſſum ante ſuſceptionem Baptismi fluminis; Martyrium autem eſt mors perpeſſa in odium fidei aut

Reli-

Religionis Chriſtianæ, vel alterius virtutis ad eam pertinentis. *dr. Mors;* intellige: vel in ſe, vel in ſua cauſa, ex qua naturaliter ſequeretur, niſi Deus impediret; ſic S. Joannes Evangeliſta miſſus in ferventis olei dolium eſt Martyr; ſi tamen ſic ſupervivat, confirmatur in gratia. *dr.: In odium fidei;* hinc bonus latro cum Chriſto crucifixus non eſt Martyr. *dr.: Vel alterius virtutis;* ſic S. Thomas Cantuarienſis eſt Martyr, quia paſſus pro immunitate Eccleſiaſtica: debet tamen virtus conſiderari, non ut mere moralis, ſed ut eam commendat fides Chriſti. Debet iterum eſſe fides divina, hinc, ſi hæreticus moriatur pro myſterio SS. Trinitatis, non eſt Martyr; non enim de illa habet fidem divinam: inſuper requiritur in adulto acceptatio mortis ob cauſam honeſtam, & piam; ſufficit autem acceptatio interpretativa, ſi V. G. videat quis ſibi ob fidem imminere periculum mortis, & nihilominus perſiſtat, eſt Martyr, licet dormiens occidatur. *Dixi: ob cauſam piam:* hinc celebre eſt illud Auguſtini: *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa;* ideo, qui præciſe ex vana gloria pateretur, non eſſet Martyr. *Denique* non debet reluctari; hinc, qui in bello pro fide tuenda occiduntur, licet multum mereantur, ſicut, & ex Charitate inſervientes peſtiferis, non coluntur ut Martyres; quia Martyr debet imitari Chriſtum, qui ut agnus manſuetus paſſus eſt duci ſe ad mortem; attamen ſunt Martyres Chriſti milites, ſi jam victi occidantur ex odio fidei, & ideo mortem acceptent.

(34) *D.* 3. Martyrium remittit omnem culpam, & pœnam ex opere operato. Patet id 1. ex illo Matth. 10. *Qui me confeſſus fuerit. Qui perdiderit animam ſuam &c.* 2. Ex celebri textu S. Auguſtini dicentis: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendare.*

3. Quia

3. Quia per Martyrium juſtificantur parvuli operis meritorii incapaces.

Reſ. Infans in utero Matris, ſi cum Matre in odium fidei occidatur, eſt Martyr, imo probabiliter, licet occidens non intendat occidere infantem in odium fidei; cum enim poſſit vitam pro Chriſto perdere, non eſt, cur ab univerſali promiſſione excipiatur.

(35) *D.* 4. Ut peccator conſequatur effectum Martyrii, debet habere dolorem ſupernaturalem ſaltem virtualem; quia ex communi conſenſu defacto non remittitur peccatum perſonale ſaltem mortale ſine propria retractione; ſufficit autem attritio; quia hæc ſufficit ad Baptismum, cui comparatur Martyrium, & omnes tribuunt Martyrio vim conferendi gratiam primam, ſed hoc non eſſet, ſi contritio per ſe neceſſaria foret; jam enim haberetur per hanc. Interim hoc ipſo, quod ponatur anima pro Chriſto, eſt amor Dei ſuper omnia ſaltem virtualis; practice tamen neceſſaria eſt contritio ob majorem tunc ſecuritatem.

Ob. Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. dicit: *Si tradidero Corpus meum, ita ut ardeam; Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* ℟ Intellig: debet contrarie, hoc eſt: ſi proximum odio habeam, diſſenſiones foveam; loquitur enim ad Corinthios, qui mutuis diſſenſionibus ſcindebantur.

Reſ. 1. Qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, ſi prævideat Martyrium, tenetur adhibere media ordinaria reconciliationis; non enim Martyrium imminens tollit illam obligationem, ſed potius facit, ut præceptum divinum obliget pro tali tempore, ut forte alias non obligaret; tenetur ergo, ſi non ſit baptizatus, petere Baptismum, alias prius confiteri, elicere actus Fidei, Spei & Charitatis, ac cætera, ad quæ obligatur moriturus, ſi tempus, & occaſio ferant.

Reſ.

Reſ. 2. Martyrium confert ſuos effectus, & gratiam in ultimo inſtanti vitæ, quando moraliter Martyrium eſt conſummatum, & Martyr non eſt peccaturus amplius, vel ob defectum uſus rationis, vel ob ſingularem Dei manutenentiam.

De Baptismo.

Caſus I. Obſtetrix portans infantem ad Eccleſiam, dum hic in via periclitatur, nec adeſt aqua, tranſeundo puteum immittit ſtrophiolum, quo madefacto abluit infantem proferens formam; dum autem ſupervivit, rebaptizat eum Parochus, ſed qui expoſt dubitat, an aqua ſolos crines attigerit infantem aſpergit aqua luſtrali, ut ſe ab anxietate liberet, occulte proferens formam. Q. 1. *Quæ ſit materia valida, & licita Baptismi.* 2. *An obſtetrix valide?* 3. *An, & qualiter fuerit repetendus?* 4. *Quantum aquæ debeat affundi? deinde: an in ult. bene fecerit Parochus?*

℞. *Ad* 1. Valida eſt omnis, & ſola aqua elementaris proxime apta ad abluendum (a): licita extra neceſſitatem eſt ſola aqua ſacri fontis, peccatque graviter, qui ſine gravi cauſa illam non adhibet in Baptismo ſolemni (b): dum obſtetrix baptizat, ſi adſit aqua baptismalis, ſumat illam, ſed in vaſculo affundat, nec tangat propter ſacrum Chrisma. ℞. *Ad* 2. Si aquam non expreſſerit, invalide fecit, & Baptismus eſt abſolute repetendus: ℞. *Ad* 3. Si expreſſerit, erat certo ſufficiens, & ſi omnes præſentes conſtanter dicant, omnia rite peracta, videtur non eſſe repetendus; ſi vel minimum nutent, debet repeti, quod ſemper fieri poteſt in hac Diœceſi propter Agendam. ℞. *Ad* 4. Tantum aquæ affundi debet, ut ſucceſſive fluat

(a) *Vid. Num.* 2. (b) *Num.* 4.

fluat ſuper cutem, non crines: minus veſtes tantum. ℟. *Ad* 5. Si dubium Parochi fuerit prudens, bene fecit: ſi inane, vel merus ſcrupulus, peccavit graviter; interim iterum oportebat attendere, ut aſpergendo ſufficientem aquam affunderet.

Caſus II. Epiſcopus baptizando dicit: *nos te baptizamus.* Sacerdos filium Principis baptizans dicit: *ego vos baptizo.* 2. Parochus in forma Baptiſmi omiſit to *in*, alia vice to *Et.* 3. Obſtetrix dicit: *baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii* &c. quandoque dicit: *in nomine Dei Patris, Dei Filii* &c. Q. 1. *Quæ ſit forma Baptiſmi? Quæ ſint eſſentialia?* 3. *An hi valide, & licite baptizaverint?*

℟. *Ad* 1. Eſt hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* (a). *Ad* 2. Eſſentiale eſt, ut exprimatur actus exercitus per miniſtrum, & perſona, quæ baptizatur: ut diſtincte exprimatur unitas divinæ naturæ, & Trinitas ſecundum proprietates perſonales; cum enim hoc Sacramentum ſit prima fidei profeſſio, congruum eſt, ut primarium fidei myſterium per formam exprimatur (b). *Ad* 3. Epiſcopus valide; quia ly *Nos* ponitur authoritative pro *ego*; Sacerdos etiam valide; quia mutatio tantum accidentalis, ſed illicite. Parochus, ſi voluntarie omiſit to *in* aut *Et* peccavit graviter; nam omiſſo ly *in* definit ſenſus a Chriſto inſtitutus; & omiſſo ly *Et*, videtur non ſatis ſignificari diſtinctio perſonarum, ideo ſub conditione repetendus. Obſtetrix in primo dubiam, in ſecundo validam adhibuit formam, in utroque tamen peccavit graviter; quia ſaltem contra praxin, & præſcriptum Eccleſiæ egit in re gravi: de his inſtrui debet obſtetrix.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 9. (b) *Num.* 10.

Caſus III. Parocho adeſt Sacerdos, & Diaconus, dumque offertur infans baptizandus, hoc committit Diacono. 2. Dum ad infantem periclitantem vocatus tardat Parochus, ipſe Pater baptizat. 3. Infanti recens nato adſtant duo viri, qui ob imminentem puero mortem perturbati ambo baptizant. 4. Parochus, ut tempori parcat, tres infantes ſimul baptizat, dicens: *ego vos tres baptizo.* Q. 1. *Quis ſit miniſter Baptiſmi? 2. An licite commiſerit Diacono? 3. An pater bene fecerit? 4. An duo ſimul eundem? 5. An unus ſimul plures? & quid ſi unus jam fuiſſet mortuus, adeoque forma falſa?*

℟. *Ad* 1. Quilibet ratione utens eſt ſufficiens Baptiſmi miniſter (a): ordinarius eſt ſolus Sacerdos, Jus vero completum baptizandi habet Papa pro tota Eccleſia, Epiſcopus pro Diœceſi, Parochus pro Parochia (b). *Ad* 2. Si Parochus, & Sacerdos fuerint legitime impediti, aut Sacerdos noluerit, bene fecit, alias peccavit graviter; poteſt enim in neceſſitate, non extra hanc committi Diacono. *Ad* 3. Si adfuerit aliquis, qui potuit, & voluit, pater peccavit graviter contra prohibitionem Eccleſiæ; non erat tamen ſcrupuloſe exſpectandum, ne infans interea moreretur. *Ad* 4. Si ambo affuderint aquam, & ſimul abſolverint formam, ambo valide baptizarunt, ſicut eandem cum Epiſcopo hoſtiam conſecrant neo-myſtæ: ſi unus prius abſolverit, ille ſolus baptizavit. *Ad* 5. Poteſt, ſicut plures abſolvere. V. G. in naufragio; peccavit tamen graviter, quia in re gravi conſuetudinem, & ritum Eccleſiæ: *Ad* 6. Forma manebat vera; quia virtualiter triplex. Interim licite dicit exorciſmos, & orationes ſuper omnes in plurali.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 12. (b) *Num.* 15.

Caſus IV. Sacerdos caſu audiens ſe domi baptizatum ab obſtetrice, quo tempore Parochus modo defunctus non ſolebat rebaptizare, angitur de ſuo Baptismo. Puella trium annorum a parentibus vagis derelicta, a quodam villico educata, dum jam ad confeſſionale venit, dubitat Parochus, an ſit baptizata. Judæus furtorum, aliorumque ſcelerum reus petit Baptismum. *Q.* 1. *An duo priores ſint rebaptizandi?* 2. *Ad quid teneatur, qui rebaptizatur ſub conditione?* 3. *Ad quid obligandus ſit iſte Judæus?*

℟. *Ad* 1. *Primus* non eſt rebaptizandus (a), cogitet Parochum exploraſſe obſtetricis factum, & approbaſſe, alias ſub conditione rebaptizaſſet. Puella baptizari debuit ſub conditione, cum de illius Baptismo non conſtat certo, nec deſuper inquiri poſſit, adſitque prudens dubium. *Ad* 2. Tenetur ſe diſponere per actum fidei, & ſpei ſupernaturalis, ſi peccaverit mortaliter, contritionem elicere, & peccata poſt dubium Baptismum commiſſa confiteri. *Ad* 3. Præcipua fidei myſteria ſunt ei explicanda, diſponendus eſt ad ſincerum de peccatis dolorem cum firmo non peccandi propoſito (b): non eſt imponenda ſatisfactio pro pœna apud Deum; hanc enim delet Baptismus, qui tamen eum a reſtitutione, ſatisfactione, & ſimilibus non liberat.

Caſus V. Caja obſtetrix vettula Confeſſario aperit, ſe per annos multos omnes infantes, quos ob neceſſitatem baptizavit, in nomine diaboli cum intentione Eccleſiæ contraria baptizaſſe; ex his aliqui ſunt Sacerdotes, qui legerunt Miſſas pro ſtipendio, aliqui Confeſſarii, aliqui conjugati, aliqui Religioſi. *Q. Quid faciet Confeſſarius?*

℟. 1.

(a) *Vid. Num.* 23. (b) *Vid. Num.* 26.

℟. 1. Si in illo loco mos fuerit non rebaptizare baptizatos ab obſtetrice, explicata gravitate peccatorum, & damnorum inde emergentium, inducenda eſt ad verum dolorem, & propoſitum; dein, ut fideliter ſpecificet omnes, vel ſibi licentiam det, rem deferendi ad Parochum, ac occulte rebaptizandi, quod ſi recuſet, eſt indiſpoſita.

℟. 2. Si res palam fieret, Sacerdotes, ſi in officio manere velint, denuo ſunt ordinandi, Miſſæ *per ſe loquendo* repetendæ, Profeſſio religioſa eſt invalida; qui enim non eſt membrum Eccleſiæ, nec religionis: non indigent tamen novo novitiatu; quia ſunt ſatis probati. Confeſſarii *per ſe loquendo* tenentur procurare, ut illi, quos audierunt confitentes, mortalia denuo confiteantur; tenentur enim defectus corrigere etiam inculpabiles, matrimonia ſunt nulla, defectus enim Baptiſmi eſt impedimentum dirimens: in dubio Baptiſmi præſumitur pro valore confeſſionis, matrimonii, profeſſionis, non vero pro valore Sacerdotii ob periculum damnorum inde provenientium, ideoque nec pro valore Baptiſmi.

Caſus VI. A Parocho petitur 1. ut domi baptizet infantem, ceremonias vero in Eccleſia adhibeat, dum poſt quindenam adveniet patrinus perilluſtris Dominus. 2. Volens baptizare videt adeſſe virum ac duas mulieres volentes levare, una dicit ſe a patre, altera a matre rogatam. 3. Dum ſtat ad baptiſterium, nullus adeſt patrinus, hinc nolens exſpectare, vocat Petrum caſu in Eccleſia exiſtentem, qui & fecit, parentibus ex poſt male contentis. *Denique* 4. Petrus eſt deſignatus patrinus, ſed quia diutius emanet, parentes rogant Paulum, ut nomine Petri levet, quod & facit. Q. 1. *Quid in his agendum?*

2. *An bene factum fuerit?* & 3. *Quinam cognationem contraxerint.*

℞. *In* 1. Non potuit annuere, quia extra neceſſitatem, & prohibetur Baptismus extra Eccleſiam, & prohibetur conferri ſine ceremoniis, ac utrumque eſt quid grave (a), & licet poſtea aſſiſteret, non eſſet vere patrinus, cum tunc non fiat Baptismus. *In* 2. Non debebat admittere duas mulieres, ſed vel ſolum virum, vel cum illo unam mulierem: ſi neutram ſine gravi offenſa potuiſſet repellere, erat diſſimulandum, attamen ſigno aliquo externo una deſignanda, huic ſoli tradendus infans, nec permittendum, ut ambæ tangant (b) ſaltem ſic, ut cognatio contrahatur. *In* 3. Si non fuerit ratio feſtinandi, male fecit, & invalide: ſi fuerit, bene fecit, & Petrus contraxit cognationem; tunc enim alii erant quaſi non deſignati; ideoque pertinebat ad Parochum, cujus eſt curare, ut Sacramenta debite adminiſtrentur. *In* 4. Si Petro ignorante ſit factum, nullus fuit patrinus: non Petrus; quia non ſubſtituit: non Paulus; quia non nomine ſuo. Si Petrus in hoc conſenſerit, jam levavit per alium, quod fieri poteſt.

DIS-

(a) *Vid. Num.* 28. (b) *Num.* 29.

DISSERTATIO III.

DE CONFIRMATIONE.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid ſit Confirmatio, quæ ejus materia & forma?*

D. 1. Confirmatio eſt *unctio Chriſmatis ſub præſcripta verborum forma in fronte baptizati facta a debito miniſtro, qua ex Chriſti inſtitutione datur augmentum gratiæ, & robur ad reſiſtendum hoſtibus fidei.* Dari hoc Sacramentum eſt de fide *ex Trid. Seſſ.* 7. & conſtat ex perpetua traditione Eccleſiæ, quod ſufficit, licet clare in Scriptura non habeatur: inſtitutum probabiliter eſt in ultima Cæna, in qua (ait Fabianus Papa) Chriſtus Apoſtolos docuit conficere chriſma; hinc Eccleſia omni anno novum chriſma conficit feria quinta in Cæna Domini; poteſtas tamen conferendi hoc Sacramentum non fuit data Apoſtolis, niſi poſt reſurrectionem *Joan.* 20. ubi creati ſunt Epiſcopi.

(2) *D.* 2. Materia *remota* hujus Sacramenti eſt chriſma, ſeu unguentum ex oleo, & balſamo ab Epiſcopo benedictum. *Ita definit Florent.* habetque uſus totius Eccleſiæ. *Proxima* eſt unctio chriſmatis, hæc enim eſt applicatio materiæ remotæ, & proxime ſignificatur, & per formam determinatur.

Reſ. 1. Requiritur oleum olivarum; hoc enim ſolum proprie dicitur oleum; & alii liquores ſunt tantum in defectu illius.

Reſ. 2. Sufficit Balſamum cujuscunque regionis, modo ſit in tanta quantitate, ut det ſuum odorem, quamvis in ſingulis partibus olei non ſit aliquid Balſami.

Reſ. 3. Confirmatio eſt nulla, ſi fiat ſolo Balſamo, ſi ſolo oleo, vel Chrismate non benedicto; quia *Florent.* illa principaliter requirit.

(3) *Reſ.* 4. Eſſentiale eſt, ut Unctio fiat in fronte, & in forma Crucis; ideo in fronte: quia ibi verecundiæ ſedes eſt, inquit *Florentinum*, ut confirmatus non erubeſcat confiteri nomen Chriſti: ideo in modum crucis, ut verificetur forma: *Signo te ſigno Crucis*, & ut confirmatus diſcat gloriari in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Reſ. 5. Eſſentiale eſt, ut unctio fiat immediate manu miniſtri, non virgula, aut inſtrumento; quia hoc Sacramentum conficiendum eſt per aliquam impoſitionem manus.

Reſ. 6. De præcepto graviter obligante eſt, non de valore, ut fiat pollice manus dextræ, & Chrismate illo anno conſecrato; ſic enim præſcribit Rituale Romanum.

(4) *D.* 3. Forma hujus Sacrameni apud Latinos eſt: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chrismate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* An omnia verba ſint, de neceſſitate Sacramenti, diſputatur; in praxi certum eſt: non poſſe ſine gravi peccato aliquid omitti; quia Sacramentum ſine cauſa exponeretur periculo nullitatis.

Obſ. Ritus accidentales ſunt frontem velare faſcia lintea poſt frontis ablutionem comburenda quoad illud, quod Chrisma immediate attingit; debet autem frons lavari aqua munda cum ſale in ignem projicienda, poteſtque fieri per quemlibet. Sub mortali aſſumendus eſt patrinus, qui confirmandum teneat, & contrahit

cogna-

cognationem ſpiritualem, ſicut in Baptismo: hic debet tenere confirmandum imponendo manum humero ipſius dextro: incumbit ei poſt patrinum Baptismi obligatio inſtruendi in fide, debet eſſe unus, non plures; Tridentinum enim tantum in Baptismo conceſſit unum, & unam: diſtinctus, ſi fieri poſſit, a patrino Baptismi: debet ipſe eſſe confirmatus, alias non tantum graviter peccat, ſed & invalide agit, nec contrahit cognationem; dicit enim Pontificale Romanum: nullus, qui non ſit confirmatus, poteſt in confirmatione eſſe patrinus, ubi: *non poteſt* habet vim irritandi actum. In magno concurſu, ubi facile patrinus haberi non poteſt, poteſt fieri ſine illo, vel unus eſſe plurium patrinus. In Archi-Diœceſi Colonienſi debet adhiberi mas pro maribus, fœmina pro fœminis. Ita ſtatuta Synodalia ſub Maximiliano Henrico parte 2. tit. 4. cap. 3. §. 5. *Denique* levem alapam infligit Epiſcopus tum in memoriam hujus Sacramenti, tum ad ſignificandum, quod confirmatus debeat eſſe paratus ad injurias pro Chriſto conſtanter ferendas.

QUÆSTIO II.

(5) *Quis ſit Miniſter, & quodnam ſubjectum?*

D. 1. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus, ſic enim definitum eſt, ſic docet exemplum Apoſtolorum, qui manus imponebant iis, quos alii baptizarant, eſtque congruum, ut deſignatio fidelium in milites Chriſti fiat a Ducibus Eccleſiæ, qui ſunt Epiſcopi: extraordinarius ex ſpeciali commiſſione Papæ eſt ſimplex Sacerdos, ut ſatis inſinuant Concilia, dum addunt: *Miniſter ordinarius.* *Denique* ſæpe hoc practicatum legimus, imo ſatis probabile eſt,

poſſe & Chriſma ex tali commiſſione conficere; Sanctus enim Sylveſter (ut habet Breviarium) inſtituit, ut Chriſma a ſolo Epiſcopo conficeretur: & Concilium *Tolet.* primum prohibet, ne impoſterum Presbyteri faciant; attamen conſecratio ab illis facta non declaratur irrita.

Ob. Poteſtas confirmandi eſt poteſtas Ordinis a charactere Epiſcopali dependens, ſed hanc non dat Papa per delegationem, alias poſſet, & Diacono dare. ℟. *d. M.* Poteſtas ordinaria *c.* extraordinaria *n.* hæc enim etiam eſt ordinis Sacerdotalis, ſed incompleta complenda per Papæ delegationem; in Diacono non eſt poteſtas incompleta, cum enim non habeat poteſtatem in Corpus Chriſti verum, nec poteſt habere in myſticum. Sacerdotium non diſtinguitur adæquate ab Epiſcopatu, ſicut alii Ordines.

Reſ. 1. Epiſcopus excommunicatus, publicus hæreticus, degradatus, valide confirmat; quia confirmare eſt actus Ordinis, non jurisdictionis: non toleratus autem, vel hæreticus licet privetur jurisdictione, manet tamen valide ordinatus.

(6) *Reſ.* 2. Ut confirmatio fiat licite, requiritur jurisdictio; ideo intra, non extra propriam Diœceſin fieri debet, graviterque peccat Epiſcopus, ſi ſuum ſubditum in aliena Diœceſi confirmet ſine expreſſa licentia Ordinarii; quia ſine hac ex *Trid.* ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ nequit exercere Pontificalia, hoc eſt: illa, quæ ad ordinem Epiſcopalem ſpecialiter pertinent: V. G. ordinare, confirmare, Eccleſias, vel Calices conſecrare &c. Ad ſe vero venientes ex alia Diœceſi licite confirmat ex tacita licentia proprii Epiſcopi propter conſuetudinem.

Reſ. 3. Papa electus, nondum Epiſcopus poteſt ſimplici Sacerdoti dare licentiam confirmandi, ideoque, ſi neceſſitas foret, ſibi ipſi; quia talis conceſſio non eſt actus Ordinis, ſed jurisdictionis, ſicut a pari Epiſcopus nondum ordinatus poteſt dare facultatem abſolvendi.

(7) *D.* Valide ſuſcipiunt hoc Sacramentum omnes baptizati nondum confirmati, unde nec infantes, nec perpetuo amentes excluduntur; quia ſunt capaces augmenti gratiæ, & quod fidem profiteri nequeant, eſt per accidens. In antiqua Eccleſia infantes confirmabantur; quia non tam facilis erat occaſio, & poſt adeptum uſum rationis ſtatim poterat oriri gravis perſecutio Tyrannorum, quæ cum modo ceſſet, pro majori Sacramenti honore, & accipientis utilitate exſpectatur, usquedum propriis actibus ſe diſponere quis poſſit: attamen non erit peccatum mortale ſuſcipere, vel dare ante uſum rationis, nullum in locis, ad quæ Epiſcopus raro venire ſolet.

(8) *Q. An ſit obligatis hoc Sacramentum Confirmationis ſuſcipiendi?*

℞. 1. Non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem; hanc enim tam arctam neceſſitatem Theologi etiam rigidiores in iis tantum Sucramentis agnoſcunt, quæ dicuntur mortuorum, & ad primam gratiam ordinantur. Unde etiam Catechismus Romanus Part. 2. de Confirmat. *n.* 18. docet; *neque enim Confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt; ſed ut ejus virtute optime inſtructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſt.* ℞. 2. Eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, tum divini, tum Eccleſiaſtici; & neceſſarium quidem eſſe neceſſitate præcepti divini ſolide infertur ex illo Chriſti præcepto,

 quo

quo Apoſtolis Lucæ 24. & Actor. 1. mandavit: *Ab Hieroſolimis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem Patris*, id eſt, adventum Spiritus ſancti. Nam quod hoc præceptum non ſolos Apoſtolos, ſed etiam alios fideles concernat patet tum ex vigilantia, & ſollicitudine Apoſtolorum, ne quisquam ex baptizatis hoc ſpirituali ſubſidio careret: tum ex inſomni cura Univerſalis Eccleſiæ, quæ, ne ullus baptizatorum hoc Sacramento privaretur, per plura ſæcula Confirmationem ſtatim poſt baptismum adminiſtrari curavit; ſequentibus autem Sæculis omni ſtudio Epiſcopos monuit verbis graviſſimis, ut hoc Sacramentum fidelibus ſuis paſtorali ſollicitudine conferre ſatagant. Hanc ipſam Eccleſiæ mentem Concilia per plures, eosque ſubinde ſeveros canones ſatis ſuperque exprimunt; unde præter alios SS. Patres etiam S. Cyprianus Epiſt. 70. ita ſcribit: *Ungi quoque neceſſe eſt, ut accepto Chrismate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Neceſſarium vero eſſe hoc Sacramentum neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici evincunt canones tot Conciliorum; hi enim Eccleſiæ voluntatem, ejusque præceptionem ſatis aperte evincunt. Ulterius neceſſitas iſta luculenter eruitur ex pænis canonicis, quibus Eccleſia negligentiam in miniſterio præfati Sacramenti graviter punit.

(9) *Reſ.* Quænam requiratur in ſuſcipiente diſpoſitio, patet ex præcedentibus. Effectus ſunt: 1. Character: 2. Gratia habitualis: 3. Jus ad gratias actuales corroborantes in fide: 4. Cognatio ſpiritualis.

Obſ. Parochi tenentur quandoque in ſuis concionibus, vel alias parentes, & auditores monere 1. ut filiis ſuis præſertim, qui ante uſum rationis

con-

confirmati ſunt, in memoriam revocent, ubi, quando, & a quo ſint confirmati, ne hujus obliti Sacramentum iterato ſuſcipiant, quod eſt grave ſacrilegium, & ſæpe practicatur amore lucri a patrino accipiendi; nulla tamen per hoc incurritur irregularitas: quia in jure expreſſa non eſt. 2. Quod contrahatur cognatio ſpiritualis; unde, ſi Parochus habere non poſſit, & in librum referre nomina confirmatorum, parentum, & patrinorum, quod merito faciendum eſt, ſaltem, dum contrahuntur matrimonia, tenetur inquirere prævie, an non adſit ſpiritualis cognatio ex hoc Sacramento, vel Baptiſmo orta. *Denique* Parochus doceat ſuos, quomodo ſe ad ſuſceptionem hujus Sacramenti per confeſſionem (quod omnino ſuadendum ſimplicibus) aut per contritionem perfectam diſponere debeant; qualis requiratur intentio &c. idque præſertim, dum inſtant quatuor anni tempora, aut adventus Epiſcopi, ubi bene faciet, ſi pro concione, vel catecheſi ſuos ad hoc ſalutare Sacramentum ſuſcipiendum exhortetur, ejus materiam, formam, dignitatem, & fructus explicet, ne aut negligatur, aut indigne ſuſcipiatur; idque non ſine culpa Parochi; pauci ea, qua par eſt, præparatione ſuſcipiunt hoc Sacramentum.

De Confirmatione.

Caſus I. Dum Epiſcopus confirmationis cauſa accedit, Cajus cupiens confirmari, confitetur, ſed quia Confeſſarius de ipſius diſpoſitione prudenter dubitat, eum ſine abſolutione dimittit, ideoque nec confirmatur. *Dein* Caja prolem ſuam parvulam ad locum Confirmationis detulit,

lit, eandemque graviter infirmam propriis ſuſtentabat manibus: contigit autem, quod propter populi tumultum Epiſcopus retroſpiciens loco frontis maxillam illius parvulæ inungeret. *Q.* 1. *Quale Sacramentum ſit Confirmatio, quæ ejus materia, forma, & ſubjectum?* 2. *An bene fecerit Confeſſarius eum dimittendo?* 3. *An bene Caja portando, &* 4. *An Confirmatio in maxilla fuerit valida?*

℟. *Ad* 1. Eſt Sacramentum vivorum, cujus materia *remota* eſt Chriſma, *proxima* Unctio cum Chriſmate, forma: *Signo te ſigno Crucis; ſubjectum* omnis homo natus baptizatus nondum confirmatus, *miniſter* ordinarius Epiſcopus (a). *Ad* 2. Bene fecit: nam Confirmatio non eſt Sacramentum ſummæ neceſſitatis. *Ad* 3. adducendo prolem infirmam bene fecit; licet enim moriturae non proſit ad pugnam, prodeſt tamen ad gratiam, cui ſuccedit augmentum gloriæ: imo, etiamſi proles non eſſet infirma, ſi prudenter timuerit non facile offerendam occaſionem, Caja non foret culpanda ex eo, quod tam parvulam prolem obtulerit confirmandam, ut communiter ſentiunt Doctores; alias oportebat exſpectare annos diſcretionis. Quod propriis manibus ſuſtentando egerit quaſi patrinam, male fecit. *Ad* 4. Sub conditione fuit repetenda; quia Unctio in fronte probabilius eſt de eſſentia hujus Sacramenti (b).

Caſus II. Cajus optimam ſæpe habet occaſionem ſuſcipiendi Confirmationem, attamen negligit, modo rogatur ab amico, ut ſit patrinus, quod

(a) *Vid. Num.* 2. 4. & 5.

(b) *Vid. Num.* 3.

quod facit, non confirmatus. Titius vult ſuſcipere Ordines, dubitat autem an ſit confirmatus, & cum tali dubio Ordines ſuſcipit. *Q.* 1. *Qualiter peccaverit Cajus?* 2. *Qualiter peccaverit Titius, & quid facere debuerit?*

Reſ. Ad 1. Cajum a peccato mortali excuſari non poſſe, ſi nullo gravi impedimento a ſuſceptione Confirmationis fuit retardatus; cum enim ex dictis num. 8. ſit gravis obligatio ſuſcipiendi hoc Sacramentum, præceptum hoc vel maxime tunc ſtringit, ubi nullum adeſt obſtaculum, & aliunde ſe offert opportuna occaſio. Præterea quando adeſt optima occaſio, & quidem frequentior implendi legem, & tamen impletio legis ſine rationabili cauſa negligitur, intercedit contemptus ſaltem virtualis legis: ac proin peccatum grave plerumque incurritur. Unde etiam Catechismus Romanus paulo ante citatus docet: *quamvis vero* (Sacramentum Confirmationis) *neceſſum non eſt, a nemine tamen prætermitti debet: ſed potius cavendum eſt, ne aliqua negligentia omittatur. Ad* 2. Quod Cajus non confirmatus tenuerit infantem, peccavit graviter; imo invalide egit juxta Cap. 102. De Conſecrat. Diſt. 4. ubi ita decernitur; *In Baptismate, vel in Chrismate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.* Cum igitur adhibere Patrinum in Baptismo ſit cæremonia gravis, & ipſe fuerit cauſa, quod nullus fuerit adhibitus; ſequitur, eum deliquiſſe mortaliter. *Ad* 3. Titius peccavit graviter; hoc quippe velut rem magni momenti quovis Sæculo Eccleſia præcepit iis, qui clericalem ſtatum aſſumpturi erant; uti imprimis conſtat ex Concilio Nicæno I. quod Can. 8. ſtatuit, Novatianos ab hæreſi converſos eſſe ad Ordi-

Ordines admittendos cum manuum impoſitione confirmatoria, quam ii ipſi neglexerant. Canonem hunc Synodus Tridentina Seſſ. 23. Cap. 4. de Reform. innovavit his verbis: *prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperunt.* Sana etiam ratio id ipſum evincit; cum enim Ordo Clericalis ſit ſtatus perfectionis, non niſi perfectos Chriſtianos admittit, & exigit: perfecti autem Chriſtiani juxta ſententiam SS. Patrum non ſunt, qui Confirmationis gratia deſtituti ſunt.

TRACTATUS III.

DE

EUCHARISTIA.

DISSERTATIO I.

DE

EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM.

QUÆSTIO I.

(1) *Quænam ſit materia ex qua hujus Sacramenti?*

N. 1. Euchariſtia eſt *Sacramentum Corporis, & Sanguinis CHRISTI veraciter contenti ſub ſpeciebus panis, & vini conſecratis ad ſpiritualem animæ refectionem a Chriſto inſtitutum;* unde ad conſtitutionem hujus Sacramenti pertinent tum ſpecies panis, & vini, hoc eſt: horum accidentia, quæ poſt conſecrationem manent, tum Corpus, & Sanguis Chriſti; per ſpecies enim fit ſignum ſenſibile, per Corpus, & Sanguinem Chriſti habet rationem ſpiritualis refectionis, & convivii, ſeu vim cauſandi gratiam nutritivam.

N. 2. Euhariſtiam vere eſſe Sacramentum conſtat ex perpetua traditione Eccleſiæ, ejus definitione, & quia

quia nihil deeſt ad rationem Sacramenti requiſitum; eſt autem inſtitutum in ultima cœna, pridie, quam Chriſtus pateretur, ut conſtat ex Evangeliſtis: eſt unum unitate integritatis Sacramentum ejusdem ſpeciei infimæ, ſicut cibus, & potus corporalis unicam conſtituunt refectionem, & quamvis phyſice ſint multa Sacramenta, moraliter tamen eſt unum, ſi ſumatur per modum unius, ut ſi unus accipiat plures hoſtias; dum autem eadem hoſtia in partes diviſa datur pluribus, ſunt plura Sacramenta.

(2) *D.* 1. Materia, ex qua conficitur Euchariſtia, eſt panis triticeus, & vinum de vite. Conſtat id ex perpetua traditione Eccleſiæ, *ex Conc. Trid. & Florent.* dicente: *tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite. Ratio eſt:* quia ſolus panis triticeus eſt ſimpliciter talis, & vinum: alius autem panis (idem eſt de vino) eſt tantum talis cum addito, & in defectu alterius eſt introductus.

Reſ. 1. Panis ille debet eſſe uſualis, hoc eſt, aqua naturali ſubactus, & igne piſtus; hinc farina triticea compacta ex lacte, butyro &c. non eſt materia valida conſecrationis. Perinde autem eſt, ſive farina coacta ſit in furno, ſive ſub cineribus, ſive intra ferrum calidum; quia ſic coacta eſt vere panis; non, ſi ſit durata ad ſolem.

Reſ. 2. Invalida eſt conſecratio in pane ex fabis, piſis, hordeo, avena, milio &c. quæ ſpecie differunt a tritico.

Reſ. 3. Valide conſecratur panis ex tritico paucis alterius ſpeciei granis mixto; quia manet adhuc ſimpliciter panis triticeus: aliud eſt, ſi tantum miſceatur, ut in æſtimatione morali non cenſeatur panis ſimpliciter triticeus. In praxi ob reverentiam Sacramenti curan-

randum eſt, ut triticum ſit purum, quantum moraliter fieri poteſt.

Reſ. 4. Illicita eſt conſecratio in pane, de quo dubitatur, an ſit triticeus, ut eſt confectus ex ſiligine, vel ſpelta, aut de quo dubitatur, an ſit uſualis, etiam in neceſſitate, cum populus non audiret miſſam die feſto, imo, ſi infirmus moreretur ſine viatico; cum enim hæc non ſint ad ſalutem abſolute neceſſaria, non debet ideo Sacramentum hoc, cui ſumma debetur reverentia, exponi periculo nullitatis.

(3) *Reſ.* 5. Tam panis azymus, quam fermentatus eſt materia valida conſecrationis. *Eſt de fide definitum in Florent.*; & quia uterque eſt ſubſtantialiter panis triticeus, ac uſualis; licet enim azymo communiter non utamur, eo tamen communiter utebantur Judæi in feſtis paſchalibus, eoque Chriſtus veroſimilius eſt uſus, dum Sacramentum hoc inſtituit; qui conſecravit poſt eſum agni paſchalis, quo tempore non licebat uti fermentato: attamen ſub mortali tenetur quis ſe conformare ſuæ Eccleſiæ, eſtque ſecundum communem obligatio tanta, ut nequidem pro viatico liceat contravenire; quia univerſalis Eccleſiæ conſuetudo violari non debet propter utilitatem privatam, propter quam, ſi ſemel ejusmodi ritibus derogaretur, paulatim plures, & plures ceſſarent. Probabilius tamen videtur id poſſe, ac debere fieri in caſu, quo peracta utraque conſecratione ſacerdos adverteret panem eſſe corruptum, & nonniſi fermentatum habere poſſet: quia integritas ſacrificii prævalet.

Reſ. 6. Latinus tranſiens per Græciam, & econtra poteſt ſervare ritum ſuæ Eccleſiæ; ſic enim habet conſuetudo recepta: ad hoc tamen non tenetur juxta illud: *Si fueris Romæ, Romano vivito more*: ſi tamen Latinus fixiſſet domicilium in Græcia, tenetur ſequi ritum Eccleſiæ Græcæ, & econtra; quia jam

eſt incola, niſi Latini in terris Græcorum haberent proprium templum latini ritus, aut econtra; ſic Græci Romæ habent templum proprium, in quo proprium ritum obſervare debent, attamen Latinus non poteſt ibi celebrare in fermentato; quia eſt ſpeciale privilegium Græcis ibi conceſſum.

(4) *Reſ.* 7. Vinum album, rubrum, Italicum, Hiſpanicum, aut ex his mixtum ſufficit; ſunt enim omnia de vite, quale etiam quoad ſubſtantiam eſt, quod eſt miraculoſe productum: non eſt tamen facile conſecrandum in his locis in vino Hiſpanico, quia notabiliter miſceri ſolet aqua mellita.

Reſ. 8. Vina ex pomis, & ſimilibus expreſſa ſunt materia certo invalida, qualis etiam eſt liquor expreſſus ex uvis immaturis; quia nondum eſt vinum: ſimiliter acetum, quia eſt vinum ſubſtantialiter corruptum: item ſuccus incluſus in uvis quamvis maturis; quia potius habet rationem cibi, quam potus, & adhuc eſt pars uvæ: idem videtur de vino totaliter pani imbibito, quia, licet remaneat vinum, non eſt tamen in eo per modum potus, ſed cibi.

Reſ. 9. Muſtum eſt materia certo ſufficiens, quia eſt ſubſtantialiter verum vinum etiam uſuale: in caſu neceſſitatis, V. G. pro habenda Miſſa in die feſto eſt, etiam licita.

Reſ. 10. Valide, ſed illicite conſecratur vinum fœcibus infectum, acetoſum, ſi adhuc retineat ſpeciem, & prædicatum veri vini.

Reſ. 11. Vinum congelatum probabilius eſt materia valida; quia eſt vere ſubſtantialiter vinum, & ſufficit eſſe remote potabile, ſicut in ſimili patet de pane ita duro, ut comedi non poſſit, niſi contuſus; attamen in praxi graviter peccat, qui conſecrat vinum plene congelatum, ob probabilitatem ſententiæ oppoſitæ; hinc in praxi ante conſecrationem liquefaciendum

dum eſt in calice, non halitu (ut ſatis indecore faciunt multi) ſed manu appreſſa calici, vel ad allatum ignem.

(5) *D.* 2. Vino conſecrando ex præcepto Eccleſiæ miſcenda eſt aqua. *Ita Trident.* Pro quo

Reſ. 1. Aqua hæc debet eſſe naturalis; hæc enim eſt ſola ſimpliciter aqua.

Reſ. 2. Debet eſſe in modiciſſima quantitate. Patet ex verbis *Florentini*: & ſi multum adderetur, periculum foret, ne vinum, quod ſæpe eſt ſatis debile, corrumperetur, fieretque materia dubia; ſufficit autem quælibet guttula, modo ſit ſatis ſenſibilis; quia ſufficit ad ſignificationem intentam, quæ eſt 1. Quod ex latere Chriſti fluxerit ſanguis, & aqua. 2. Unio Chriſti (qui per vinum) cum populo (qui per aquam ſignificatur). 3. Unio humanitatis cum Verbo divino; qui fines, cum ſint graves, omittens peccat graviter (a), nullusque communiter admittitur caſus, ubi liceat Miſſam inchoare cum præviſo defectu aquæ: ante oblationem Miſſa eſt abrumpenda, ſi aqua haberi nequeat: ſi oblitus ſis infundere, debes ſupplere ante conſecrationem, non poſt; in ſuppletione autem debet mentaliter, non vocaliter, repeti oblatio; nil enim debet conſecrari, quod non fuerit oblatum.

Reſ. 3. Hæc mixtio fieri debet in ipſo calice in ordine ad ſacrificium (debet enim eſſe ceremonia ſacrificii) immediate ante Miſſam, vel ante Offertorium pro conſuetudine Eccleſiæ; ab ipſo Celebrante in Miſſa privata, in ſolemni a Subdiacono.

(a) *Vid. Part.* 1. *Tract.* 1. *Diſſ.* 3. *de Leg. Q.* 7.

QUÆSTIO II.

(6) *Quomodo materia debeat eſſe præſens, & determinata?*

D. 1. Materia conſecrationis debet conſecranti eſſe moraliter præſens, ita, ut poſſit demonſtrari per pronomina: *hoc*, & *hic* independenter ab omni alio ſigno; quia *hoc*, & *hic* ſubſtantive ſumpta ſignificant rem præſentem ſaltem in actione practica, ut eſt conſecratio; quanta autem propinquitas requiratur, non poteſt certo determinari: in praxi, ut omne dubium caveatur, ſervandus eſt uſus communis, & dum licite non conſecratur aliquid extra corporale, eſt propinquitas plus quam ſufficiens.

Reſ. 1. Materia debet eſſe præſens ab initio formæ usque ad finem illius; quia tota forma cadere debet ſuper illam: actio enim transſubſtantiativa eſt indiviſibilis; hinc, ſi apponerentur hoſtiæ parvæ pronuntiato ly *hoc*, non conſecrarentur, ſicut nec ſi ante ultimum verbum prolatum ſubducerentur.

Reſ. 2. Non requiritur, ut materia actu videatur, manu, vel alio ſenſu percipiatur; hinc hoſtiæ clauſæ in pixide valide conſecrantur; pro quo ſit regula generalis: ſi inter conſecrantem, & materiam aliquid ſit interpoſitum per modum ſeparantis, non fit conſecratio; quia morali judicio non demonſtratur per *hoc*, & *hic*; hinc hoſtia ſub mappa, in Miſſali latens, a tergo poſita, non conſecratur: econtra, ſi interpoſitum ſe habeat per modum continentis proximi, ornantis, defendentis V. G. a pluvia, valida eſt conſecratio; ideo hoſtiæ in calice tecto, ciborio clauſo, valide conſecrantur, quia ratione proximi continentis ſatis demonſtrantur; ſic de vino V. G. in dolio dicimus: hoc eſt vinum; non tamen conſecratur hoſtia in tabernaculo poſita: non enim eſt proximum continens.

(7) *Reſ.* 3.

(7) *Reſ.* 3. Materia quantumvis magna poteſt conſecrari, ſi tota ſit moraliter præſens V. G. plauſtrum vini, nec ullum eſt dubium de cumulo hoſtiarum; in praxi non plus conſecretur, quam commode poſſit conſumi, ne ſpecies putreſiant.

Reſ. 4. Non poteſt conſecrari materia tam parva, ut non ſit naturaliter ſenſibilis; quia non poteſt demonſtrari, licet talis particula ſeparata maneat conſecrata.

Reſ. 5. Ut conſecratio fiat licite, debet materia conſecranda eſſe, vel in manu Sacerdotis, vel ſuper corporale, vel in vaſe ordinario ad hoc deputato ſuper corporale collocato, vel in lunula oſtenſorii; vas autem, vel ciborium debet tempore conſecrationis ſub mortali aperiri, imo tempore oblationis, ſaltem ſub veniali.

Reſ. 6. Abſurda eſt praxis multorum, qui os ita proxime admovent, ut halitum in calicem, vel panem inſpirent.

(8) *D.* 2. Materia conſecrationis debet eſſe determinata in intentione conſecrantis: quia alias non verificatur forma, cum conſecratio præſertim effectiva ſit ſingularium. Hinc

Reſ. 1. Si quis ex multis hoſtiis præſentibus vellet conſecrare V. G. ſex non deſignatas, vel ab aliis non ſeparatas, nihil efficeret; idem eſt, ſi tenens duas hoſtias vellet conſecrare unam, non deſignando, quam; ſi vellet conſecrare illam, quam Deus, vel alius determinavit.

Reſ. 2. Qui putat ſe habere unum, & habet duas conjunctas, utramque conſecrat: habet enim intentionem conſecrandi id, quod habet in manu.

Reſ. 3. Non conſecratur hoſtia inſcio Sacerdote appoſita etiam in corporali, ſejuncta a cumulo; quia voluntas conſecrantis non fertur in incognitum.

(9) *Reſ.* 4. Non conſecrantur guttulæ vini exterius calici adhærentes, quia deeſt intentio; eſſet enim mortale: imo probabilius non conſecrantur guttulæ interius adhærentes, ſaltem remote a toto; quia intentio Eccleſiæ eſſe videtur, ideoque Sacerdotis eſſe debet, conſecrare id, quod per modum unius continui eſt in calice: in praxi, ſi advertas ante oblationem abſterge purificatorio, vel inclinando parum calicem cum toto commiſce; ſi, dum conſecratio jam facienda eſt, levi inclinatione Calicis, quæ vicinæ ſunt jungantur fundo; remotæ excludantur per intentionem; non expedit tunc abſtergere cum admiratione adſtantium, minus poſt Conſecrationem abſtergi debent; quia forte ſunt conſecratæ; hinc uniantur vino in prima oblatione. Interim ne opus ſit his immorari, ſemel pro ſemper fac intentionem non conſecrandi, uti nec micas panis in patena, vel corporali, ſed tantum, quod tempore conſecrationis continuum eſt cum majore, vel minoribus hoſtiis, nec ideo in Nativitate Domini timeas frangi jejunium naturale per has guttulas: excuſat enim te benignitas Eccleſiæ; nam & radendo per patenam corporale facile aliquid non conſecratum miſcebitur ſanguini, & tamen nemo ideo timet.

(10) *Reſ.* 5. Circa intentionem conſecrandi Hoſtiam majorem non eſt difficultas: vix enim poſſibile eſt, ut deſit intentio, niſi malitioſe excludatur, *de quo ſupra.* Magna eſt difficultas circa Hoſtias minores pro communicantibus; ſi enim alius te advertente Ciborium poſuerit in corporali, & intenderis conſecrare, vel in ordine ad hoc aliquid circa illas egeris, V. G. poſuiſti ad corporale, detexiſti &c. licet poſtea omnino diſtractus ad illas non reflexeris, ſunt conſecratæ; econtra, ſi Ciborium, vel Capſula, te advertente, ponatur extra corporale, quanquam ſciveris debere conſecrari, ſi conſecrans non reflexiſti ad illas viden-

videntur non conſecratæ, quia noluiſti conſecrare extra corporale, vel in capſula; hoc enim eſt mortale, ergo videris tantum habuiſſe intentionem conſecrandi, ſi aſſumeres ad corporale. Attamen probabile eſt eſſe conſecratas; potuiſti enim velle conſecrare non cogitando de corporali, vel volendo in illud ſumere, & poſtea obliviſcendo; hinc, cum res ſit dubia, de novo ſub conditione ſunt conſecrandæ in alia Miſſa. Bene faciet Sacerdos, ſi formet intentionem generalem pro ſemper, non conſecrandi Hoſtias extra corporale poſitas. *Dixi: in alia Miſſa;* quia graviſſime peccant, qui obliti conſecrare minores cum majori, repetunt formam conſecrationis ſuper minores.

(11) *Reſ.* 6. Hoſtiæ minores ex præſcripto rubricarum admitti debent ante oblationem: ex rationabili cauſa, ne V. G. homines ſine communione dimittantur, admitti poſſunt usque ad conſecrationem, ſuppleta mentali oblatione; ſi unus tantum ſit communicandus, poteſt ipſi in defectu dari particula ex Hoſtia majori, ſi adſit aliqua communicandi neceſſitas.

Reſ. 7. Male faciunt multi Sacerdotes hoſtias minores ſtatim poſt conſecrationem ab Altari auferentes pro danda communione propter benedictiones ſequentes, & quia ante ſumptionem Sacerdotis non eſt perfecte ſacrificata victima; non videtur tamen eſſe grave, & in copia communicantium licite fit. Male etiam faciunt Sacerdotes daturi communionem accipiendo Ciborium, dum celebrans eſt ſub ipſa conſecratione, vel communione; poterunt enim tantiſper exſpectare, ne celebrantem turbent.

Reſ. 8. Minime approbatur conſuetudo illorum, qui non purificato Ciborio imponunt hoſtias conſecratas, quia ſaltem hæc mixtio inconveniens eſt. Si fortuito Hoſtia non conſecrata cadat inter conſecratas, nec poſſit diſcerni, melius eſt diſtribuere ſingulis duas,

quam eam ibi conſecrare; cum enim non poſſit diſcerni, conſecratio eſt dubia: ſi miſcerentur plures, poterit totum ſub conditione conſecrari; vel, quod melius eſt, paulatim ſumi a Sacerdote poſt ſumptas ſpecies; poſt quas cum ablutione etiam ſumatur Hoſtia oblata, ſed non conſecrata, eoquod ſit valde maculata, enormiter fracta &c.

QUÆSTIO III.

(12) *Quænam ſint formæ Conſecrationis?*

D. 1. Forma conſecrationis panis eſſentialiter conſiſtit in his tantum verbis: *Hoc eſt Corpus meum*: forma conſecrationis Calicis in his: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, vel æquivalentibus; quia 1. per hæc verba ſatis ſignificatur præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, & converſio in iſta, uno autem omiſſo non ſatis ſignificatur. 2. Illa verba: *qui pridie, quam pateretur*, non ſunt dicta a Chriſto, ſed ab Alexandro I. primum relata in Canonem. Similiter illa: *novi, & æterni Teſtamenti* in multis liturgiis etiam ab Apoſtolis compoſitis non habentur, & tamen certum eſt illos valide conſecraſſe.

Reſ. Quia probabile eſt verba: *qui pridie, quam pateretur*, item: *ſimili modo*, eſſe de eſſentia formæ, item ſubſequentia: *novi, & æterni Teſtamenti &c.*, eſſe de ſubſtantia, ut loquuntur Thomiſtæ: hinc graviter peccat illa omittens. Omittere ly *enim* in re tam gravi vix a mortali excuſari poteſt.

(13) *D.* 2. Forma utriusque conſecrationis proferenda eſt non tantum recitative, ſeu hiſtorice referendo verba ut a Chriſto prolata, ſed & aſſertive, ſignificative, & practice, hoc eſt: ut proferens intendat hoc ipſum in perſona Chriſti loqui, & efficere, quod Chriſtus fecit.

(14)

(14) *D.* 3. In forma ly *hoc*, & *hic* non demonſtrant panem, & vinum, neque ſpecies, falſum enim eſt, quod panis, vel accidentia ſint Corpus Chriſti: ſed ſignificant ſubſtantiam præciſive, & ſenſus eſt: ſubſtantia contenta ſub his ſpeciebus, prolata forma, eſt Corpus, & Sanguis Chriſti: ſufficit autem in propoſitione practica, quod objectum exiſtat in fine illius: ſic, dum facio circulum, bene dico: hic eſt circulus, licet ab initio non ſit verum.

(15) *Q. An liceat unam ſpeciem conſecrare ſine alia?*

℟. Per ſe peccat graviter, qui unam conſecrat ſine alia; quia jure divino Euchariſtia eſt inſtituta per modum convivii, ad cujus integritatem ſpectat potus, & cibus. *Deinde* ſacrificium hoc eſt inſtitutum, ut ſit commemoratio ſacrificii cruenti crucis; ſed non eſt perfecta hujus repræſentatio, niſi utraque ſpecies conſecretur; in hoc enim Sanguis fuit ſeparatus a Corpore, & ideo Eccleſia tam ſollicite prohibet, ne una ſpecies ſine alia conſecretur ſupplendo alterius defectum etiam a non jejuno.

Reſ. 1. Non licet conſecrare ſub una ſpecie ad communicandum infirmum, ſi V. G. vinum haberi non poſſit; quia præceptum etiam divinum communionis non obligat, niſi dum ſine læſione alterius præcepti obſervari poteſt, ſicut communiter admittitur non licere tunc conſecrare ſine veſtibus ſacris, quod tantum eſt juris humani.

Reſ. 2. In caſu impoſſibilitatis phyſicæ, vel moralis, dum conſecrata una ſpecie non poteſt haberi altera, licite non conſecratur: V. G. conſecraſti panem, & invenis aquam te habere in calice, nec potes habere vinum.

QUÆSTIO IV.

(16) *Quomodo Chriſtus ſit præſens in hoc Sacramento?*

D. 1. In hoc Sacramento vere, realiter, & ſubſtantialiter continentur Corpus, & Sanguis Chriſti, non ſignificative tantum. *Eſt de fide contra Calviniſtas*, & clare habetur ex verbis Chriſti *Luc.* 22. *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur*, quæ verba in ſenſu proprio accepta clare exprimunt realem præſentiam, ſed debent ſumi in ſenſu proprio: nam 1. datur Corpus tradendum, Sanguis effundendus: ergo verus &c. 2. Condebat Teſtamentum ſuum, quod claris, & propriis verbis conſtare debet, ne loco domus V. G. legatæ detur figura domus. 3. Inſtituebat rem, in qua periculoſiſſime erratur. 4. Agebat ibi familiariter cum Diſcipulis, quibus datum erat noſcere myſteria regni Dei, ſolebatque obſcuriora explicare. *Denique* eſt regula S. Auguſtini apud omnes recepta: Scriptura explicari debet in ſenſu proprio, niſi cogamur ab alia Scriptura, vel articulo fidei, vel communi Eccleſiæ explicatione divertere, quod hic non eſt; ergo. De his plura Controverſiſtæ.

Ob. 1. SS. PP. dicunt Corpus Chriſti manducari per fidem, eſſe manducandum ſpiritualiter. ℟. *d.* Tantum *n* ſimul realiter corporaliter *c.* Patres maxime inculcabant populo manducationem ſpiritualem, ſine qua corporalis non prodeſt.

Ob. 2. Chriſtus dicit: *Ego ſum vitis vera*, quæ, uti & alia multa, nonniſi improprie intelligi poſſunt; ergo eodem modo hæc: *Hoc eſt Corpus meum.* ℟. 1. Ergo & illa: *Verbum Caro factum eſt*, *hi tres unum ſunt &c.* & ſic ruit tota fides Incarnationis; funda-

men-

mentum ſic intelligendi habetur ex Apoſtolo dicente: *Per Evangelium ego vos genui.* ℞. 2. Ly *eſt* in Scriptura ſæpe ſumitur proprie: ergo & hic, cum rationem in contrarium adferre non poſſint. ℞. 3. *n. c.* Quia in prioribus eſſet aperta contradictio, ſi in ſenſu proprio acciperentur, & ex materia, quæ tractatur, & circumſtantiis clare conſtat, Scripturam loqui metaphorice.

Reſ. 1. Eſt de fide *ex Trident. Seſſ.* 13. *can.* 3. quod totus, & integer Chriſtus exiſtat ſub qualibet ſpecie conſecrata cum divinitate, & humanitate, cum Corpore, & anima, cum Carne, & Sanguine, omnibusque accidentibus abſolutis a loco independentibus.

Reſ. 2. Non tantum totus ſub tota ſpecie, ſed & totus ſub qualibet ejus parte exiſtit, eo fere modo, quo anima eſt in Corpore, etiam minima ante diviſionem; quia hæc non ponit Corpus alicubi, ubi ante non fuit.

(17) *Reſ.* 3. In prima conſecratione vi verborum ponitur ſolum Corpus Chriſti, in ſecunda ſolus Sanguis, reliqua ponuntur tantum per concomitantiam. *Ratio eſt:* quia verba in prima conſecratione ſignificant ſolum Corpus, in ſecunda ſolum Sanguinem, quibus poſitis verificantur, etſi aliud nil ponatur, cum autem ponatur Corpus vivum, per connexionem ponitur Sanguis, & dum in ſecunda ponitur Sanguis vivus, qui non eſt ſine Corpore, per concomitantiam ponitur Corpus. Pro quo

Obſ. Dupliciter poteſt aliquid poni, & eſſe in hoc Sacramento: 1. Ex vi verborum conſecrationis, quod ſcilicet verba immediate ſignificant. 2. Ex naturali concomitantia, quod ponitur vi realis conjunctionis cum eo, quod vi verborum ponitur, adeoque ſub utriſque ſpeciebus de facto ponitur corpus, Sanguis, &

& anima Chriſti cum omnibus perfectionibus a loco abſolutis, ac tota Trinitas.

(18) *Reſ.* 4. Chriſtus manet ſub ſpeciebus etiam diviſis, & ſub quavis parte etiam minima, donec tanta earum fiat mutatio, ut ſubſtantia panis, & vini corrumperetur, ſi adeſſet; Chriſtus enim ſuccedit propriæ ſubſtantiæ: ergo ſi iſta deſineret, etiam deſinet Corpus Chriſti.

Reſ. 5. Species per vomitum ejectæ, ſi tales ſint, ut ſub illis panis, & vinum poſſent exiſtere, ſunt adorandæ, & ſi iterum ſumantur, conferunt gratiam.

Reſ. 6. Valde incertum eſt, quanto tempore Chriſtus maneat præſens in ſtomacho noſtro; quia incertum eſt, intra quod tempus ſpecies corrumpantur; eſt igitur attendendum ad diſpoſitionem ſtomachi, & ſuadendum eſt ſanis, ut intra mediam horam, infirmis, ut etiam per horam abſtineant a vomitu.

Reſ. 7. Quanquam ſpecies ſint alterabiles, diviſibiles, corruptibiles, non tamen Corpus Chriſti contentum ſub iis; quia hoc in Euchariſtia eſt glorioſum, & impaſſibile, hinc non poteſt dici calefieri V. G. poteſt tamen dici elevari, manducari &c. ob motum non in ſe, ſed in ſpeciebus receptum, non tamen dicitur bene frangi, vel miſceri; quia hæc dicunt ſeparationem partium, nec dicitur proprie tangi; quia hoc dicit extenſionem &c.

(19) *D.* 2. Poſt conſecrationem non manet amplius ſubſtantia panis, & vini; hinc in conſecratione fit vera transſubſtantiatio, hoc eſt: converſio totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam totaliter novam, ſeu Corpus Chriſti. *Eſt de fide contra Lutheranos definitum in Tridentino Seſſ.* 13. *Cap.* 4. & colligitur, ut ajunt Thomiſtæ, ex ipſa veritate formæ. *Nec refert*, quod Euchariſtia vocetur panis: ita enim vocatur, vel quia fit ex pane, vel quia retinet ſpeciem,

&

& operationes panis, vel quia eſt panis ſpiritualis reficiens animam.

QUÆSTIO V.

(20) *Quis ſit miniſter Euchariſtiæ?*

D. 1. Miniſter valide conficiens eſt omnis, & ſolus Sacerdos rite ordinatus. *Eſt de fide;* & quia ſolis Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus dixit Chriſtus *Luc.* 22.: *Hoc facite in meam commemorationem*, cumque ſit actus Ordinis, nulla obeſt malitia, cenſura, aut degradatio.

D. 2. Miniſter ordinarius diſpenſans Euchariſtiam eſt ſolus Sacerdos; diſpenſatio enim eſt actus acceſſorius ad confectionem, ut actum principalem: ex commiſſione Sacerdotis, ſi adſit aliqua neceſſitas, poteſt diſpenſare Diaconus, ut miniſter extraordinarius, in articulo mortis abſente, aut recuſante Sacerdote poteſt facere ſine commiſſione; habet enim tunc facultatem ab Eccleſia, & quia licite poteſt, ex charitate graviter obligante tenetur.

Reſ. 1. Ut licite diſpenſetur Euchariſtia, præter ſtatum gratiæ (*de quo ſupra*) requiritur jurisdictio in communicantem ordinaria, vel delegata, vel ſaltem rationabiliter præſumpta, vel privilegium. Colligitur ex variis Conciliis. *Ratio eſt:* quia Paſtoris munus eſt paſcere oves ſuas: ergo & dare Euchariſtiam, quæ eſt cibus ſpiritualis animæ; ergo, qui ſine licentia Paſtoris ſaltem præſumpta hoc facit, violat jus ejus in re gravi, & ſecundum communem Theologorum peccat graviter; imo Religioſus, ſi abſque licentia proprii Parochi, vel privilegio Papæ alienis ſubditis clericis, vel laicis, non tamen religioſis, extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare præſumpſerit, incurrit ipſo facto excommunicatio-

cationem Papæ reſervatam in *Clement.* 1. *de privil.*; excuſat tamen quævis ignorantia etiam craſſa propter verbum: *præſumit.* Interim

Reſ. 2. Generalis conſuetudo dat cuilibet Sacerdoti, ſecluſa ſpeciali reclamatione Parochi, licentiam communicandi parochianos alienos, ſi communionem non ex præcepto, ſed mera devotione petant; quia talis conſuetudo, aut data a Parocho licentia celebrandi in ſua Eccleſia ſignum eſt conſenſus taciti, aut ſaltem rationabiliter præſumpti, qui ultimus ſufficit, cum non agatur de aliquo ad valorem requiſito; hinc, ſiquis ſub tuo ſacro in quacunque Eccleſia petat communionem, non dubites de licentia.

(21) *Reſ.* 3. Religioſi mendicantes ex privilegio poſſunt Euchariſtiam adminiſtrare omnibus Chriſti fidelibus toto anni tempore, exceptis communione paſchali, & viatico. Ita conſtat ex eorundem privilegiis: non poſſunt tamen in Dominica Reſurrectionis extraneis dare, etſi ex ſola devotione ſumere velint. *S. Congreg.* 14. *Jan.* 1736.

Reſ. 4. Dum excipitur viaticum, eſt intelligendum de communione per modum viatici e manibus Parorochi ſemel ſumenda; hinc, ſi infirmus necdum pervenerit ad eum ſtatum, ut ex præcepto teneatur ad communionem viatici, poteſt communicari a Religioſo, manente obligatione recipiendi viaticum e manu Parochi: ſimiliter, ſi huic præcepto jam ſatisfecerit, poteſt iterato communicari a Religioſo in domibus, in quibus ex indulto ſpeciali coram ægrotante legitur Miſſa; quia nequit ad hujusmodi ægrotum communicaturum deferri a Religioſis Euchariſtia publice per plateam: hoc enim juri Parochorum conſuetudine obtento derogat.

Reſ. 5. Qui extra neceſſitatem extremam in excommunicatione, vel ſuſpenſione communionem di-

ſtri-

ſtribuit, fit irregularis; quia exercet actum ſui Ordinis in cenſura.

QUÆSTIO VI.

Quinam ſint ritus obſervandi in diſtributione Euchariſtiæ?

(22) *D.* 1. Ut Parochus rite Euchariſtiam petentibus opportune miniſtrare poſſit, debet eam aſſervare in Eccleſia cum lumine: ſi ex culpabili negligentia Parochi, æditui, vel ejus, cui cura commiſſa eſt, integro die, vel aliquot integris noctibus lumen ante Venerabile non ardeat, eſt peccatum mortale; quia gravis irreverentia. Inſuper debet tabernaculum, ubi Sanctiſſimum repoſitum eſt, diligenter cuſtodire, claves in ſacriſtia non relinquere, non æditno, vel laico dare, ſed ſibi reſervare. Ita S. Congregatio. Parochi claves ad tabernaculum, & ſacra olea diligentiſſime cuſtodiant, & non appendant, ubi cuivis ad manus eſſe poſſunt; quandoque enim ſagæ illas ſubtrahunt, & ſacras Hoſtias, aut aliquid de oleo ſubducunt.

(23) *Reſ.* 1. Ciborium (idem eſt de hoſtia oſtenſorii) merito debet renovari ſingulis menſibus, præſertim tempore, vel loco humido, ne ſacræ ſpecies corrumpantur, in quo graviter peccant multi Parochi, & ſacriſtæ.

Reſ. 2. Renovatio Ciborii facienda eſt ſub ſacrificio Miſſæ, in quo Sacerdos antiquas hoſtias, etiam triginta, & plures poſt ſumptum ſacrum Sanguinem poteſt, & debet ſumere. Idem eſt, ubi hoſtiæ reverenter aſſervari non poſſunt V. G. in ſacello rurali.

Reſ. 3. Purificans Ciborium poteſt particulas, ſumpto calice, injicere in calicem vacuum, & ſuperinfuſo vino ſumere, poteſt etiam injicere ſacro Sanguini,

ni, vel primæ ablutioni, vel particulas adhuc adhærentes adducere ad labium, ſed decentius videtur, ſi infundatur vinum, quoties opus erit, ut ſolvat; hoc vinum non eſt bibendum ex Ciborio, ut practicant aliqui, ſed refundendum in calicem. Si inadvertenter jam ſumpſeris ablutionem, potes adhuc purificare Ciborium; quia eſt una moraliter ſumptio.

Reſ. 4. Vermis inventus in Ciborio ex ſpeciebus natus, item ſordes aliæ ibidem contractæ debent comburi, & cineres projici in ſacrarium.

(24) *D.* 2. Euchariſtia debet diſtribui ritu Eccleſiæ conſueto. Patet id ex *præcedentibus de ceremoniis.*

Reſ. 1. Excepto tempore interdicti localis per ſe loquendo diſpenſari poteſt communio omni tempore, ſive nocturno, ſive diurno etiam poſt meridiem: ob contrarium tamen uſum eſt veniale ſine cauſa diſtribuere poſt meridiem. Specialiter prohibitum eſt in die Paraſceves etiam privatim communicare, quæ tamen prohibitio ſe non extendit ad neceſſitatem, qua æger ſine viatico eſſet moriturus; alias videtur gravis deordinatio: qui tamen ſic bona fide ſumeret communionem, præcepto ſatisfaceret; communicat enim intra tempus paſchale.

Reſ. 2. Non debet diſtribui in nocte Nativitatis Domini. *S. Congreg.* 7. *Decembris anno* 1742. ſicut & omnes tres Miſſæ ante auroram celebrari non debent. *Eadem Congreg.* Interim utrumque fieri videmus, & male, inquit gloſſa.

Reſ. 3. Sub Miſſa defunctorum poteſt dari communio. Ita contra multos docet Benedictus XIV. (a) *Rationem adducit:* 1. *Trid. Seſſ.* 22. *Cap.* 6. optat, ut in ſingulis Miſſis, nullum excipiendo, fideles communicent. 2. In Miſſa defunctorum, ſicut in aliis, Sacer-

(a) *In comment. de ſacrf. Miſſæ ſect.* 2.

Sacerdos dicit in Canone: *Quotquot ex hac Altaris participatione ſacratiſſimum Filii tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus.* 3. In rubricis Miſſæ pro defunctis pariter legitur: *Siqui ſint communicandi, communicet, antequam ſe purificet.* Opponunt AA. decretum *S. Congregationis* 1601. ſed iſtud decretum promulgari vetuit eadem *S. Congreg.* 1711. 21. *Martii.* Interim recentiores Rubriciſtæ allegant decretum S. Congregationis de anno 1741. ſecunda Septembris, ſequentis tenoris: In paramentis nigris non miniſtratur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis in alia Miſſa præconſecratis, extrahendo pixidem ex cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum Sacrificii, prout eſt, quando fidelibus præbetur Communio cum particulis intra eandem Miſſam conſecratis.

(25) *Reſ.* 4. Peccat graviter, qui ſine ſtola, & ſuperpelliceo, vel alba, vel ſine lumine Communionem diſtribuit, niſi excuſet neceſſitas V. G. veſtes ſint ablatæ, Euchariſtia per loca aſpera, magis ſi per partes hæreticorum, clam in pixide ad collum pendula, vel in corporali involuta, ſit portanda; ſi lumen extinguatur, & cito haberi non poſſit. Omittere *confiteor* cum precibus eſt veniale tantum. Diaconus, ſi Communionem diſtribuat, debet eſſe indutus alba, & ſtola transverſa; hic enim eſt ipſius habitus.

Reſ. 5. Intolerabilis eſt abuſus quorundam Religioſorum, & aliorum Sacerdotum, qui ſacram Euchariſtiam in theca argentea, vel corporali incluſam ſecreto deferunt ad infirmos, contra quos eſt decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ex commiſſione Innocentii XI. Aliud eſt in partibus hæreticis, *ut ſupra.*

Reſ. 6. Si abſit ſcandalum, & Sacerdos aliter non poſſit, poteſt dari Communio alio digito, quam pol-

lice, vel indice, licet enim ſoli primi inungantur, tota tamen manus cenſetur conſecrata; interim peccat venialiter Sacerdos aliis digitis ſine cauſa tangens hoſtiam.

Reſ. 7. Celebrans intra Miſſam daturus Communionem multis, disjungere poteſt pollicem, & indicem ſiniſtræ manus, prius abluendo, vel lambendo eos; ſi autem poſt diſtributionem digitis adhæreat ſaliva Communicantium, decentius alio linteo, quam purificatorio illo, quo in Miſſa eſt uſus, abſtergitur.

(26) *Reſ.* 8. Si, dum Communionem diſtribuis, hoſtia, vel particula decidat, locus tegatur palla, vel re aliqua munda, & poſtea abluatur, ablutio mittatur in ſacrarium: ſi ceciderit in veſtem communicantis, non eſt opus lotione; modo nihil remaneat; quia melius eſt turbationem populi vitare, quam ſervare hanc rubricam. Ubi notandum, rubricas præcipientes ablutionem loci, in quem ſacra hoſtia cadit, non obligare ſaltem ſub mortali; modo nihil remaneat ex particulis. Contrarium eſt de ſpeciebus vini; nam hæ imbibuntur: non eſt tamen opus comburi hoc, in quod ſacer ſanguis incidit, ſed ſatis eſt aliquoties ablui, & quod ſorberi nequit, linteo excipiatur, & ſi poſſit, locus abradatur, abraſum in ſacrarium mittatur. Si hoſtia decideret intra veſtes, vel ſupra pectus nudum fœminæ, non ipſe Sacerdos (hoc enim ſcandaloſum foret) ſed ipſa, vel alia mulier in ſacriſtia, vel in domo vicina recipiat, & referat, ſi aliter non poſſit decenter fieri; abluendi tamen erunt digiti mulieris, & ablutio mittenda in ſacrarium. Si minima pars, te ſolo advertente, decidat, nec ſine gravi turbatione populi quæri, & reperiri poſſit, Deo, & Angelis commenda.

Reſ. 9. Sacerdos adhuc indutus ſacris veſtibus poteſt particulas ſui ſacrificii in patena, vel corporali repertas,

pertas, etiamſi per horam Communionem diſtribuerit, ſumere, etiam poſt Miſſam; imo, ſi particulæ etiam alterius ſacrificii commode aſſervari nequeant, poteſt eas Sacerdos ſumere etiam poſt exutas ſacras veſtes; integram tamen hoſtiam non licet ſumere poſt ablutionem; quia uſus tantum extenditur ad fragmenta, quæ unam Communionem conſtituunt cum prius ſumtis; ſi tamen una, vel altera hoſtia ex tuo ſacrificio ſuperſit, nec commode aſſervari poſſit, melius erit ſumere.

Reſ. 10. Si invenias particulam, & dubites, an ſit conſecrata, ſume poſt utramque ſpeciem ante ablutionem: ſi autem invenias circa Altare, ſumatur pariter ante ablutionem, vel, ſi tunc non fiat Miſſa, deponatur loco decenti ſine ſolemnitate, & in proxima Miſſa ſumatur.

QUÆSTIO VII.

(27) *An, quandonam, & quos obliget præceptum divinum Communionis?*

Suppono: Euchariſtia in re ſuſcepta non eſt neceſſaria neceſſitate medii; eſt enim Sacramentum vivorum ſupponens hominem eſſe in gratia: imo nequidem in voto ſic eſt neceſſaria; quod enim ſic eſt neceſſarium, debet in re ſuſceptum per ſe cauſare gratiam primam, alias impletio cujuscunque præcepti diceretur neceſſaria in re, vel voto; atqui Euchariſtia non cauſat per gratiam primam, ergo.

D. 1. Datur præceptum divinum de ſumenda Euchariſtia. Patet ex illo *Joan.* 6. *Niſi manducaveritis &c.;* hoc præceptum obligat omnes, etiam non baptizatos, poſt adeptum uſum rationis; eſt enim univerſale, & prolatum ad non baptizatos Capharnaitas.

Ob. Confeſſio etiam obligat jure divino, & tamen non baptizati ad illam non tenentur; ergo a pari. ℟. *n. c.* Quia non tenetur quis baptizari, ut poſſit confiteri, cum poſt Baptismum non ſit opus confeſſione, imo nec poſſit abſolvi defectu materiæ, niſi novum peccatum adveniat; tenetur autem baptizari, ut poſſit ſummere Communionem: ſic ſpecialiter peccat excommunicatus, ſi non petat abſolutionem, ut poſſit communicari.

Reſ. 1. Parvuli uſu rationis carentes, perpetuo amentes, capaces ſunt hujusmodi Sacramenti ejusque effectus, ſicut ſunt capaces confirmationis; dari tamen illis non debet, ob conſuetudinem Eccleſiæ contrariam.

Reſ. 2. Dum parvuli adepti ſunt uſum rationis, debet illis dari viaticum, licet nondum communicaverint, modo ſciant diſtinguere Euchariſtiam ab alio cibo. Si dubitetur de ſufficienti uſu rationis adepto, dari poteſt viaticum, ſed non eſt obligatio: quia plena adeptio uſus rationis eſt quid facti, quod non præſumitur, ſed probari debet.

Reſ. 3. Graviter peccant parentes, qui, ne ſolvant jura funeralium pro communicantibus debita, non procurant pueris ſuis Euchariſtiam, licet ratione utantur, ſub prætextu, quod necdum ſumpſerint primam Communionem.

(28) *Reſ.* 4. Semifatui, ſeu debilem habentes uſum rationis obligantur hoc præcepto, ſi nullum timeatur inconveniens, vel irreverentia; hinc debet dari illis Communio in articulo mortis, imo & in Paſchate, ſi aliquo pietatis, & reverentiæ ſenſu erga hoc Sacramentum afficiantur: communicari etiam poſſunt ſæpius in anno juxta arbitrium Confeſſarii, quod magis tenet de fatuis tempore lucidi intervalli.

Reſ. 5.

Reſ. 5. Amentibus, & Phreneticis, qui uſum rationis habuerunt, nec ſciuntur amiſiſſe in mortali, quod in dubio non præſumitur, dandum eſt viaticum, ſi abſit periculum irreverentiæ; nec obeſt, quod blasphement, renuant &c. quia non ſunt liberi, & cenſentur petiiſſe, dum erant ſanæ mentis. Si dubites, an ſint reverenter ſuſcepturi, da ſemel, aut ſæpius hoſtiam non conſecratam: ſi hanc reverenter ſuſcipiant, da etiam conſecratam. Idem practicandum eſt in caſu magis obvio, ſi ſit periculum, ne infirmus hoſtiam per vomitum rejiciat, ſed hic monendus eſt, ne primam adoret.

Reſ. 6. Energumenis, ſive obſeſſis a dæmone ſine ſua culpa, aut, ſi cum culpa, poſt pœnitentiam poteſt dari Communio aliquoties in anno, prout judicaverit prudens Confeſſarius: quia non eſt ratio, cur eis interdicatur, modo abſit periculum irreverentiæ.

Reſ. 7. Muto, & ſurdo a nativitate, ubi per ſigna eſt inſtructus, & per nutus confeſſus, dari debet Communio etiam ſæpius pro ratione intelligentiæ, & pietatis; ſi autem ſimul ſit cæcus, cum inſtrui non poſſit, habetur ut perpetuo amens, & huic nequidem in articulo mortis dari debet.

(29) *D.* 2. Præceptum divinum Communionis obligat in articulo, & morali periculo mortis; Euchariſtia enim, inquit *Trident.*, eſt viaticum ſalutis, cujus vigore confortati ex hujus miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam pervenire valeamus. Eſt autem articulus mortis, quando mors moraliter certo proxime imminet, ut ſiquis ex morbo, ex vulnere, vel etiam ex Judicis ſententia ad extrema devenit, ut inde credatur infallibiliter moriturus: periculum vero eſt, quando eſt probabile dubium de morte; eoquod frequenter ſoleat in tali mors accidere.

Reſ. 1. Ad communicandum tenentur inituri prælium, navigationem periculoſam, mulieres prægnantes, ſi ſoleant habere partum difficilem; eſt autem obligatio gravis, quia materia valde conducens ad ſalutem animæ.

(30) *Reſ.* 2. Moribundus in Paſchate negligens Communionem committit duo peccata ſpecie diſtincta; quia eſt diverſus finis utriusque præcepti in Paſchate, cum tota Eccleſia celebret commemorationem ultimæ Cœnæ, Paſſionis, ac mortis Chriſti: pro viatico autem, ut ſe præparet pro tranſitu ex hac vita, & ſe muniat contra tentationes dæmonis, quæ in fine ſolent eſſe graviores.

Reſ. 3. Judex tenetur *per ſe loquendo* dare reo tempus communicandi, non tamen differre executionem mortis, ut reus communicet jejunus; hinc poteſt illi non jejuno dari viaticum: ſi reus communicare nolit, poteſt Judex pergere; attamen, ſi ſit ſpes fructus, Charitas poſtulat, ut per unum, vel alterum diem expectet.

Reſ. 4. Viaticum debet dari reo etiam ſtatim occidendo, vel moribundo mox morituro; licet ſacræ ſpecies conſumantur in corpore mortuo: excuſat enim neceſſitas, & utilitas.

(31) *Reſ.* 5. Si moribundus ſumpto jam viatico mortaliter peccet, non tenetur denuo communicare, (ſicut tenetur denuo confiteri) durante eodem morbo; quia nonniſi ad unum in eodem morbo obligatur, & aliter ſe confortare poteſt; Charitas tamen exigit, ut non negligat medium tam utile ad ſalutem. *Dixi: durante eodem morbo;* quia, ſi plene morbum, & periculum evadat, & poſt reincidat, denuo tenetur; quia eſt novum periculum.

Reſ. 6.

Reſ. 6. Qui ſumpta mane Euchariſtia ſubito incidit in morbum lethalem, non tenetur eadem die illam ſumere per modum viatici. Idem dicunt alii, licet a tribus, & quatuor diebus communicaſſet; quia Communio eadem die, aut paulo ante facta moraliter habet rationem viatici, cum ad exitum vitæ præparaverit; imo probabilius eſt, quod non poſſit eadem die iterum communicare; quia duplex una die Communio prohibetur ab Eccleſia, & licet præceptum viatici ſit divinum, Deus tamen reliquit Eccleſiæ ordinare, qualiter ſumendum pro reverentia Sacramenti: attamen ſuadendum eſt, ut die ſequenti communicet. In praxi non ſufficit, ſi aliquot diebus ante communicaverit.

(32) *Reſ.* 7. Qui omiſit Communionem in periculo mortis, non tenetur poſtea ſupplere, ſi evadat; quia ceſſat finis. Econtra, ſi prævideat ſe brevi lapſurum in mortis periculum, nec habiturum tunc occaſionem communicandi, tenetur prævenire; quia periculum proxime prævifum moraliter imminet.

Reſ. 8. Si infirmus ſacram Hoſtiam deglutire non poſſit, ut ſæpe contingit, injiciatur minima ejus particula vino, ut ſic ſumat.

Reſ. 9. Non minus admirandum, quam dolendum, multos reperiri, qui, dum graviter decumbunt, de mortis periculo audire nolunt, ne in triſtitiam incidant, & interim ſine Sacramentis moriuntur non ſine ſcandalo aliorum: excuſari forte aliquando poſſunt, quod periculum mortis non ita apprehendant. Cavendum Medicis, ne ex humano reſpectu, vel alio motivo pejore diſſimulent periculum, & non moneant, ut Sacramenta mature ſuſcipiant.

(33) *D.* 3. Præceptum divinum communicandi obligat ſæpe ſæpius in vita; Chriſtus enim Euchariſtiam inſtituit ut cibum ſpiritualem animæ, cibus

autem ſæpius ſumendus eſt ad vires animæ reficiendas. *Deinde* alia præcepta affirmativa indefinite prolata V. G. Fidei, Spei, Charitatis ſæpius obligant in vita; ergo & hoc. Interim quoties determinate obliget, non ſcitur; hinc Eccleſia prudenter præcepit Communionem ſaltem ſingulis annis. *De quo vid.* (a)

QUÆSTIO VIII.

(34) *Quænam requirantur diſpoſitiones ex parte Corporis.*

D. 1. Diſpoſitio præcipua ex parte corporis eſt jejunium naturale conſiſtens in eo, quod nihil omnino per modum cibi, potus, vel Medicinæ a media nocte ab ore in ſtomachum trajiciatur, hoc ſub mortali requiri ſacrorum Canonum authoritate ſancitum eſt, & univerſali Eccleſiæ conſuetudine receptum, quæ teſte S. Auguſtino ab Apoſtolis manavit. Nec obeſt, quod Chriſtus Apoſtolis non jejunis Communionem dederit; erat enim ratio ſpecialis, ut prius figuram, hoc eſt: Cænam Paſchalem impleret, quam rem figuratam, hoc eſt: Euchariſtiam inſtitueret, & ut memoriale Paſſionis ſuæ cum ſua Paſſione quaſi conjungeret; reliquit autem diſpoſitioni Eccleſiæ, ut ſalva Sacramentorum ſubſtantia ordinaret, quod expedire judicat, ſed judicavit, ut fideles accederent jejuni pro majori devotione, & reverentia tanto Sacramento debita.

(35) *Reſ.* 1. Non datur hic parvitas materiæ; non enim prohibetur cibus, & potus, ſed prohibetur Communio poſt cibum, & potum, quæ ſemper eſt quid grave.

Reſ. 2. Incipit hoc jejunium a media nocte, hoc eſt: probabilius a primo campanæ etiam minoris, qua

(a) *Part. I. Tract. I. de Præceptis Eccleſ. Q.* 5.

qua horarum quadrantes indicantur, ſono: per accidens enim eſt, quod plures pulſus audiantur, eoquod non poſſit unico pulſu duodecima indicari, hinc audito primo pulſu, quod in ore eſt, debet exſpui, ſicut certo exſpui debet ſaccharum ante duodecimam ori impoſitum.

(36) *Reſ.* 3. Ut aliquid frangat jejunium, requiruntur tria: 1. Debet hoc, quod ſumitur, aliquo modo habere rationem cibi, vel potus, vel medicinæ, licet nutritioni non deſerviat, modo ſit alterabile a ſtomacho. 2. Debet ſumi per modum comeſtionis, aut potationis. 3. Ab extrinſeco. Hinc

Reſ. 4. Non violant jejunium fruſtum ligni ſolidi, unguis, capilli, moneta aurea, plumbum, vitrum, filum ex ſerico, aut lana, & ſimilia; quia nullo modo alterantur in ſtomacho, ſed omnino integra egrediuntur. Econtra violant charta, filum ex lino, terra, carbones, pulveres ex oſſibus, & lapidibus; quia ſunt aliquo modo digeſtibilia; & ſumuntur per modum cibi, magis cera, cum ſit aliquibus partibus mellis immixta.

Reſ. 5. Non violat pulvis, vapor, fumus ciborum, guttula aquæ, vini, juſculi, immixta ſalivæ, ſive os abluendo, ſive guſtando vinum, aut juſculum, & mox exſpuendo; quia hæc ſumuntur per modum reſpirationis, aut ſalivæ, ſi caſualiter decidant. Nec violat Sanguis, vel alter humor, qui ex capite, vel dentibus fluit in os, & ſtomachum; quia non ſumitur ab extrinſeco: ob rationem contrariam violat, ſi Sanguinem ſugas ex digito vulnerato, humorem deſcendentem ex naribus. Nec violatur, ſi muſca in os volet, & ſe ipſam trajiciat: ſecus, ſi potens illam exſpuere trajicias.

Reſ. 6. Non violat tabacum, ſi in fumo ſumatur; quia vel fumus non trajicitur in ſtomachum, vel per

modum reſpirationis tantum: minus in pulvere ſumptum per nares; quia non ſumitur per actionem comeſtivam, quæ ſolo ore fit: probabiliter nec maſticatum, niſi trajiciatur, ſicut aromata ori impoſita, & dentibus contrita ad vitandum aerem noxium, vel etiam percipiendum guſtum, ſi nihil deglutiatur, niſi modicum per modum ſucci inſeparabiliter ſalivæ admixtum; negant enim maſticantes, quod ordinarie partes ſucculentiores tabaci intromittantur (quod eſt fundamentum ſententiæ oppoſitæ) & dicunt ſe hoc cavere ob acrem ſaporem. Interim, cum primus, & magis tertius tabacum ſumendi modus ſordidus ſit, indecens eſſe nemo negat. Juniores, vel maxime Sacerdotes efficaciter monendi ſunt, ut a tabaco ſumendo abſtineant in templis, præſertim tempore divini officii, ac ante inchoatam ſuam Miſſam; maxime, dum ex mera, ut promiſcue ſit, ſenſualitate pulvis ille ante Miſſam ſumitur.

(37) *Reſ.* 7. Imponens ori ſaccharum, glycyrrhizam, ad minuendam V. G. raucedinem paulatim deglutiendo veſperi, dum cubitum vadit, non poteſt communicare, niſi moraliter certus ſit, nihil poſt mediam noctem deglutitum eſſe: moraliter enim tamdiu durat comeſtio, quamdiu eſt in ore; cum fuerit ſumptum, ut ſenſim deglutiretur. Contrarium eſt de reliquiis ciborum ex comeſtione veſpertina inter dentes manentibus; quia, cum moraliter loquendo Cœna cenſeatur abſoluta ante mediam noctem, non cenſentur illa comedi: ſi autem advertas partes præſertim notabiles, exſpuendæ ſunt: ſi enim hæ ex induſtria deglutiantur, violant jejunium; quia æquivalent comeſtioni.

Reſ. 8. Non requiritur, ut cibus ſit digeſtus; hinc in nocte Nativitatis Domini poſſet quis immediate ante duodecimam cibum, & potum ſumere, & ſtatim

tim audita duodecima celebrare: attamen indecens eſt ſine neceſſitate cibo corporali hunc ſpiritualem miſcere. De dubitante, an jejunium fregerit. *vid. q.* 7. *de conſcientia.*

(38) *D.* 2. Licitum eſt non jejuno ſumere Euchariſtiam in ſequentibus caſibus: 1. Infirmo, qui non poteſt manere jejunus, poteſt dari Communio ſæpius; ratio eſt benignitas Eccleſiæ, & Sacramenti utilitas: attamen ſi periculum mortis adhuc ſit remotum, debet exſpectare, donec ſit jejunus, ſi hoc poteſt, absque ſuo, vel Parochi notabili incommodo; in quo tamen non eſt ſcrupuloſe agendum, nec ideo differenda medicina neceſſaria, nec cogendus Parochus, ut veniat de nocte.

Reſ. Si infirmus laboret febri, meritoque timeatur brevi deliraturus, ut, ſi febris ſit vehemens, curet Parochus, ut ſtatim confiteatur, detque etiam non jejuno viaticum; experientia enim conſtat, quod labantur in delirium, dum minime putabatur, maneantque ſubinde privati ratione, & ſic moriantur: hinc, ſi ſit periculum mortis, det & extremam unctionem, melius enim eſt Sacramenta ſuſcipi cum devotione, qnam a privato ratione.

Ob. Rituale Romanum præcipit, ut infirmi ex devotione communicantes ſint jejuni non minus, ac cæteri, ergo non ſæpius in eadem infirmitate communicare poſſunt non jejuni. ℞. 1. Si non infirmentur ad mortem, vel ſi poſſint ſine gravi incommodo manere jejuni *c.* ſecus *n.* Verum eſt, ſi non ſit periculum in mora, & infirmus manducando, aut bibendo paulo ante medium noctis poſſit ſummo mane communicare jejunus, hoc per ſe loquendo fieri debet.

2. A non jejuno poteſt, & debet ſumi Euchariſtia, ſi adſit periculum, ne hoſtia indigne tractetur ab hæreticis, aut alio modo fiat illi irreverentia, idque, licet

licet ſumens ipſa die communicaverit; quo caſu poſſet, & laicus ſumere ſacrum Sanguinem, ſi non adſit Sacerdos.

3. Si poſt conſecrationem Sacerdos recordetur ſe non jejunum, debet pergere exigente hoc integritate Sacrificii: ſi ante conſecrationem, debet deſiſtere, ſi privatim celebret, & poſſit ſine gravi infamia, & ſcandalo; hinc, ſi publice celebret, debet pergere. Idem eſt de laico jam exiſtente in ſcamno communicantium.

4. Si poſt conſecrationem etiam unius tantum ſpeciei moriatur Sacerdos, tangatur apoplexia, aut alio modo fiat incapax ulterius procedendi, tunc deficiente Sacerdote jejuno, debet non jejunus Miſſam abſolvere, ob Sacrificii integritatem; ſicut & ſupra dictum eſt: ſi pro ſpeciebus vini ſumpſerit aquam, ſi ſuperſint particulæ, quæ commode non poſſint aſſervari.

5. Si Parochus die Dominico, aut feſto, vel ſtante funere, in benedictione nuptiarum &c. ſacrum omittere non poſſit ſine gravi obmurmuratione populi, ſine dicteriis, ſuſpicionibus in Sacerdotes &c., poteſt celebrare non jejunus, quia tunc lex de vitando ſcandalo prævalet, de quo adhuc *Quæſt. ſeq.*

(39) 6. Verius eſt, non poſſe non jejunum conſecrare ad dandum alteri viaticum; quia Eccleſia nullibi celebrantes pro infirmis excipit, ſicut excipit infirmos, & maximam adhibet curam, ut ſerventur hoſtiæ conſecratæ pro infirmis; ſicut ergo in hunc finem non licet conſecrare ſine ſacris veſtibus, vel ſine altari, ita nec a non jejuno. Præceptum autem viatici tunc non obligat: non enim obligat, niſi dum reverenter, & cum principalibus Eccleſiæ ceremoniis obſervari poteſt. Probabile quidem eſt, non jejunum pro dando viatico poſſe celebrare, quia id forte Eccleſia facilius per-

permittit, ſed opinio contraria eſt communior, & verior.

(40) *D.* 4. Altera diſpoſitio eſt immunitas a pollutione etiam inculpabili, & actu conjugali, non quidem ex neceſſitate, ait *D. Thomas*, ſed ex quadam congruentia propter hujus naturalem fœditatem, & diſtractionem ſæpius annexam.

Reſ. 1. Pollutio etiam culpabilis, ſi ſufficienter per confeſſionem ſit retractata, de neceſſitate non impedit, ſi mentis evagationem aliasque imaginationes piis actibus quis coerceat; impedit tamen ex congruentia magis, quam inculpabilis, ob ſummam reverentiam huic Sacramento debitam.

Reſ. 2. Monendi ſunt peccatores, ne mox a patrato peccato mortali præſertim externæ luxuriæ, vindictæ &c. licet confeſſi ſint, ad Cœnam Agni Immaculati accedant, niſi cogat neceſſitas: V. G. Sacerdos ex juſtitia, vel obedientia tenetur celebrare, nec poteſt commode declinare, laicus non poteſt ſine gravi nota Communionem omittere: tunc enim poſſunt, & debent per majorem devotionem ſe præparare. Interim ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum etiam ſine veniali indecentia non requiritur, ut homo diu absque peccato mortali perſeveraverit, nec quod ſit ſit liber ab omni etiam habituali affectu ad venialia, & ab omni terrenarum rerum amore; quamvis hoc ſuadendum ſit omnibus: licet autem non habeat hanc puritatem, poteſt laudabiliter commnicare, & fructus Sacramenti percipere; alias Apoſtoli indigne communicaſſent, non enim illo tempore adeo puri, & perfecti erant: primis namque ſæculis omnes quotidie communicabant, & tamen multi eam puritatem non habebant, quam ridigiores Theologi requirunt.

Reſ. 3.

Reſ. 3. Expedit contemnere dæmonis illuſiones, ſi advertatur ſæpius pridie communionis obvenire pollutionem inculpabilem.

(41) *Reſ.* 4. Hortandi ſunt conjuges, ut communi conſenſu a concubitu abſtineant ſaltem pridie Communionis, quodſi alteruter urgeat, non eſt multum tergiverſandum; quia prævalet obligatio juſtitiæ, poteſtque compenſari per majorem devotionem aliunde quæſitam. Hinc

Reſ. 5. Cavere debent uxores, ne propter frequentiores communiones, aut alias devotiunculas, nimis ſæpe debitum conjugale deprecentur, ne maritos in periculum pollutionis, vel adulterii conjiciant. Cæterum poſt copulam conjugalem ex mera libidine habitam omnino diſſuadenda eſt Communio; quia indecens eſt, & vix haberi poteſt actualis devotio: carnalis enim voluptas præſertim vehemens mentem totaliter a ſpiritualibus abſtrahit.

Reſ. 6. Nullo modo impedit lepra, cancer, morbus gallicus, menſtruus fluxus mulierum, & ſimilia, quæ ſine culpa eveniunt, nec devotionem impediunt.

(42) *D.* 4. Requiritur, ut ſtomachus ſic ſit diſpoſitus, ut poſſit retinere ſpecies: ſi enim continuo revomat, vel ſtatim per ſeceſſum cibos plane immutatos ejiciat, gravis eſt irreverentia communicare; qui tamen ſic bona fide ſumpſit, & ſtatim e ſtomacho rejicit, fructum Sacramenti accepit; quia hic producitur, non dum ore ſuſcipitur hoſtia; quia ore ſuſcipere non eſt manducare, cum poſſit exſpui: ſed in ipſa trajectione in ſtomachum.

Denique ad munditiem corporalem etiam pertinet decens corporis ornatus ſtatui conveniens.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

(43) *Quænam requiratur diſpoſitio ex parte animæ?*

D. 1. Exiſtenti in peccato mortali præmittenda eſt confeſſio Sacramentalis, antequam communicet, vel Miſſam celebret. Habetur ex *illo* 1. *ad Corinth.* 11. *v.* 28. *Probet autem ſe ipſum homo:* quod juxta unanimem conſenſum DD. intelligitur de Confeſſione Sacramentali, & ſatis clare habetur in *Trident. Seſſ.* 14. *Cap.* 7.

Reſ. 1. Reus peccati mortalis poteſt ſine Confeſſione Miſſam legere, vel Communionem ſumere, elicita prius contritione perfecta ſaltem bona fide exiſtimata, ſi concurrant hæc duo: ſi deſit Confeſſarius, & ſimul adſi neceſſitas celebrandi, aut communicandi. Hinc

Reſ. 2. Si adſit Confeſſarius, licet non tuus ordinarius, cui libenter, vel cum majori fructu confiteris, modo alter ſit approbatus, eſt obligatio gravis confitendi; ſi deſit Confeſſarius, & non ſit neceſſitas celebrandi, vel communicandi, debes abſtinere.

Reſ. 3. Confeſſarius deeſt, quando ob infirmitatem, difficultatem viarum, longitudinem itineris, brevitatem temporis, præſentiam aliorum, periculum ſcandali, vel infamiæ, occupationem neceſſariam in audiendis V. G. Confeſſionibus, non potes hic, & nunc adire, nec ad te vocare ſine gravi incommodo Confeſſarium: imo quanquam talis facile haberi poſſit; ſi ex peccatis confeſſis immineat grave damnum Confeſſioni V. G. fractio ſigilli.

Reſ. 4. Neceſſitas eſt 1. Si debeat conſecrari hoſtia pro moribundo, ſi Miſſa, vel Communio non poſſit omitti ſine gravi infamia, ſcandalo, vel dicteriis

riis populi. 2. Si Parochus debeat celebrare, ut populus Miſſam audiat die feſto, ſtante funere, pro benedicendis nuptiis, ubi eſt conſuetudo; non autem ſufficit onus Capellaniæ, fundationis &c. quia hæc obligatio non eſt, niſi quantum fieri poteſt cum debita reverentia.

(44) *Ob.* Si poſſit non confeſſus celebrare pro viatico dando: ergo magis non jejunus in hunc finem, quod ſupra negatum eſt. ℞. *n. c.* Jejunium (idem eſt de veſtibus ſacris) eſt una ex præcipuis ceremoniis, ſine quibus Eccleſia judicat non ſatis reverenter legi Miſſam; Confeſſio tantum requiritur, ut ſecurius habeatur ſtatus gratiæ, qui aliunde haberi poteſt. *Deinde* quod non adſit hoſtia, eſt caſus rarus, non ſic, quod deſit Confeſſarius, poteſtque ſine infamia dicere Parochus, ſe non eſſe jejunum, non ſic, ſe eſſe in peccato mortali.

Reſ. 5. Scandalum, vel infamia debet eſſe gravis; hinc non ſufficit, quod ſis habendus minus devotus, quam alius, quod homines in genere mirabuntur &c.; quia, cum per hoc non peccent, non eſt proprie ſcandalum, nec eſt gravis infamia; aliud eſt, ſi detur occaſio detrahendi, temere judicandi, proximum infamandi &c.

Reſ. 6. Si non poſſis confiteri, nec commode ſacrum omittere, comede, vel bibe aliquid coram aliis, quaſi inadvertenter: & poſtea te excuſa ob defectum jejunii, quamvis autem tunc forte naſcatur, levis ſuſpicio contra te, hanc tibi debes adſcribere.

(45) *Reſ.* 7. Memor peccati, quod in confeſſione fuit oblitus, tenetur illud ante Communionem confiteri, ut habet ſententia communis. Patet ex communi fidelium ſenſu, & conſuetudine.

Reſ. 8. Si Sacerdos committeret peccatum in Miſſa, vel ante commiſſi, & non remiſſi recordetur,

poteſt

poteſt proſequi; quia vix ſine gravi nota infamiæ poterit fieri confeſſio, niſi forte in Miſſa ſolemni ſub cantu, vel concione, quo caſu tenebitur confiteri, alias ſufficit contritio perfecta; ſi in Miſſa multum ſis turbatus, & videaris tibi non poſſe elicere contritionem, fac, quantum in te eſt, & perge; quia non teneris cum magno tuo dedecore deſiſtere, neque ſimula deliquium, vel quid ſimile; quia remedium eſt nimis extraordinarium, & multis inconvenientiis ſubjacet, ac facile advertitur ſimulatio. Interim, ſi conteris, gratia Dei non deerit. Idem eſt de laico, qui jam in ſcamno communicantium ſedens recordatur peccati mortalis, ita Rever. Janſen. An autem in praxi ſatis tute, judicent alii.

(46) *D.* 2. Sacerdos conſcius peccati mortalis, ob defectum Confeſſarii, & urgentem neceſſitatem celebrans, debet quamprimum poſt Miſſam confiteri. *Ita Trident.*

Reſ. 1. Ly *quamprimum* hic ſumitur moraliter, ita ut non teneatur ſtatim finita Miſſa quærere Confeſſarium, ſed ut non differatur confeſſio ultra tres dies, etiamſi amplius celebrare noluerit; quod enim intra triduum fit, in jure dicitur fieri ſtatim. Si tamen prævideret, ſe intra triduum confiteri non poſſe, tenetur eadem die, ſi tunc habere poſſit Confeſſarium. At probabilius longe eſt per ly *quamprimum* intelligi primam occaſionem opportunam. Unde duæ ſunt propoſitiones damnatæ *ab Alexandro VII.* una, quod hoc ſit conſilium, non præceptum: altera, quod ly *quamprimum* dicat: cum Sacerdos ſuo tempore confitetur, aut quando iterum celebrabit; hæc enim obligatio antecedenter erat.

Reſ. 2. Non comprehenditur hac lege, qui bona fide putavit ſe eſſe in gratia, & poſt ſumptionem recordatur peccati mortalis; imo nec probabilius, ſi

tempore Miſſæ recordetur; nam *Tridentinum* loquitur de illo, qui conſcius peccati eſt prævie ad celebrationem, ut indicant verba: absque prævia confeſſione celebraverit, ſcilicet prævia ad actum celebrandi.

Reſ. 3. Si laicus, vel Sacerdos extra Miſſam more laicali communicet in mortali ſine prævia confeſſione, non tenetur præcepto: *quamprimum: Tridentinum* enim tantum loquitur de Sacerdotibus celebrantibus; nec in poſitivis valet argumentatio ab uno ad aliud: eſtque diſpar ratio; cum enim Sacerdotes frequenter celebrent, conveniebat hoc ipſis injungi, ad vitandum periculum indigne celebrandi.

Reſ. 4. Qui in Confeſſione invincibiliter oblitus eſt mortalis, cujus ante Miſſam recordatur, nec confiteri commode poteſt, tenetur elicere contritionem; & poſt Miſſam quamprimum confiteri; quia revera celebravit conſcius peccati mortalis.

Reſ. 5. Officians in die Veneris ſancto, quamvis proprie non celebret, probabilius tamen tenetur hoc præcepto; quia actio hæc communiter, & moraliter dicitur celebratio.

QUÆSTIO X.

(47) *Quinam ſint effectus hujus Sacramenti, & per quid impediantur?*

D. 1. Euchariſtia 1. cauſat gratiam ſanctificantem per ſe ſecundam, per accidens primam; majorem in magis diſpoſito, de quo, *ubi de Sacramentis in genere:* ſpecialiter nutrit animam ſpiritualiter, dicente Chriſto Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus;* ergo facit ſpiritualiter in anima, quod cibus, & potus corporalis in corpore, ergo ſuſtentat, roborat, reparat, & delectat. Spiritualis hæc nutritio conſiſtit tum in augmen-

mento gratiæ ſanctificantis, tum in jure ad gratias ſpeciales actuales neceſſarias ad conſervandam charitatem, & unionem cum Chriſto. 2. Liberat a peccatis venialibus, modo ſaltem virtualiter ſint retractata, remittit autem hæc non tantum mediate, excitando nos ad actum charitatis, & contritionis, ſed & immediate ex ipſa ratione gratiæ cibantis, ideoque ex opere operato; per cibum enim reſtauratur, quod per calorem naturalem deperditur: ſed per venialia deperditur fervor charitatis; ergo per hunc cibum reſtauratur.

Dices. Illa venialia, vel ſunt retractata, & jam ſupponuntur remiſſa, vel non ſunt, & ſic nec remittuntur per Euchariſtiam. ℞. Retractationem quandoque eſſe valde remiſſam, ideoque inſufficientem; hanc inſufficientiam ſupplet Euchariſtia.

3. Euchariſtia præſervat a mortalibus, quatenus cauſat gratias actuales, quibus vincamus tentationes, partim etiam interius illuminando, & ſpecialiter protegendo a dœmone, & amovendo occaſiones peccandi, ſicque etiam cauſat perſeverantiam in gratia, ad quam ſequitur conſecutio gloriæ.

4. Confert ſpiritualem dulcedinem, & delectationem, quæ tamen ſæpe impeditur per noſtram negligentiam, diſtractiones, affectum ad terrena, vel in perſonis Sanctis ad humiliationem; ſic etiam præſervatio a mortalibus, aliique effectus impediuntur; quia homo reſiſtit gratiis actualibus, vel aliter obicem ponit.

5. Minuit fomitem concupiſcentiæ tum augendo charitatem, per quam homo magis delectatur bonis cœleſtibus, quam mundanis, tum dando ſpecialia auxilia, quibus excitantur pii motus contrarii motibus concupiſcentiæ, pravis inclinationibus, & affectibus,

 tum

tum etiam dando animæ dulcedinem, quæ in ipſum Corpus redundet, unde a carnalibus abhorreat.

Denique præſtantiſſimus effectus eſt inexplicabilis unio Chriſti cum eo, qui digne communicavit, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meam Sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

(48) *D.* 2. Euchariſtia, ut eſt Sacramentum, non tollit directe pœnam peccatis debitam; quia non eſt inſtituta ad ſatisfaciendum pro peccatis; ergo tantum indirecte; cum enim remittat culpam venialium, aliquam ſaltem pœnam illis debitam remittit, & quia excitat fervorem charitatis, vi illius conſequimur remiſſionem culpæ, & pœnæ.

(49) *D.* 3. Euchariſtia ex opere operato non prodeſt niſi ſumenti; inſtitutum enim eſt hoc Sacramentum per modum cibi, & potus, quæ nonniſi ſumenti proſunt; hinc, dum alteri offers tuam Communionem, nihil illi confers ex opere operato, attamen per modum meriti de congruo, aut impetrationis prodeſt vivis, & per modum ſuffragii defunctis, quatenus excitat fervorem charitatis, ob quem preces communicantis Deo pro aliis oblatæ ipſis impenſius ſuffragantur.

D. 4. Eſt valde veroſimile, novam cauſari gratiam ex opere operato, quousque Euchariſtia in ſtomacho perſeverat, ſi per novos actus homo ſe magis diſponat; habet enim ſe per modum cibi, qui nutrit, quamdiu eſt in ſtomacho, novo calore naturali adjutus; ergo & Euchariſtia, ſi melior diſpoſitio accedat, alias velut cauſa naturalis ſtatim totum producit effectum ſecundum ſubjecti diſpoſitionem. Hoc certum eſt, eum optime facere, qui conatur ſe magis diſponere iſto tempore; quia ſaltem ex opere operantis accipiet augmentum.

(50) *D.* 5. Peccatum veniale actuale non impedit effectum Euchariſtiæ primarium, ſeu augmentum gratiæ; huic enim non opponitur; impedit tamen ſecundarium, ſeu fervorem charitatis, & multa auxilia actualia; ideo devotio actualis per pias meditationes, ſuſpiria, per actus Fidei, Spei, Charitatis circa hanc præſentiam Chriſti ſerio eſt excitanda, hoc quia non faciunt, qui indies ex arida conſuetudine, vel ſtipendii aviditate celebrant, aut ſæpe communicant, contenti, ſi preces, quas præparatorias vocant, celeriter percurrant, hinc frigidi, & tepidi manent, in iisdem hærent malis conſuetudinibus, nec effectum Communionum ſentiunt; hi timere debent de occulto ſtatu malo: frequentem enim in mortalia relapſum S. Auguſtinus credit eſſe ſignum indignæ Communionis: ſi tamen ſimiles conſtanter a mortalibus abſtineant, vel in ea rariſſime cadant, magnus adhuc eſt Sacramenti hujus effectus. Interim tota (ajunt Aſcetici) quæ in Clericis eſt relaxatio, & in Monaſteriis diſciplinæ jactura, a Sacræ Communionis, quam ſine debita præparatione frequentant, provenit abuſu.

(51) *Reſ.* 1. Communio ſecundum ſe debet eſſe frequentiſſima propter effectus, quos cauſat, reſpective tamen ad ſuſcipientem debet eſſe frequentior, vel rarior, juxta majorem, vel minorem diſpoſitionem ſuſcipientis. *Ita D. Thomas.* Hinc

Reſ. 2. Suadenda eſt frequens Communio; an autem huic, vel illi expediat, debet prudens Confeſſarius judicare ex puritate conſcientiæ, ex progreſſu in virtute, ex petentis præparatione; cæteris paribus frequentior præferenda eſt rariori, ſed & reverentiæ Sacramenti conſulendum. Interim laudabilius eſt cæteris paribus ex amore communicare, quam ex timore irreverentiæ abſtinere præſertim in Sacerdotibus ob

fructus innumeros Sacrificii in totam redundantes Eccleſiam.

Reſ. 3. Ut frequens Communio alicui permittatur, requiritur, ut ſedulo evitet etiam venialia, deliberata ſaltem, & affectum ad illa depoſuerit. *Ita S. Franciſcus Saleſius.* Quamvis enim venialia omnia vitare non poſſimus, ipſorum tamen amore, & affectu carere poſſumus, ſi nulli quamvis levi peccato inhærendi voluntatem foveamus. Plus prodeſt una Communio, ait S. Bonaventura, cum bona præparatione, quam multæ ſine illa.

Reſ. 4. Ut quis decenter communicet, & ſine peccato veniali, non ſufficit ſtatus gratiæ, ſed requiritur aliqua interior reverentia, & exterior devotio circa magnitudinem hujus Sacramenti, quas diſpoſitiones, qui non habet, Sacramenti quidem gratiam recipit, ſed venialiter peccat, & conſulendum eſt, ut abſtineat a ſacra menſa; ita communiter Theologi cum S. Thoma, quia præſtat Deum non offendi venialiter, quam leve aliquod augmentum gratiæ recipere. Denique requiritur, ut ſuſcepto jam Sacramento aliquo tempore anima occupetur gratiarum actione, & piis cum Chriſto colloquiis.

Reſ. 5. Laici non debent ſe conformare Sacerdotibus quotidie fere communicantibus, licet pares ipſis ſint pietate vivendi, aut etiam ſuperent; quia Sacerdotes ſunt publici precatores ab Eccleſia conſtituti, ſicque aliquo modo veſtiuntur ſanctitate Eccleſiæ, & innumera ſunt dona, ac fructus ſacrificii, quibus indies indigent Eccleſia, & animæ in purgatorio. Interim tepidis Sacerdotibus non congruit quotidiana celebratio.

Reſ. 6. Poteſt octavo die communicare etiam uxoratus, ſi ſe diligenter præparet, & graviter peccare non ſoleat; alii, qui rarius peccant etiam venialiter, multo

multo magis admitti poſſunt. Videndum etiam, an forte pœnitens ſingulariter indigeat Sacramento pro ſuperanda tentatione, levanda neceſſitate.

Reſ. 7. Frequens nimis Communio non eſt permittenda mulierculis, quæ, licet alternis fere diebus communicent, attamen vanitatibus, & otio indulgent, imo manent rixoſæ, mordaces, in pauperes duræ &c.

Reſ. 8. Paſtorum obligatio eſt ad frequentem Communionem præſertim menſtruam, dum eſt confraternitas, ſuos hortari, explicando ipſius effectus, ſimulque inſtruere, quomodo ſe diſponere debeant; tenentur inſuper ſuis inculcare gravitatem indignæ, ac ſacrilegæ Communionis &c. Hinc non ſunt in bono ſtatu Parochi, qui contenti ſunt, ſi ſui in Paſchate communicent.

Obſ. Ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum etiam ſine veniali culpa non requiritur, ut quis liber ſit ab omni etiam habituali affectu ad venialia, ab omni terrenarum rerum amore, quamvis hoc ſuadendum ſit omnibus. Primis ſæculis omnes quotidie communicabant, & tamen multi eam puritatem non habebant, quam rigidiores Theologi requirunt.

(52) Q. *Quid de Communione ſub utraque ſpecie?*

℞. Breviter 1. de fide eſt ſumptionem Sanguinis non eſſe de neceſſitate Sacramenti: nam antiquiſſima Eccleſiæ praxis erat Communio ſub una ſpecie, & ſæpe Scriptura ſoli manducationi tribuit efficaciam V. G. *qui manducat me, vivet propter me.*

Ob. Joan. 6. dicitur: *niſi manducaveritis, & biberitis.* Matth. 26. dicit Chriſtus: *bibite ex hoc omnes. Deinde* Euchariſtia eſt inſtituta per modum convivii; atqui ad hoc ſpectat cibus, & potus; ergo. ℞. *Ad* 1. Modus ille loquendi ſumitur ſæpe disjunctive, ut ſenſus ſit: ſi neque manducaveritis, neque biberitis; ſic dicit Apoſtolus: *Argentum, & aurum non eſt mihi,*

hoc eſt: neque aurum, neque argentum. ℞. *Ad* 2. Chriſtus ibi alloquitur ſolos Apoſtolos, utpote deſtinatos ad ſacrificandum, & ideo *Marci* 14. additur: *biberunt ex eo omnes.* *Ad* 3. ℞. *d.* Per modum convivii neceſſario conſtituti ex cibo, & potu formaliter *n.* ſaltem virtualiter continentis cibum, & potum *c.*

℞. 2. Licitum eſt Laico ſumere ſacrum Sanguinem, ſi alias eſſet ab hæreticis profanandus, ſi corrumpendus, ſi effuſum in terra Sacerdos nollet lambere, ſi deſuper ſit diſpenſatio Papæ.

℞. 3. An majorem accipiat gratiam, qui communicat ſub duplici ſpecie, diſputatur in utramque partem probabiliter; hoc certum eſt, non fieri laicis injuriam, ſicut non fit per hoc, quod non liceat pluries eadem die communicare, cum tamen certum ſit per plures moraliter Communiones majorem conferri gratiam. *Ratio prohibitionis* erat periculum effuſionis in magno hominum concurſu, corruptionis, dum vinum conſecratum conſervabatur pro laicis, & uniformitatis, dum in multis locis deeſt copia vini, & multi abhorrent ſumere ex eodem calice.

DISSERTATIO II.

DE EUCHARISTIA, UT EST SACRIFICIUM.

QUÆSTIO I.

(53) *An in Miſſa ſit verum Sacrificium, & in qua actione conſiſtat?*

N. Quid ſit Sacrificium, & quotuplex, &c. V. *Parte* 2. *pag.* 165. *& ſeqq.*

D. 1. In Miſſa offertur proprie dictum novæ legis Sacrificium. *Eſt de fide definitum in Trid.*;

&

& quia Sacrificio Miſſæ conveniunt omnia ad proprium Sacrificium requiſita, & quia nulla unquam extitit Religio, quæ caruit Sacrificio; ergo minus caret Religio Catholica.

Ob. Sacrificium Crucis eſt valoris infiniti; ergo Sacrificium Miſſæ ſuperfluit. ℟. 1. Ergo & ſuperfluit Baptismus, fides illa ſpecialis, quam requirunt hæretici. *Deinde* Sacrificium Miſſæ eſt ſimul inſtitutum, ut ſit memoria Sacrificii Crucis; ergo non ſuperfluit. ℟. 2. *d. a.* Eſt valoris infiniti quoad ſufficientiam rei oblatæ, & quia tribuit omnibus, quibus applicatur, licet forent infiniti, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam *c.* quoad actualem participationem omnium, quibus applicatur *n.* Itaque opus eſt mediis applicantibus illum valorem ex Dei ordinatione, inter quæ primum eſt Sacrificium Miſſæ, neque per hoc derogatur Sacrificio Crucis, vel meritis Chriſti infinitis, ſed magis extolluntur, quatenus per illa noſtris operibus, & Sacrificio Miſſæ tribuitur vis merendi, ſicut in ſimili magis apparet Dei potentia, quod cauſis naturalibus indiderit virtutem alias res producendi, quam ſi ſolus ipſe produceret.

(54) *D.* 2. Sacrificium Miſſæ formaliter ſumptum pro actione ſacrificandi conſiſtit eſſentialiter in ſola conſecratione cum ordine ad ſumptionem. *Ita communius cum D. Thoma.* Sola enim conſecratio fit nomine, & perſona Chriſti primarii offerentis, ſola eſt actio ſoli Sacerdoti competens, in ea ſola ſalvatur ratio Sacrificii; eſt enim oblatio, ſeu actio Deo exhibita in proteſtationem ſupremi ejus dominii, non quidem verbalis, & in actu ſignato, ſed realis, & in actu exercito: per eam diſtruitur res oblata, tum myſtice; quia Corpus, & Sanguis Chriſti vi verborum ſeparantur ab invicem: tum aliquo modo realiter; quia Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus modo quaſi mortuo, & inutili

utili ad functiones corporeas exercendas, atque tendente ad deſitionem, quatenus ſpeciebus corruptis neceſſario deſinit ibi eſſe: ſic vinum olim, dum ſacrificabatur, deſtruebatur tantum moraliter per effuſionem in terram. *Dixi: cum ordine ad ſumptionem;* quia in Sacrificio hoc immolatur Corpus Chriſti per modum cibi, & potus; ergo dicit ordinem ad ſumptionem, quæ tamen non eſt pars eſſentialis; quia non fit in perſona Chriſti, cum ſit communis laicis, & de fide certum eſt, Chriſtum ſacrificaſſe in ultima Cœna, incertum, an ſumpſerit. Alia autem, quamvis ſpectent ad integritatem Miſſæ, prout hæc eſt aggregatum ex illis, quæ Sacerdos facere debet, non tamen ſunt de integritate Sacrificii, quia tantum ſunt ceremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ.

Reſ. 1. In cruce oblatum eſt proprie Sacrificium, ubi Altare erat crux, Sacerdos Chriſtus, qui ſimul, & victima juxta illud (a) *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam;* occidit autem Chriſtus ſe ipſum moraliter, quatenus mortem ſibi illatam ſponte acceptavit in ordine ad Deum colendum, & reconciliandum: hoc erat cruentum, cum phyſica ſanguinis effuſione; Miſſæ incruentum, cum effuſione tantum myſtica.

Reſ. 2. In feria 6. paraſceves non fit Sacrificium; quia non fit conſecratio: cujus congruentia eſt, quia illa die realiter oblatus eſt Chriſtus, hinc non congruit offerri myſtice, ait D. Thomas.

(55) *Reſ.* 3. Sacrificium abſolute conſiſtit in conſecratione unius ſpeciei; in hac enim tota ratio Sacrificii ſalvatur: ſi autem ſpectetur ſecundum ſuam inſtitutionem, & & expreſſam repræſentationem Sacrificii cruenti, includit conſecrationem utriusque ſpeciei; quia ibi facta eſt mutua ſeparatio Corporis, & Sanguinis Chriſti, eſt-

(a) *Ad Epheſ.* 5.

eſtque adeo præcepta conſecratio utriusque ſpeciei, ut in hoc diſpenſare non poſſit Papa.

Reſ. 4. Res, quæ principaliter offertur, eſt Corpus, & Sanguis Chriſti; ex *Trid.* enim una, eademque hoſtia, quæ fuit oblata in cruce, & nunc offertur in Altari ſolo modo offerendi diverſa. Principalis offerens eſt ipſe Chriſtus, ſecundarius eſt Sacerdos rite ordinatus, qui offert, & conſecrat ut miniſter publicus in perſona Chriſti: *deinde* Eccleſia, ſeu congregatio fidelium ſimul eſt offerens, & ſuo modo miniſter: ſpecialius autem, qui Sacrificio aſſiſtunt, inſerviunt, neceſſaria ſuppeditant, per ſtipendium illud fieri procurant.

QUÆSTIO II.

(56) *Quinam ſint hujus Sacrificii effectus?*

N. 1. Sacrificium Miſſæ eſt *latreuticum*; quia eſt cultus latriæ infinitus: eſt *Euchariſticum*; quia valet ad agendum Deo gratias pro acceptis beneficiis; eſt *propitiatorium*; quia valet ad placandum Deum peccatis offenſum, cauſatque remiſſionem peccatorum, ſicut & pœnarum pro illis debitarum, ideoque eſt & *ſatisfactorium*; eſt ſimpliciter *impetratorium*; quia valet ad impetranda varia dona.

N. 2. Sacrificium Miſſæ vim habet & ex opere operantis: ſi cum debita diſpoſitione, & devotione offeratur; eſt enim Dei cultus excellentiſſimus: & ex opere operato, hoc eſt: virtute ipſius Sacrificii, per quod applicantur merita, & ſatisfactio Chriſti, idque independenter a bonitate, vel malitia miniſtri celebrantis; hinc Miſſa Sacerdotis impii ex opere operato tanti valet, quanti Miſſa boni, quia ſic ſpectata, eſt opus Chriſti, continetque virtutem eandem, ſcilicet

licet merita Chriſti, ſed multum differt ex opere operantis.

(57) *D.* 1. Sacrificium Miſſæ non cauſat immediate primam gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccati mortalis, nec in juſtis augmentum gratiæ; quia hoc proprium eſt Sacramentis: & nemo dicet, peccatorem attritum juſtificari per Sacrificium pro eo oblatum, aut juſtos dormientes, vel pueros per hoc creſcere in gratia, quod pro eis celebrentur Miſſæ. Cauſat tamen hæc mediate, quatenus Deus intuitu Sacrificii, per quod placatur, dat auxilia gratiæ ſpecialia, quibus peccator excitetur ad veram pœnitentiam, & juſtus ad actus meritorios, quibus creſcat in gratia: ſic etiam mediate cauſat remiſſionem venialium, imo ſatis probabiliter cauſat immediate.

Reſ. Hæc auxilia cauſat Sacrificium Miſſæ infallibiliter in eo, pro quo Miſſa offertur, licet ex culpa ipſius non ſint ſemper efficacia, quia Chriſtus huic Sacrificio abſolute tribuit vim remiſſivam peccatorum, ut patet ex *Trid. Seſſ.* 22. *de Sacrificio Miſſæ Cap.* 2. Quod autem hæ gratiæ non ſemper ſentiantur, eſt; quia dantur tempore Deo placito, & quia peccator ponit illis obicem.

(58) *D.* 2. Sacrificium Miſſæ remittit pœnas temporales debitas pro peccatis commiſſis, & quoad culpam remiſſis, immediate, & infallibiliter ex opere operato per applicationem meritorum Chriſti; ſic enim applicatur defunctis, qui non ſatisfaciunt per actus proprios: ad hunc tamen effectum requiritur ſtatus gratiæ.

Reſ. Effectus hic eſt infallibilis etiam pro defunctis; quia Sacrificium etiam pro his eſt inſtitutum, ut docet *Trid.*, & ex parte animarum nullus eſt obex. *Deinde* Sacrificium eſt applicativum ſatisfactionis a Chriſto exhibitæ in cruce; ergo eſt quædam exſolutio

pro

pro pœnis a Chriſto oblata, & a Patre acceptata; attamen non ſemper juvatur anima illa, pro qua offertur, ut colligitur ex uſu Eccleſiæ, dum ſæpius offertur pro una anima in Altari privilegiato.

(59) *D.* 3. Sacrificium cauſat ex opere operato non tantum bona ſpiritualia, ſed & temporalia, ſi tamen ad ſalutem conducant. Habetur ex uſu Eccleſiæ ad hunc finem Sacrificia offerentis, & quia temporalia a Deo peti poſſunt, quatenus ad ſalutem æternam conducunt; quia autem ſæpe non conducunt, hinc non ſemper obtinetur, quod petitur, ſaltem eo tempore, quo petitur, licet credibile ſit ſemper a Deo aliquid obtineri, licet non ſtatim, ne Sacrificium in vanum offeratur.

(60) *D.* 4. Ex parte participantium fructus Miſſæ eſt quadruplex: primus eſt *generalis*, qui reſpondet Sacrificio, quatenus eſt opus poſitum a Sacerdote ut operante in nomine, vel perſona Eccleſiæ ſimul offerentis: hic participatur ab omnibus fidelibus vivis, & defunctis, etſi Sacerdos de hoc nil cogitet. Secundus eſt *ſpecialis*, qui competit ſpecialiter concurrentibus ad Sacrificium, quales ſunt miniſtrantes, Miſſam audientes, dantes neceſſaria V. G. calicem, vinum &c.; qui magis concurrit, plus participat: *item* pro quibus Sacerdos orat in *Memento*, ut vocant; utrumque hunc fructum poſſum donare aliis, ſicut alias ſatisfactiones, & opera bona. Tertius eſt *ſpecialiſſimus*, qui ſoli celebranti competit, etiam dum accepto ſtipendio pro alio celebrat: an hunc poſſit donare alteri, incertum eſt, ſaltem non poteſt pro eo accipere ſtipendium, quod damnavit Alexander VII. Quartus eſt *miniſterialis*, quem Sacerdos ut Miniſter Chriſti applicat offerenti ſtipendium, vel alteri, pro quo ſpecialiter Miſſam celebrat, poteſtque etiam hunc ſibi applicare, ſi pro aliis ſpecialiter non celebret.

(61)

(61) *Reſ.* 1. Valor Sacrificii, ut eſt latreuticum, & Euchariſticum, eſt infinitus in actu ſecundo; Deus enim infinite ſibi complacet in eo, redditurque cultus infinitus tum ratione rei oblatæ, tum ratione principalis offerentis: quoad alios autem effectus eſt quidem infinitus in actu primo, & quoad ſufficientiam; fundatur enim in infinitis Chriſti meritis: quoad applicationem tamen eſt in actu ſecundo finitus juxta diſpoſitionem divinæ ſapientiæ, licet creſcat ſemper pro majori devotione illius, pro quo offertur, ſicut *ſupra de Sacramentis;* hinc oblatum ſpecialiter pro multis, non tantum prodeſt ſingulis, quam oblatum pro uno tantum; & quo plures ſunt, pro quibus offertur, tanto minus prodeſt ſingulis; hic enim eſt communis ſenſus fidelium, qui dant ſtipendium, ut pro ſua intentione offeratur. *Ratio* a priori eſt voluntas Chriſti, de qua nobis conſtat ex praxi Eccleſiæ multiplicantis Sacrificia ad eundem effectum, eſtque ab Alexandro VII. damnata hæc propoſitio: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre:* fuitque hoc congruum, ut ſic Sacrificium hoc ſæpius offerretur, hominesque excitarentur ad procuranda Sacrificia, & ſuſtentandos miniſtros. Attamen

Reſ. 2. Singuli fideles de fructu generali non ideo minus participant, quia ſunt fere innumeri, quam ſi eſſent pauci; nec, ſi plures Miſſam audiant; minus ſinguli participant, quam ſi unus audiat: cum enim ſinguli per Legatum Eccleſiæ offerant, multiplicantur oblationes, ergo & fructus.

Reſ. 3. Ut generalem participent fideles, & Sacerdos ſpecialiſſimum, non requiritur applicatio, vel intentio ſpecialis, nec, ut aſſiſtentes Miſſæ, aliique coofferentes fiant Sacrificii participes. Ut autem fructus miniſterialis alicui obveniat, requiritur ex parte Sacer-

Sacerdotis intentio pro ipſo celebrandi: quia hoc Sacrificium inſtitutum eſt pro bono communi, eſtque ſecundum ſe indifferens, ut ſpecialiter proſit huic, vel illi; ergo debet determinari per Sacerdotem, qui eſt miniſter, & diſpenſator myſteriorum, & donorum Dei. Hinc ſit

QUÆSTIO III.

(62) *Qualis requiratur applicatio in celebrante?*

D. Non requiritur intentio, vel applicatio actualis, ſufficit virtualis, valde probabiliter etiam habitualis; quia applicatio Sacrificii non eſt intentio conficiendi Sacrificium, ſed eſt quaſi donatio fructus Sacrificii, atqui donatio valida eſt efficax, ſiquis ſemel habuerit voluntatem, & non retractaverit ergo. Quia tamen hoc non eſt omnino certum, in praxi adhibenda eſt ſaltem virtualis.

Reſ. 1. Sufficit intentio implicita; hinc, ſi Religioſus nemini applicaverit, cenſetur ejus voluntas, ut proſit illi, pro quo quotidie celebrare ſolet V. G. pro Conventu.

Reſ. 2. Si nulli applicetur, fructus manet in theſauro Eccleſiæ, vel cedit ipſi Sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur ſpecialiter offerre; quia hæc cenſetur implicita voluntas celebrantis: quod magis tenet, ſi Sacerdos aliquando hanc intentionem expreſſe fecerit.

Reſ. 3. Si applicetur incapaci, ut animæ jam beatæ, damnatæ, vel exiſtenti in mortali; fructus ſatisfactorius manet in theſauro Eccleſiæ, ideoque in Miſſis gratuitis fac intentionem, ut, ſi nequeat prodeſſe, cui vis, proſit tibi, vel alteri; vel illis, quibus magis obligaris. In ſtipendiatis vero, vel obligatoriis facienda eſt intentio, ut, ſi non proſit, cui applicatur, proſit

proſit ejus proxime conjunctis, vel quibus petens maxime eſt obligatus; hæc enim præſumitur eſſe intentio dantis ſtipendium.

Reſ. 4. Applicatio fieri debet ante, vel ſaltem in ipſa conſecratione; quia in conſecratione ſubſtantialiter completur Sacrificium, & confertur fructus. In praxi curandum eſt, ut fiat in initio Miſſæ, ut ſic preces, & orationes etiam proſint iis, pro quibus Miſſa offertur.

(63) *Reſ.* 5. Si Superior Religioſorum præcipiat Miſſas, ponendo obligationem in tabula, ſubditi tenentur eas legere ad ejus intentionem ſub peccato gravi, &, ut Miſſa proſit, ſufficit applicatio Superioris, ſi non contradicat ſubditus; econtra, ſi hic contra voluntatem Superioris applicet, valet applicatio ſubditi; quia miniſter offerens non eſt Superior, ſed celebrans, eſtque actus poteſtatis ordinis: quia autem probabile eſt ſubditi applicationem tunc non valere, hinc non poteſt ſubditus pro illa Miſſa accipere ſtipendium ex generali regula: debito certo non ſatisfit per ſolutionem incertam.

Reſ. 6. Si Religioſus inveniretur poſt mortem reliquiſſe numerum Miſſarum a ſe legendarum, & neglectarum, diſtinguendum eſt: vel enim aſſumpſit ipſas motu proprio, & per ſe, & ſic non tenetur Superior curare, ut legantur, ſicut nec ſolvere debita ab ipſis Religioſis particulariter contracta: vel aſſumpſit illas Superior, & a Religioſo clanculo ſunt neglectæ, & ſic certum videtur, quod Superior teneatur curare earum perſolutionem.

(64) *Reſ.* 7. Intentio applicantis debet fieri in perſonam determinatam, quamvis ignotam: V. G. applico ei, qui dedit ſtipendium, pro quo juſſit Superior, exigit fundatio, pro maximo peccatore, anima maxime deſolata &c. Non valet, ſi dicas: applico ei, cui

Deus

Deus, vel Chriſtus vult applicari: quia Deus nulli determinate applicat, relinquens hoc Sacerdoti.

Reſ. 8. Valet applicatio ſub conditione præterita, vel præſenti V. G. pro Petro, ſi ſit mortuus, ſi infirmus: non valet ſub conditione futura V. G. applico illi, qui primo eſt daturus ſtipendium, applico Petro, ſi ſtipendium offeret (idem eſt, quem Deus novit petiturum; quia eſt æquivalenter de futuro) quia, ſicut effectus Sacramentorum, ita & fructus Sacrificii non poteſt manere ſuſpenſus a futuro eventu; cujus potiſſima ratio eſt voluntas Chriſti declarata communi Doctorum ſententia, & praxi Eccleſiæ; unde hunc anticipandi uſum damnavit Congregatio Cardinalium ſub Clemente VIII. Nihilominus

(65) *Reſ.* 9. Licita eſt anticipatio applicationis, ſi V. G. teneris ſingulis ſeptimanis legere tres Miſſas, potes hac ſeptimana præoccupare pro ſequenti; tunc enim fructus non manet ſuſpenſus, neque præſumitur fundator eſſe invitus, intellige: niſi Miſſæ ſint pro commoditate populi, pro ſucceſſive morituris; vel quid ſimile.

Reſ. 10. Si primo intendas applicare Paulo, & ex poſt applices Petro, ſi hoc facias memor prioris intentionis, hoc ipſo illam revocas: ſi immemor, attendendum eſt, an ſit ſpecialis cauſa mutandi V. G. repentina neceſſitas, oblatio ſtipendii, ſicque prævalet ſecunda; ſi non, prævalet prima. In praxi ſi ſimilis caſus contingat, cum certo ſatisfeceris uni, aliam offer pro eo, cui non eſt ſatisfactum; & ſic utrique certo ſatisfacis.

(66) *Reſ.* 11. Eſt laudabilis conſuetudo, exigitque communis animarum in purgatorio miſeria, ut pro iis in communi legatur Miſſa in die Commemorationis omnium fidelium, potes tamen accepto ſtipendio pro particulari defuncto celebrare: cum enim non

tenearis celebrare, nec teneris applicare, & ita habet declaratio Cardinalium.

Reſ. 12. Neo-myſta conſecrans in ordinatione cum Epiſcopo, quamvis vere conſecret, non poteſt pro illa Miſſa accipere ſtipendium; quia applicatio eſt incerta, cum incertum ſit, an finiat cum Epiſcopo. Pariter non debet accipi ſtipendium pro tribus Miſſis ex ordinatione Epiſcopi legendis; quia hæ tres Miſſæ dicendæ ſunt pro bono communi Eccleſiæ militantis, & patientis, ac in gloria triumphantis.

(67) *Reſ.* 13. Probabilius eſt mortale unam tantum Miſſam ex ſtipendio, vel fundatione debitam culpabiliter omittere; eſt enim res gravis non ratione ſtipendii, quod exiguum eſt, ſed ratione Miſſæ, quæ in ſe eſt quid grave, & eſt contractus innominatus: do, ut facias. *Nec dicas:* Damnum hoc levi ſtipendio poteſt redimi, ergo non cenſetur grave. ℟. Sæpe non poteſt redimi, V. G. tenebaris legere pro parturiente, quæ mortua eſt: ſæpe, qui dedit ſtipendium, non ſcit Miſſam eſſe neglectam, quomodo ergo redimet?

Reſ. 14. Peccat mortaliter, qui lectionem Miſſarum ex juſtitia debitarum nimis diu differt: quia in re gravi læditur juſtitia; magno enim fructu injuſte privat alios, & maxime defunctos: aut quando Miſſa petitur pro præſenti neceſſitate V. G. parturiente; tunc enim circumſtantia temporis, ut ſtatim fiat, ſpectat ad ſubſtantiam rei petitæ. Hinc

(68) *Reſ.* 15. Peccat mortaliter recipiens ſtipendia pro nimis multis ſacris, quibus non poterit niſi poſt longum tempus ſatisfacere, quod notare deberent multi Sacerdotes nimis avari; graviſſime id prohibet Urbanus VIII. Interim difficultas eſt, quando cenſeatur dilatio nimis longa, ut ſit peccatum mortale: probabile eſt, non eſſe per ſe peccatum mortale, ſi

i ad duos menſes differatur: ſed regula non eſt generalis; cum enim Urbanus VIII. velit non plura ſuſcipi ſacra, quam intra modicum tempus legi poſſint, vide, an miſeræ animæ in purgatorio dicerent, duos menſes eſſe modicum tempus: ſed nec hoc valet generaliter; alias non liceret differre per diem, illis enim una hora eſt tempus longum. S. Congregat. 1655. 17. Julii declaravit modicum tempus intelligi infra menſem. *Vide Inſtit. Eccleſ. Bened. XIV.* pag. 392. Attamen attendendæ ſunt circumſtantiæ, parum enim differri debent Miſſæ pro defunctis, minus pro præſenti neceſſitate V. G. pro infirmo, pro expeditione rei præſentis &c. Conſultum eſt monere dantes ſtipendium, ſi Miſſæ intra breve tempus legi non poſſint, qui, ſi conſentiant, eris absque periculo.

(69) *Reſ.* 16. Qui omiſit Miſſas ſtipendiatas, vel plures aſſumpſit, quam legere poſſit, debet reddere ſtipendia, vel per alios legere: ſi ſtipendia conſumpſerit, nec habeat, unde reſtituat, debet Miſſas petere gratis; ſi habere non poſſit, debet pro illis offerre bona opera, jejunia, orationes, Miſſas audire, & quotidianas offerre, quantum ſine præjudicio aliorum fieri poteſt.

Reſ. 17. Si finis Miſſæ neglectæ ceſſet, V. G. infirmus, pro quo debebas legere, eſt mortuus, non potes ex poſt ſupplere, niſi dans ſtipendium monitus conſentiat, ut ad alium finem legas; ſed debes ſtipendium reddere, ac reparare ſimul damnum ex dilatione culpabili ſecutum, ſi reparari poſſit: adeoque ſi Miſſæ fuerint pro defunctis, præter debita Sacrificia offerenda erunt alia ſuffragia precum, indulgentiarum: ſi pro vivis V. G. felici deciſione litis, reſarcienda eſt jactura, ſaltem pro rata ſpei litis evincendæ, ſi in ære non poſſit, aliis ſaltem orationibus ad illum finem ordinatis in bonum dantis. Caveant ergo Sacerdotes, ne

ne ſe onerent nimis multis ſacris, reflectantque ad iſta, quæ in ſe veriſſima ſunt, licet forte pauci de hoc cogitent: facile enim erit, ut ad finem ab offerente ſtipendium intentum amplius legi non poſſint. Pro re valde practica ſit.

QUÆSTIO IV.

(70) *Quid de ſtipendio Miſſæ, & obligatione legendi Miſſas titulo ſtipendii, vel beneficii?*

D. Licitum eſt acceptare ſtipendium, de eo convenire pro celebratione Miſſæ, non per modum pretii pro Miſſa, aut labore intrinſeco (hoc enim eſt Simoniacum) ſed titulo ſtipendii ad ſuſtentationem celebrantis, & pro labore extrinſeco (a); qui enim *ſervit Altari*, ait Apoſtolus, *de Altari vivat*, idque licet Sacerdos aliunde ſit dives; nemo enim dives tenetur militare ſuis ſtipendiis. Pro caſibus paſſim obviis

Reſ. 1. Non licet plus exigere, quam legitima conſuetudine, aut lege eſt taxatum, nec plus, eoquod victualia nunc ſint cariora; nam & tunc pecunia eſt rarior, & ſaltem hoc praxi repugnat; ſi ſponte minus acceptaveris, adhuc ad Miſſam teneris.

Reſ. 2. Si plura a diverſis acceperis ſtipendia, applica primo illi, qui majorem habet prærogativam, ſaltem congruentiæ; certum enim eſt aliquem hoc titulo eſſe præferendum; quia forte prius dedit ſtipendium, eſt in majori neceſſitate &c.

Difficultas eſt, ſi Sacriſtanus V. G. a diverſis collegerit ſtipendia, & pecuniam confuſam diverſis det Sacerdotibus, aut Miſſæ pluribus confuſim aſſignentur, qui caſus obvius a multis parum æſtimatur: ſed quomodo Miſſæ determinentur, & quilibet in particulari

(a) *Part. I. Tract. II. Diſſ.* 7. *Q.* 6.

ſulari applicationem facere poſſit, non ita facile apparet.

Reſ. 3. Si Miſſa ſit cantanda, legenda tempore, vel loco incommodo, diſtante &c. poteſt exigi majus ſtipendium; quia labor eſt extrinſecus, & hæc ſunt pretio æſtimabilia: cavendum tamen ſemper Sacerdotibus, ne inſtar mercatorum contendant ratione ſtipendii.

(71) *Reſ.* 4. Beneficiatus curans legi Miſſas ſuas ab alio, non tenetur niſi ad ordinarium ſtipendium, licet ipſe habeat pingues reditus, ut declaravit Congregatio; & quia habet aliud onus recitandi breviarium &c. Econtra

Reſ. 5. Qui pingue ſtipendium accipit pro Miſſa, non poteſt eam alteri committere dando illi ordinarium minus, qui V. G. accepit 5. aut 4. blaffardos, non poteſt alteri dare V. G. ſolidum, quamvis in iſtis partibus ſit ſtipendium ordinarium: peccat autem graviter, vel leviter pro quantitate partium ſtipendii, quas retinet, teneturque reſtituere illi, cui Miſſam legendam commiſit; hic enim celebrando acquiſivit jus ad totum.

Ob. Alter eſt contentus, quod retineatur pars ſtipendii, qui, ſicut poteſt gratis in ſe ſuſcipere obligationem legendi, ſic poteſt pro minori ſtipendio. ℞. Hæc eſt vana avarorum excuſatio; nam communiter remittit partem; quia timet, ne in futurum non accipiat, vel ne videatur ingratus, alias libentius totum acceptaret; hinc non eſt donatio plene libera, nec alius eſt titulus retinendi; patent hæc noviſſime ex Bulla Benedicti XIV. data anno 1741. die 30. menſis Julii, quæ Bulla eſt publicata Coloniæ, ubi ſimiles dicuntur *fures reſtitutioni obnoxii, licet recipientes conſentiant:* Laici pœnam excommunicationis, Clerici ſuſpenſionis ipſo facto incurrunt, a quibus nonniſi

per Summum Pontificem abſolvi poſſunt. Si tamen in caſu raro ſtipendium totum ſincere ſit datum, & alter motu proprio omnino ſponte partem reddat, non videtur damnatum, nec malum.

Reſ. 6. Si datum ſit ſtipendium pinguius, non præciſe intuitu Miſſæ, ſed affectu ſpeciali ad hunc Sacerdotem, ad hoc Monaſterium in ſua paupertate ſpecialiter juvandum, videtur poſſe retineri exceſſus, dummodo ſatis conſtet de hoc affectu, & non mentiatur iniquitas ſibi.

Reſ. 7. Si debeam hodie legere Miſſam, pro qua accepi tres ſolidos, & petam a te, ut legas pro me hanc Miſſam, lecturus pro te craſtina, qui tantum accipis unum ſolidum, non videtur graviter illicitum; quia tantum eſt permutatio Miſſarum, & dierum.

(72) *Reſ.* 8. Siquis acceptaverit pecuniam pro Miſſis absque præſcripto harum numero, ſatisfacit numerando eas juxta taxam ordinariam iſtius loci, nec poteſt ultra ſumere, licet alibi plus detur.

Reſ. 9. Si me inſcio pro certo Miſſarum numero incongrua ſtipendia ſint depoſita, non teneor, niſi ad numerum proportionatum ſtipendiis juſtis, ſaltem ſi deponens non poſſit moneri, nec ſciam alios, qui pro tali ſint celebraturi. Similiter, ſi inſcius admiſerim monetam adulterinam, vel ſtatim decidentem a valore, poſſum reducere ad numerum juſti ſtipendii, ſaltem ſi dantem monere non poſſim.

(73) *Reſ.* 10. Non poteſt Sacerdos duplex ſtipendium accipere ex eo, quod uni V. G. defuncto applicet fructum ſatisfactorium, alteri vivo impetratorium, quamvis hi fructus ſint ſeparabiles: uni fructum ex opere operato, alteri operantis: uni Miſſam, alteri indulgentias Altaris privilegiati; quia dans ſtipendium petit ſibi applicari utrumque fructum, petens legi in Altari privilegiato etiam petit indulgentias; nec, dum acce-

accepiſti ſtipendium ordinarium pro Miſſa, ubi voles, legenda, potes plus petere; quia celebras in Altari privilegiato, nec aliquid pro lectione plurium collectarum, pro majori devotione &c.; hæc enim turpem ſapiunt avaritiam.

(74) *Reſ.* 11. Si petatur Miſſa de Requiem, de Spiritu S. &c. & rubricæ permitant hanc legi, peccas venialiter legendo aliam, præſertim quia Miſſa de Requiem videtur plus prodeſſe defuncto, pro quo fiunt ſpeciales orationes nomine Eccleſiæ. Interim ſi ex ſpeciali devotione tunc legas de Sancto, facile ſupplebitur, ideo non peccas. Si rubricæ prohibeant iſta die legere talem Miſſam, V.G. in duplici de Requiem, debes te his conformare, nec dans ſtipendium poteſt eſſe rationabiliter invitus, obtineturque omnis indulgentia, quæ obtineretur pro Miſſa de Requiem in Altari V.G. privilegiato, ut ſtatuerunt Alexander VII. & Clemens IX., ut ſic non eſſet cauſa mutandi ritum ab Eccleſia præſcriptum; pro tutiore addatur collecta pro defuncto extra feſtum 1. claſſ. ut volunt aliqui, quod tamen alii probabilius, & rubricis conformius negant. *Vid. infra Caſ. XIII.* Dum autem permittitur Miſſa de Requiem, debes illam legere, alias indulgentiæ non ſuffragantur, ſaltem, quando in privilegio Papæ ſit mentio Miſſæ de Requiem; quia juxta axioma indulgentiæ tantum proſunt, quantum verba ſonant.

Reſ. 12. Si Miſſæ ſint addictæ certis diebus ex ſpeciali motivo V.G. Sabbato, ob devotionem B. Virginis, debent legi his diebus, ſed variatio non eſt tam facile peccatum mortale, niſi eſſet in præjudicium tertii V.G. die feſto populus non haberet commoditatem audiendi Miſſam: ſi autem ſint addictæ certis diebus abſque ſpeciali ratione, talem diem varians facillime ab omni peccato excuſatur.

(75) *Reſ.* 13. Sacerdos tenetur celebrare in loco per fundatorem requiſito, idque ſub obligatione in genere ſuo gravi; nec juvat conſenſus hæredum; quia & ipſi tenentur ſequi mentem fundatoris, datur tamen parvitas materiæ, ut, ſi raro mutetur locus, & tunc, ſi adſit aliqua cauſa rationabilis, nullum eſt peccatum; non enim cenſetur fundator, vel dans ſtipendium cum tanto rigore voluiſſe obligare. Similiter ſi locus aſſignatus ſit impeditus, & Sacerdos nimis diu exſpectare debeat; facilior autem eſt excuſatio, ſi celebretur in eodem loco, licet non in Altari deſignato; quia tunc minus receditur a voluntate fundatoris; aſt per ſe non ſatisfacit, & peccat graviter, qui obligatus legere in Altari privilegiato alibi legit; quia oritur damnum notabile.

(76) *Reſ.* 14. Capellani ſub mortali tenentur ad Miſſarum numerum, quem litteræ fundationis requirunt: ſi haberi non poſſit ex litteris fundationis (ut ſæpe contingit) quoties debeas legere, debes inquirere, quid fecerint anteceſſores, & idem tuto facies per ſe loquendo: item vide, quæ in ſimilibus fundationibus ſit loci conſuetudo, ſi hæc ſit varia, poteris ſequi, quod eſt minus, ex regula juris. Optime facies, ſi in dubio ad Ordinarium recurras.

Reſ. 15. Si conſtet tres V. G. Miſſas eſſe in hebdomada legendas, & neſciatur, ad quam intentionem, præſumendum eſt debere fieri pro anima, vel familia fundatoris; quia in dubio quisque præſumitur ſibi, vel ſuis voluiſſe conſulere: & generaliter in fundatione capellaniæ, ait *piæ memor. Benedictus XIV.* cenſetur appoſitum onus Miſſam applicandi pro fundatore.

(77) *Reſ.* 16. Si fundata ſit Miſſa omni die, vel diebus dominicis, vel feſtis legenda in certo loco, & hora V. G. ſummo mane pro commoditate famulorum,

rum, & opificum, ſi fundator de applicatione nihil expreſſerit, unde colligi poſſit plus quam commoditatem populi intendiſſe, neque proventus pro illa Miſſa excedant ſtipendium ordinariæ Miſſæ, manet applicatio libera, & potes admittere ſtipendium; quia, cum fundator aliud onus impoſuerit ſat notabile, nec intentionem ſuam expreſſerit, non cenſetur aliud voluiſſe; unde valet illud: quod quis facile exprimere potuit, & non expreſſit, non voluiſſe cenſendus eſt. *Deinde* nemo cenſetur voluiſſe imponere onus improportionatum, quale eſt hoc duplex onus, & primum ſtipendium datur in pretium laboris extrinſeci, ſeu obligationis, qua tenetur eſſe paratus ad celebrandum tali loco, hora &c. quod eſt pretio æſtimabile. Econtra, ſi ſtipendium pro tali Miſſa aſſignatum ſit notabiliter majus, cenſetur voluiſſe duplicatum onus; quia tunc cenſetur voluiſſe conſulere ſibi, modo, quo poterat, optimo. At contrarium videtur ſtatuiſſe S. Congregatio apud Lambertinum de Sac. Miſſ. Sect. 2. c. 2.

Reſ. 17. Si fundator tantum juſſerit Sacerdotem in Miſſis fundatis orare pro anima ſua, nulla facta mentione applicationis, tenetur ad applicationem. S. Congregatio *die* 27. *Aprilis* 1700. *Excipe:* niſi plures Miſſas fundaſſet, & in una exprimeret orari pro anima ſua, in altera vero juberet Miſſam applicari pro anima ſua: tunc enim ex diverſo loquendi modo diverſa oritur locutionis interpretatio. Ita *Benedict. XIV.* de ſacrificio ſect. 2. §. 62.

Reſ. 18. Si fundator quotidianam pro ſe Miſſam erigat, ex verbis fundatoris colligendum eſt, an perſonæ, an loco impoſita ſit obligatio: ſi loco, V. G. dixit: volo, ut quotidie celebretur in tali loco, vel volo, ut conſtituatur Capellanus, qui quotidie per ſe vel per alium celebret, jam nulla die poteſt omitti

 Miſſa

Miſſa (excipe hebdomadam ſanctam) &, ſi non poſſit per ſe, debet per alium; ſi autem ſit impoſita perſonæ, ut, ſi fundatio principaliter ſit in ſuſtentationem pauperis Sacerdotis, poteſt ſaltem ſemel in anno celebrare pro parentibus, amicis, nunquam tamen pro ſtipendio; ſic enim præſumitur de intentione pii, & æqui fundatoris, ideoque, etſi talis, vel alius, qui ter, quater eſt obligatus, ad breve tempus ægrotet, non tenetur compenſare; quia & benignus herus non facile detrahit de mercede famuli ob brevem ejus infirmitatem: aliud eſt, ſi morbus diu duret; niſi tamen, & tunc ſtipendium ſit valde tenue alendo Capellano infirmo neceſſarium.

Reſ. 19. Quamvis reditus per injuriam temporum ſint imminuti, ut amplius non habeatur ſtipendium ſufficiens, non poteſt beneficiatus propria authoritate minuere numerum Miſſarum, ſed requiritur ſaltem authoritas Ordinarii. Si tota fundatio, ſeu cenſus ſine culpa Beneficiati interit, ceſſat obligatio, vel ſuſpenditur ad tempus reſtaurationis.

Reſtitutis Capitalibus cenſuum, manente pecunia otioſa, ceſſat pro tempore illo obligatio Miſſarum, dummodo Beneficiatus pro Capitali juxta redditum conſuetum inveſtiendo poſſibiles diligentias impenderit. S. Congreg. Conc. Trid. in Foro Sempron. 7. Junii 1687. & Monopolitana 8. Auguſti 1705.

QUÆSTIO V.

(78) *Pro quibus offerri poſſit ſacrificium?*

D. Sacrificium offerri poteſt pro vivis, & defunctis; pro quibus etiam in lege veteri offerebantur ſacrificia. Patet ex *lib.* 2. *Machab.*

Reſ.

Reſ. 1. Offerri poteſt pro peccatoribus etiam publicis, pro infidelibus, magis pro catechumenis, ut iis proſit per modum impetrationis; quia ſic offerri poteſt pro quacunque re a Deo juſte obtinenda, ſive animata, pro ſanitate V. G. pecoris: ſive inanimata, V. G. ſerenitate: ergo a fortiori pro illis.

Reſ. 2. Directe offerri poteſt pro infantibus: ſic enim refert *Conſtit. Clementis* his verbis: *infantum Eccleſiæ memores ſimus, ut Deus perfectos eos in timore ſuo ad adultam ætatem perducat;* non tamen, ſi ſine Baptismo ſint mortui, niſi forte, ut ad tempus reviviſcant pro ſuſcipiendo Baptismo, prout fit in aliquibus locis.

Reſ. 3. Pro energumenis; non enim eſt ratio ſufficiens eos excludendi.

Reſ. 4. Pro hæreticis, & ſchismaticis; quia & hi ſunt capaces fructus impetratorii. Attamen

(79) *Reſ.* 5. Non debet directe offerri pro excommunicatis vitandis, ſeu non toleratis; quia pro his Eccleſia prohibet ſuffragia publice offerri. *Dixi: directe;* quia poteſt pro illis offerri indirecte, offerendo V. G. pro omnibus peccatoribus, pro reductione hæreticorum; quia prohibito tanquam odioſa eſt reſtringenda. Hinc peccat mortaliter, qui Miſſam pro tali legit, etſi per contritionem eſſet juſtificatus; quia in re gravi agit contra prohibitionem Eccleſiæ: licite tamen pro illis oramus privatim etiam in *Memento*, offerimus fructum ex opere operantis: quia ſic Miſſa eſt bonum aliquod privatum: excommunicati autem tantum privantur bonis communibus. Feria ſexta paraſceves Eccleſia directe orat pro omnibus exemplo Chriſti, qui illa die pro inimicis oravit.

Reſ. 6. Pro excommunicatis non vitandis licite offertur ſacrificium directe: quia *Concilium Conſtant.* permittit communicare cum illis etiam in ſacris, & tales

tales (ut fatentur adverſarii) poſſunt ſepeliri more Eccleſiæ, quod ſit cum conſuetis precibus, modo ſigna pœnitentiæ dederint; hinc videtur non peccare, qui a tali acceptat ſtipendium, licet enim alter peccet petendo, cum ipſi prohibitum ſit communicare, ſuppoſito tamen hoc videtur non peccare acceptans; quia huic licitum eſt cum ipſo communicare, nec priori ejus peccato jam poſito cenſetur cooperari.

(80) *Reſ.* 7. Pro Beatis poteſt offerri ſacrificium, quatenus eſt laudis, & gratiarum actionis pro beneficiis a Deo ipſis collatis, imo & ut eſt impetratorium novi honoris, & venerationis, adeoque novi gaudii accidentalis inde provenientis; hæc enim oblatio eſt Deo grata, illis honorifica, nobis utilis: non tamen poteſt offerri Beatis; quia ſacrificium ut cultus latriæ ſoli Deo offertur, ſicut ipſi ſoli Altaria eriguntur in honorem Sanctorum.

(81) *Reſ.* 8. Nec licite nec valide offerri poteſt pro damnatis in inferno, ubi nulla eſt redemptio, & exercetur judicium ſine miſericordia; hinc peccaret graviter, qui oraret, vel Miſſam legeret pro eo, quem conſtat eſſe damnatum.

Ob. Imperator Trajanus dicitur liberatus ab inferno a S. Gregorio. Idem legitur de aliis, ℟. Probabilius ſunt fabulæ; attamen hoc admiſſo non oraverunt, ut ab inferno eruerentur, ſed ſpeciali inſtinctu Dei, ne in infernum mitterentur, ſuſpenſa adhuc damnationis ſententia.

Inſt. In Miſſa defunctorum orat Sacerdos defunctos *liberari a pœnis inferni*, *& de profundo lacu*, &c. ℟. Per illa intelligitur purgatorium, quod ob pœnarum ſimilitudinem vocatur infernus, ſicut limbus Patrum vocatur infernus, vel offertur per modum pii affectus erga rem factam, repræſentaturque tempus antecedens, quo animæ egrediuntur e corpore; ſicut

dum

dum modo in Adventu oramus: *Veni Domine, & noli tardare*, cum jam a multis annis venerit. Sic etiam in Canone per Verba illa: *In electorum tuorum jubeas grege numerari*, & alibi: *Ut eorum nomina prædeſtinationis liber reſcripta retineat;* non petimus immutari æternum Dei decretum, quod ſcimus eſſe immutabile, ſed cauſam pro effectu ſumentes oramus, ut Deus nos, & alios ad ſe convertat, ut in ſancta operatione confirmet, & in æternam felicitatem perducat, qui ſunt effectus prædeſtinationis: ſic Petrus Apoſtolus dicit; *ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.*

Reſ. 9. Piiſſime, & utiliſſime offertur pro animabus in purgatorio; quia capaces ſunt fructus ſatisfactorii, imo & impetratorii, quatenus a Deo impetrari poteſt, ut fideles piis inſpirationibus excitet ad illis ſuccurrendum precibus, eleemoſynis, ſacrificiis aliisque piis operibus.

QUÆSTIO VI.

(82) *Quoties, quibus diebus, & qua hora celebrandum ſit?*

D. 1. Omnis Sacerdos vi ordinis tenetur ſub peccato mortali aliquando celebrare. Probatur ex illo *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* quibus verbis, ut dicit *Tridentinum*, CHRISTUS Apoſtolis eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit; ergo tenentur præcepto divino. *Deinde* non tantum poteſtas, ſed & munus Sacerdotum eſt ſacrificare pro populo, ſed quilibet tenetur ſatisfacere ſuo muneri; & quidem in re gravi, prout hic eſt, ſub mortali. Ex lege vero Eccleſiæ tenetur ſaltem diebus dominicis, & feſtis ſolemnibus. Ita Trident. Seſſ. 23. c. 14.

Reſ.

Reſ. 1. Sacerdos aliunde non obligatus peccat mortaliter, ſi non ad minus quater aut quinquies in ſummis feſtivitatibus celebret. In *Cap. Dolentes de celeb. miſſ.* imponitur pœna ſuſpenſionis ei, qui vix quater in anno celebrat: & Pius V. juſſit expungi opinionem Cajetani contrariam.

Reſ. 2. Parochi non tantum tenentur celebrare per ſe, vel per alium illis diebus, quibus Parochiani tenentur audire Miſſam, ut certum eſt, ſed & ſæpius, ut ſubditi poſſint Miſſam ex devotione audire; debent enim paſcere oves non tantum neceſſariis, ſed & utilibus; & facile oritur ſcandalum, ſi Parochus per hebdomadam vix ſemel celebret.

(83) *D.* 2. *Per ſe loquendo* licitum eſt, imo valde laudabile quotidie celebrare Miſſam, modo aliunde ſit diſpoſitus. Patet ex bonis, quæ toti Eccleſiæ, & ſingulis fidelibus ex ſacrificio proveniunt. S. Andreas (ut in ipſius officio die 30. Nov. legitur) gloriatus eſt in Domino: *Ego immolo quotidie immaculatum Agnum. Dixi: per ſe loquendo;* quia aliquibus prohibuit Eccleſia.

Reſ. 1. Feria ſexta majoris hebdomadæ graviter prohibitum eſt celebrare, & hoc admittunt omnes. *Ratio fuit:* quia ea die Eccleſia recolit ſacrificium Chriſti cruentum in cruce. Quantum ad feriam quintam, & Sabbatum ejusdem hebdomadæ, communior ſententia adhuc docet, licere privatas Miſſas celebrare, & decreta in contrarium non eſſe promulgata, vel uſu non recepta, cum videamus adhuc celebrari Miſſas privatas præſertim feria quinta. Interim Benedictus XIV. *de Sacrificio ſect.* 2. §. 25. ſic ait: *Verum non intelligimus, quæ cauſæ eſſe poſſint, cur decretis non pareamus ſacræ Congregationis rituum Apoſtolica authoritate confirmatis; quæ diſertiſſime vetant, ne quis diebus illis tribus privatas Miſ-*

ſas

ſas celebret. Ita ille. Quidquid jam ſit, conſultum non eſt privatim celebrare: quodſi fiat in cæna Domini, curandum eſt omnino, ut finiatur ante Miſſam ſolemnem, quia ex poſt legere videtur mortale; jam enim incipit officium Paraſceves.

Reſ. 2. Si Parochus die Jovis ſancto per oblivionem non reſervaſſet Hoſtiam majorem pro Officio diei Veneris, uti debet parva conſecrata: ſi deſit, curet, ut alius Sacerdos privatim celebret de Paſſione, vel ſancta Cruce, & duas Hoſtias majores conſecret: ſi alius haberi nequeat, & timeatur inevitabile ſcandalum, Parochus privatim celebret ſervato jejunio, & duas Hoſtias conſecret; quia præceptum naturale de vitando ſcandalo prævalet utrique præcepto Eccleſiaſtico.

(84) *D.* 3. Non licet celebrare niſi ſemel in die *cap. conſuluiſti, de celebrat. Miſſ. Excipitur* 1. dies Nativitatis Domini, in qua permittitur cuilibet Sacerdoti ter celebrare in honorem triplicis Chriſti Nativitatis, 1. æternæ, 2. ſpiritualis, quatenus Chriſtus ut lucifer oritur in cordibus noſtris. 3. Temporalis corporalis. Ad hoc tamen non tenetur, ſicut nec alii tres audire. 2. Siquis habeat privilegium; quod ſubinde datur Miſſionariis, vel aliis, qui propter defectum Sacerdotum præſertim in partibus infidelium debent adminiſtrare duas Parochias, & hi poſſunt in Natali Domini dicere ſex Miſſas, ſi aliis diebus eis liceat in qualibet celebrare ſemel. Ita cum Gobat, La Croix, Janſen, Reuter &c. 3. Caſus neceſſitatis; verum hodie ſtandum eſt conſuetudini locorum; caſus enim, quos aſſignant Authores, ob multitudinem Sacerdotum raro amplius locum habent.

(85) *D.* 4. Tempus ordinarium legendi Miſſam incipit ab aurora, & terminatur a meridie. Patet ex Rubricis Miſſalis Romani, & conſuetudine Eccleſiæ.

Reſ.

Reſ. 1. Per auroram intelligitur crepuſculum diei, quod eſt circiter per horam, & mediam ante ortum ſolis; hinc ex communi licitum eſt celebrare duabus horis ante ortum ſolis, ita ut circa initium auroræ finiatur.

Reſ. 2. Sufficit Miſſam inchoari ante meridiem.

Reſ. 3. Secluſo ſcandalo vix erit mortale, etſi per horam fere anticipetur tempus, aut poſt meridiem celebretur; quia nec lex, nec conſuetudo videntur tam ſtricte obligare.

Reſ. 4. In caſu neceſſitatis propter infirmum alias ſine viatico moriturum licet ſtatim poſt mediam noctem celebrare; ſimiliter, ſi in die feſto ſit itinerandum, nec ſerius commode legi poſſit; poteſt fieri maturius; item ut famuli, & opifices in hyeme ante laborem Miſſam audiant, ut habet praxis.

Reſ. 5. Propter confeſſiones excipiendas, ſolemnes exequias, ſupplicationem, concionem, aut ſolemnitatem Officii, ubi eſt conſuetudo, licet celebrare poſt meridiem. Interim Conſuetudo hæc in Diœceſi ſaltem Colonienſi non videtur amplius locum habere ob prohibitiones contrarias ſæpius iteratas.

Reſ. 6. Præſcindendo a privilegio, poſſunt mendicantes ſerius aut maturius celebrare, accedente authoritate Superioris, qui eſt eorum Epiſcopus; ergo ſicut Epiſcopus cum ſæcularibus, ſic ille cum ſuis ex rationabili cauſa diſpenſare poteſt; ne alioquin, ait Pius V., Regulares ſint deterioris conditionis, quam ſæculares.

Reſ. Denique: excipitur nox Nativitatis Domini, in qua unam Miſſam licet incipere ſtatim poſt duodecimam; aliæ nonniſi hora alias conceſſa celebrari poſſunt. Ita Clem. XI. 1702. 18. Decemb. contrarius abuſus eſt tollendus.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

(86) *In quo loco celebrandum ſit?*

D. 1. Secluſa neceſſitate, & privilegio nonniſi in loco conſecrato, vel authoritate Epiſcopi benedicto, aut ſaltem ab eo ad celebrandum determinato, licitum eſt celebrare. Conſtat ex *Trid. ſeſſ.* 22. idque exigit reverentia tanti myſterii. Contrarium faciens per ſe peccat mortaliter; quia transgreditur præceptum Eccleſiæ in re gravi, & ſub gravi pœna, ſcilicet ſuſpenſionis.

Reſ. 1. Licitum eſt celebrare in loco profano, honeſto tamen, ſi adſit neceſſitas. V. G. Eccleſia eſt diruta, in ſolemni feſto, vel peregrinatione non capit populum, ubi poteſt erigi Altare ante Templum; item in bello, vel caſtris, ne milites diebus dominicis, & feſtivis careant Miſſa: in longa navigatione in littore, vel etiam ipſo mari, ſi non prævideatur tempeſtas, & adſit Sacerdos, vel Diaconus tenens Calicem.

(87) *Reſ.* 2. Regulares non poſſunt amplius celebrare ubique locorum in Altari portatili; tale enim privilegium revocatum eſt per *Trid. in Decreto de obſervandis in celeb. Miſſæ.* Idem privilegium reſpectu Epiſcoporum revocavit Clemens XI. die 15. Decemb. anno 1703. in Bulla: *nonnulli Epiſcopi.* Nihilominus

Reſ. 3. Poſſunt adhuc Epiſcopi concedere, ut una, vel altera vice ex cauſa gravi celebretur extra locum ad divinum cultum tantum deputatum V. G. in domo ſæculari propter infirmitatem, vel impotentiam adeundi loca ſacra: ſic habet praxis in his partibus, & *Tridentinum* tantum reſtringit poteſtatem Epiſcoporum, ut non poſſint amplius ad libitum deſignare loca uſibus profanis deſervientia, non vero, quod hoc non

non poſſint ex rationabili cauſa ſaltem pro una aut altera vice.

Reſ. 4. Poſſunt Regulares Miſſas legere in oratoriis a Superioribus erectis, non tantum in ſuis Monaſteriis, ſed & in villis ſuis, in quibus aliqui Religioſi habitant, vel quas recreationis cauſa frequentant; nam Religioſorum privilegiis quoad hoc non derogavit *Tridentinum*, & hæc loca non cenſentur domus privatæ, de quibus *Trid.* loquitur, ſed ſunt domus communitatis religioſæ, & nomine Eccleſiæ veniunt clauſtra religioſorum; nec requiritur licentia Epiſcopi. Poſſunt in illis eadem die legi plures Miſſæ etiam a ſæcularibus; quia privilegium eſt ſimul locale: ſæculares ibi Miſſam audientes ſatisfaciunt præcepto; hoc ipſo enim, quod loca hæc ſint a Superioribus benedicta, & ad divinum tantum cultum ordinata, ſatis cenſentur loca ſacra, & ſaltem poſſunt hoc vi privilegii de novo conceſſi Patribus Soc. Jeſu a Gregorio XIII. & Canonicis Regularibus a Pio IV.

Reſ. 5. Major eſt difficultas, an religioſi mendicantes, ac cum iis participantes poſſint adhuc legere Miſſas in cameris ſuis, dum quis gravi detentus infirmitate egredi non poteſt. Videtur, quod non; Innocentius enim XIII. videtur ſatis clare revocaſſe privilegium his verbis: *Cumque circa Miſſarum celebrationem in privatis oratoriis a recolendæ memoriæ Clemente Papa XI. opportunum decretum promulgatum fuerit, Epiſcopi dent operam, ut omnia ibidem ſtatuta ſerventur, addita etiam prohibitione, ne in privatis regularium cellis, ſeu cubilibus erigatur altare pro re ſacra ibidem facienda, & contra quoscunque contravenientes cenſuris Eccleſiaſticis procedant, dempta quacunque contraria conſuetudine etiam immemoriali;* hanc conſtitutionem confirmavit Benedictus XIII. in prima Conſtitutione ſua. Conſulenda ergo ſunt Privile-

vilegia ſpecialia: hæc autem debent eſſe certa, & clara.

(88) *D.* 2. Extra neceſſitatem graviter prohibitum eſt celebrare in Eccleſia polluta, vel execrata; unde rubricæ Miſſalis præcipiunt, ut, ſi tempore Miſſæ Eccleſia polluatur, Sacerdos ſtatim deſiſtat, ſi nondum Canonem inceperit: ex quo colligitur obligatio gravis; nulla tamen annexa eſt cenſura; quod autem dicitur de celebratione, etiam eſt de ſepultura, & Officio divino dicendum.

(89) *Reſ.* 1. Eccleſia polluitur 1. per homicidium voluntarium mortaliter injurioſum factum in Eccleſia; hinc non per caſuale, nec in defenſionem vitæ aut ab amente, vel ſimili commiſſum. *dr. Injurioſum*; non neceſſario ipſi occiſo, ſed ſanctitati loci; hinc, ſi Judex reum ſuſpenderet in Eccleſia, hæc violaretur, non, ſiquis extra ad muros Eccleſiæ ſuſpenderetur. 2. Per effuſionem Sanguinis mortaliter injurioſam ex gravi vulnere cauſatam; hinc non ſufficit 1. ſi tantum effluant aliquot guttæ Sanguinis; quia effuſio dicit notabilem quantitatem. Nec 2. ſi percuſſio non ſit mortalis, ut quandoque eſt in pueris rixantibus; debet enim eſſe peccatum mortale externum. Nec 3. ſi vulnus leve, licet effuſio Sanguinis copioſa; jura enim loquuntur de effuſione ex vulnere, ſed vulnus leve ſtricte non reputatur vulnus ſimpliciter. Sufficit tamen 4. ſi vulnus ſit inflictum in Eccleſia, licet extra moriatur, vel Sanguinem fundat. *Item* ſi foris exiſtens emiſſa V. G. glande occidat, aut vulneret exiſtentem in Eccleſia cum Sanguinis effuſione, non, ſi exiſtens in Eccleſia occidat foris exiſtentem, licet vulneratus ſit Eccleſiam ingreſſus, & ibi moriatur, vel Sanguinem fundat; quia, ſi vulneratus ſit extra, non dicitur proprie Sanguis fuſus in Eccleſia, etſi in illam vulneratus ingrediatur: actio enim effuſiva non eſt poſita in Eccleſia.

cleſia. *Denique* ſufficit, ſi Sanguis decidat in veſtes, licet pavimentum non tangat; quia eſt fuſus in Eccleſia: *item* ſi vulnere in Eccleſia accepto foras exeat; quia mors, & effuſio cauſata eſt in Eccleſia. 3. Violatur Eccleſia per ſeminis humani effuſionem, ſi ſit peccatum mortale ſive fornicationis, ſive tactus turpis, non vero, ſi per ſolam imaginationem cauſata ſit; tunc enim non habet in eſſe externo cauſam voluntariam: probabilius debet eſſe directe voluntaria. De actu conjugali diſputatur: verius eſt non violari, ſi cogantur in Templo cum periculo incontinentiæ. Debent autem hæc eſſe publica moraliter, ut nulla tergiverſatione celari poſſint; quamdiu enim talia non ſunt, Eccleſia retinet bonam famam ſuam, ideoque non cenſetur violari (a). 4. Violatur, ſi excommunicatus vitandus (quales non ſunt hic hæretici) ſepeliatur in illa, licet ſigna Pœnitentiæ dederit, ſi non fuerit abſolutus. 5. Si ſepeliatur non baptizatus, niſi ſit Catechumenus; quia inchoative eſt baptizatus, & habet ſe ut novitius ad religionem; hinc infans non baptizatus, (niſi in utero matris extinctus cum matre ſepeliatur) non debet ſepeliri in loco ſacro fidelium ſepulturæ deſtinato, ſed in loco a cœmeterio per murum, vel ſepem diviſo: in dubio de Baptismo præſumitur in favorem infantis.

(90) *Reſ.* 2. Violata Eccleſia violatur altare fixum non autem portatile; quia fixum cenſetur pars loci; execrata tamen Eccleſia, non execratur altare; quia in hoc unum non eſt acceſſorium alterius.

Reſ. 3. Violata Eccleſia violatur cœmeterium Eccleſiæ contiguum, ſeu junctum muris Eccleſiæ tanquam acceſſorium, non econtra; ſed tunc ex ſola Eccleſiæ reconciliatione reconciliatur.

(91)

(a) *Vid. Part.* 2. *Tract.* 2. *Diſſ.* 2. *Q.* 15. *n.* 37. *Reſ.* 2.

(91) *Reſ.* 4. Eccleſia non reconciliatur per celebrationem Miſſæ bona fide factam, alioquin Eccleſia non conſecrata aut benedicta non egeret alia benedictione, ſi ſemel in illa bona fide celebraretur: quod nemo dicit; poteſt tamen Epiſcopus dare licentiam celebrandi in violata, donec reconcilietur, ſi enim poſſit dare licentiam celebrandi in loco non ſacro, cur non in nondum reconciliato?

Reſ. 5. Si Eccleſia fuerit tantum benedicta, reconciliare eam poteſt de licentia Epiſcopi omnis Sacerdos aqua a ſe benedicta, adhibitis ordinariis benedictionum precibus: idem eſt de cœmeterio. Poſſunt quoque Superiores Religioſi vi privilegii a Leone X. conceſſi ſolemniter benedicere ſui ordinis Eccleſias, cœmeteria, & violata reconciliare. Si autem Eccleſia fuerit conſecrata, poteſt ex permiſſu Epiſcopi ſimiliter reconciliari, & poſtea intra eam divina celebrari, *ne divinæ laudis organa ſuſpendantur*, poſtea tamen per Epiſcopum reconciliari debet per aquam ſolemniter cum vini, & cineris mixtione benedictam. *Greg. IX. in cap. ſi Eccleſia. De Conſecrat.* Forma reconciliandi habetur in pontificali Romano. Corpora infidelium, vel excommunicatorum ibi ſepulta debent exhumari; debet enim tolli cauſa pollutionis. Cœmeterium eodem modo violatur, ſicut Eccleſia, & reconciliatur, eſtque mortale in eo ſepelire non baptizatum, vel excommunicatum.

Reſ. 6. Si Catholici recipiant Eccleſiam, in qua hæretici ſua exercitia aliquamdiu habuerunt, & corpora non denuntiatorum ſepulta ſunt, opus non eſt eam ſolemniter ab Epiſcopo reconciliari; attamen utendum eſt portatili.

(92) *Reſ.* 7. Per Eccleſiam hic tantum intelligitur ſpatium interius a fornice ad pavimentum, & ab uno pariete ad alterum; unde, ſi priora fiant ſu-

pra fornicem in turri, in ſacriſtia, in ſpecu ſubterranea non deputata ad ſepulturam, non ideo violatur Eccleſia: nec violantur oratoria, quæ nec conſecrata ſunt, nec benedicta, licet ab Epiſcopo deputata ſint ad celebrandum.

Reſ. 8. Eccleſia execratur, amittitque conſecrationem, ſi muri ex majori parte ſimul deſtruantur, non ſi ſucceſſive reparentur, modo pars reparata ſit minor parte relicta, nec ſi tectum corruat; quia conſecratio adhæret parietibus, in quibus fiunt cruces: benedictio pavimento.

Q. Quid circa Oratoria?

(93) ℟. 1. Oratorium eſt locus in privatis ædibus ad cultum divinum deputatus, non habens campanam, nec ingreſſum ex via publica, quem ſi habeat, vocatur ſacellum publicum, pro quo Romæ dantur indulgentiæ in aliquo feſto, quæ non dantur pro privato ſaltem ordinarie.

℟. 2. Poteſt Epiſcopus licentiam dare celebrandi conſtanter in publico, non in privato, niſi in caſu neceſſitatis ob decretum *Tridentini*, & *Clementis XI.*; attamen praxis docet Epiſcopos in Germania habere poteſtatem concedendi privata oratoria ex juſta cauſa ad dies vitæ: cauſa allegata debet eſſe vera, alias privilegium non ſubſiſtit.

℟. 3. Locus ille debet eſſe mundus, clauſus ſaltem cortina, in illo non debet poni lectus; edere ibi, vel bibere una, vel altera vice eſt veniale; ſi conſtanter fiat, utendo illo loco ut profano, eſt mortale; quia gravis eſt irreverentia.

℟. 4. In privilegio ſolet exprimi: ut nonniſi unica Miſſa celebretur, hinc celebraturus tenetur ſe informare, an Miſſa jam lecta fuerit; quia alteram legere eſt mortale; eſt enim legere, quaſi extra locum. Excipitur dies Natalis Domini; poteſt tamen hic prævale-

valere conſuetudo contraria, quæ utpote aliquid facti in dubio non præſumitur. Si privilegium ſit ob infirmitatem, nulla dies excipi ſolet; alias excipiuntur aliqua feſta ſolemniora.

℟. 5. Extranei non ſatisfaciunt præcepto Miſſæ in oratorio privato, imo nec domeſtici, qui tunc pro ſervitiis domini non ſunt neceſſarii: & ut Sacerdos extraneus ibi legere poſſit, qui non eſt ſacellanus, debet adeſſe aliquis de familia; ſic enim habet tenor Bullæ, & decretum Clementis XI. Nomine familiæ veniunt herus, uxor, proles, famuli, commenſales; addi ſolet: nec non in hoſpitum ſuorum nobilium præſentiam, qui etiam ſatisfaciunt.

℟. 6. Hæc omnia præcipiuntur fieri ſine præjudicio Parochorum; hinc ſine expreſſa Parochi licentia non licet ibi miniſtrare Sacramenta, concionari; ex præſumpta tamen poſſunt denuntiari feſta, jejunia, dari Communio non paſchalis; cantare ibi ſolemniter Miſſam non videtur contra jus Parochi, attamen ob rei novitatem non facile practicandum.

(94) ℟. *Denique:* Papa Benedictus XIV. 1741. 7. Januarii decreto: *Cum duo nobiles conjuges*, voluit „ omnibus notum fieri, non poſſe vigore ſimilis in„ dulti celebrari Miſſam in privatis oratoriis, quan„ do eidem Miſſæ actu non interſit aliquis ex iis, qui„ bus principaliter indultum conceſſum eſt; indultum „ vero principaliter conceſſum intelligitur iis tantum, „ quibus Breve dirigitur, nimirum perſonis illis, quæ „ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupan„ tur, adeo, ut ſine præſentia unius ex dictis perſo„ nis minime liceat Miſſæ Sacrificium peragi, etiamſi „ præſens ſit aliquis ex filiis, ſive ex conſanguineis, „ ſive ex affinibus, ſive ex familiaribus, ſive denique „ ex hoſpitibus nobilibus in eodem Brevi memoratis; „ quippe quibus nihil aliud per ejusmodi Brevia con-

„ ceditur, quam quod unusquisque eorum (dummo„ do, quod attinet ad familiares, juxta clauſulam in „ iisdem Brevibus inſertam, non ſit ex illis actu non „ neceſſariis) aſſiſtens Miſſæ, quæ celebratur in ora„ torio privato in præſentia alicujus ex perſonis a ter„ go Brevis proprio nomine nuncupatis, ſatisfaciat „ obligationi audiendi Miſſam diebus feſtis de præce„ pto: ſublata igitur, & proſcripta quacunque mi„ nus Germana interpretatione ejusmodi Brevium, & „ Indultorum hactenus facta, Sanctitas ſua ita decla„ ravit; & ſervari omnino mandavit, diſtricte præci„ piens: ut omnes Epiſcopi, aliique locorum Ordi„ narii etiam tanquam a Sede Apoſtolica delegati, exe„ cutioni, & obſervantiæ hujus decreti diligenter in„ cumbant, per Canonicas pœnas contra inobedientes „ eorum arbitrio conſtituendas. „

Ad hoc attendant, qui Miſſam in privatis oratoriis celebrare volunt. Inſuper ſciant, ſi indulgeatur quolibet die Miſſa una, non licere plures eodem die ibi celebrare; cum enim indultum ſit contra legem, ſtricte interpretari debet: & cur adderetur: *una?* Suffeciſſet dicere, ut quolibet die Miſſa celebretur.

QUÆSTIO VIII.

(95) *Quænam ulterius requirantur ad celebrandum?*

D. I. Requiritur Altare ſuperiori parte lapideum ab Epiſcopo, vel alio a Papa deputato conſecratum, vel fixum, ſeu loco immobiliter adhærens, vel portatile, quod ab uno loco ad alium ſolet portari, tantæ ſaltem magnitudinis, ut in eo calix, & patena ex majori ſua parte conſiſtant. *Eſt communis, & certa.*

Reſ. I.

Reſ. 1. Peccat mortaliter ſine Altari conſecrato celebrans ob prohibitionem Eccleſiæ in re graviſſima.

Reſ. 2. In fixo poteſt quilibet Sacerdos celebrare, ubicunque erectum ſit; cum enim authoritate Epiſcopi erigatur, locus cenſetur ab ipſo deſtinatus ad cultum divinum: in mobili non poteſt celebrari extra locum ab Epiſcopo benedictum, niſi excuſet neceſſitas, licentia, vel privilegium, *de quo ſupra* (a).

(96) *Reſ.* 3. Fixum amittit conſecrationem, ſi lapis ſuperior amoveatur a baſi, niſi eſſet ſeparatim conſecratus; quia tunc potius eſt portatile. *Item* dum lapis ſuperior enormiter frangitur: dum amovetur ſigillum ſepulchri, hoc eſt: iſtius loculi, in quo per Epiſcopum recluduntur ſacræ reliquiæ; non vero, ſi lapides inferiores menſam immediate non tangentes removeantur, & alii ſubſtituantur: nec ſi totum aggregatum de loco in locum transferatur ſine ſeparatione partis ſuperioris ab inferiore. Mobile amittit conſecrationem ob enormem fractionem; parva non obeſt, ſi partes ab invicem non ſeparentur.

(97) *Reſ.* 4. Altare debet eſſe ornatum 1. Mappa duplici, aut ſaltem una complicata a parte, ubi ponitur patena cum calice, debet eſſe ex lino, & benedicta ab Epiſcopo, vel habente privilegium: in neceſſitate poteſt adhiberi linteum profanum uſibus profanis reſtituendum, & bene facies replicando corporale, ſi ſatis ſit latum; quia nullo jure tantus rigor probatur. 2. Requiritur corporale ex lino, Cannabe, vel Goſſipio pariter benedictum, quod per notabilem ſciſſuram amittit benedictionem, & præprimis debet eſſe mundum. 3. Palla pariter benedicta, & linea ſaltem ex illa parte, qua calicem tegit, niſi corporale ſit ſufficiens, ut poſſit ſuper calicem replicari per modum pallæ (ut faciunt Carthuſiani) vel etiam poſſet

(a) *Num.* 86. *& ſeq.*

poſſet calix tegi purificatorio; non eſt autem a celebratione abſtinendum, ſi palla non ſit benedicta; eſt enim quid leve non tangens immediate Chriſti Corpus, ſicut corporale. 4. Purificatorium ſimiliter lineum, quod non requirit benedictionem; hinc in defectu potes uti ſtrophiolo mundo expoſt tamen uſibus profanis non applicando. Corporale, & purificatorium antequam dentur lotioni, debent prævie lavari ſaltem a Clerico tonſurato, & aqua lotionis mitti in ſacrarium, vel ſaltem locum honeſtum a profanis uſibus remotum. *Inſuper* requiritur lumen cerei ex duplici candela, in neceſſitate ſufficit una: in defectu ceræ, ſufficit eſſe ex ſebo, vel oleo. Peccat graviter, qui omne lumen omitteret; ſi poſt inceptam Miſſam extinguatur unum, admone miniſtrum, & perge; ſi utrumque ante conſecrationem, nec ſpes ſit brevi aliud habendi, multi rigide dicunt, Miſſam eſſe abrumpendam, licet ſit neceſſitas conſecrandi viaticum, quod tamen alii veverius negant. 5. Debet adeſſe Crucifixus, niſi Salvator crucifixus in majori tabula Altaris ſit depictus, modo primarium in ea locum obtineat præ cæteris in ea expreſſis, aut ſtatua Crucifixi; non ſufficit autem parva crux, quæ ſolet eſſe ſupra Ciborium, nec nuda crux ſine imagine Crucifixi. Debet poni ob oculos celebrantis, ut per totam Miſſam revocetur paſſionis Chriſti memoria. An etiam, dum expoſitum eſt Venerabile? ſervanda eſt conſuetudo, *Benedictus XIV.* inquit. Omiſſio illius non eſt niſi venialis, nec ob defectum Miſſa etiam devotionalis eſt omittenda. 6. Requiritur Antipendium, ſed eſt decentiæ, non obligationis. 7. Miſſale, ſeu liber continens Canonem, eſtque de ſe peccatum mortale ſine tali celebrare; quia facile poteſt aliquis memoriæ defectus accidere etiam illis, qui ſunt memoriæ tenaciſſimæ: unde periculum errandi ſaltem per ſe natum eſt ſequi, quod ſufficit,

ut

ut lex liget: debet autem uti vel Romano, quo tanquam matricis Eccleſiarum ubique uti licet, vel ſuæ Diœceſis, dum in ea reſidet. 8. Calix, & patena, quæ ſint ex auro, vel argento, ob paupertatem etiam ex ſtanno, quoad cuppam calicis: idem eſt de Ciborio, & Oſtenſorio. 9. Calix, & patena debent conſecrari ab Epiſcopo, vel Prælato gaudente uſu mitræ, & baculo; quod poſſunt etiam pro aliis Eccleſiis, teſte praxi. Declarationes in contrarium non ſunt uſu receptæ, vel de iis non conſtat authentice. Non conſecrantur per uſum etiam bono fine factum: amittunt conſecrationem, ſi fiant inepta ad uſum Sacrificii, non, ſi modice reparentur ab aurifabro: ut, ſi calix in fundo cuppæ habeat foramen etiam minimum, non, ſi in ſummitate; quia adhuc manet aptus ad uſum. Probabilius non, ſi inaurentur, ſicut Eccleſia per dealbationem non amittit conſecrationem; major enim pars attrahit minorem, & execratio ut odioſa eſt reſtringenda. Ciborium non conſecratur; quia in rituali nulla fit mentio unctionis: debet tamen benedici, quod poteſt Superior localis mendicantium, qui hic poteſt benedicere omnia, in quibus nulla intervenit unctio. Monſtrantia nec conſecratur, nec neceſſario benedicitur, congruum tamen eſt, & uſus habet, ut benedicatur lunula eadem benedictione, qua pixis. Qui ſine calice vel in non conſecrato conſecrat, peccat mortaliter; idem eſt de patena, ob claros textus juris. Si autem non Sacerdos, nec Diaconus calicem, patenam &c., in quibus actu eſt Corpus Chriſti, ſine neceſſitate tangat, peccat graviter: ſi vero non contineatur, eſt veniale tantum: cum cauſa gravi nullum. Minoribus initiati licite tangunt vaſa vacua, ſicut & alii laici ſacriſtani a Superioribus apud Mendicantes deputati ex privilegio, ita ut aſſumi poſſint ad officia, quæ ſine attactu ſacrorum vaſorum adminiſtrari non poſſunt.

(98) *D.* 2. Requiruntur ſacræ veſtes commemorativæ Paſſionis Dominicæ, ſuntque ſex: *Amictus*, vel *Humerale*, ſignificat velamen, quo judæi velarunt faciem Chriſti, & dixerunt: *Prophetiza nobis, quis te percuſſit.* *Alba* ſignificat veſtem, qua Chriſtus fuit ab Herode indutus, & illuſus. *Cingulum* funem, quo fuit in horto ligatus. *Manipulus* vincula, quibus poſtea vinctus fuit. *Stola* ligaturam, quo ligatus ad columnam, vel qua ductus fuit ad crucem. Denique *Caſula* veſtimentum purpureum. Hæ veſtes omnes debent eſſe benedictæ ab Epiſcopo, vel ab alio facultatem legitimam habente. De Cingulo notandum eſt, quod non circa partem ſuperiorem pectoris, prout quidam perperam faciunt (verba ſunt Benedicti XIV.) ſed circa renes cingere ſe debeat Sacerdos. Eſt mortale ſine aliqua ſaltem principaliori, vel cum non benedicta celebrare; ſi aliqualis ſit neceſſitas V. G. ut ſatisfiat præcepto, fundationi, lucrentur indulgentiæ &c. ſine aliquo minus principaliori poteſt, quod magis tenet de velo calicis, burſa, humerali, quæ ex ſola decentia requiruntur. Si Parochus non haberet albam benedictam V. G. propter furtum de nocte, poſſet die feſto celebrare in non benedicta: idem eſt, ſi dandum ſit viaticum. Si Miſſa ſine gravi ſcandalo, vel murmure populi omitti non poſſit, licitum eſt celebrare ſine ſtola: non ut præcepto Eccleſiæ ſatisfiat; hoc enim tunc non obligat: ſed ut evitetur ſcandalum V. G. ſi oblitus ſis ſumere ſtolam, aut manipulum, debes ante conſecrationem adhuc curare afferri, ſi fieri poſſit abſque turbatione, murmuratione, vel ſcandalo, ſi autem advertas alium fuiſſe oblitum, non facile moneas; quia vix ſine his fieri poteſt.

Reſ. 1. Veſtes amittunt benedictionem, ſi ita diſſolvantur, ut non ſint amplius idoneæ ad uſum, ad quem ſunt benedictæ V. G. ſi manica ſeparetur ab alba,

ba, ſi cingulum frangatur in duas partes, & neutra pars poſſit celebrantem cingere, amittit benedictionem, alias non. *Item* ſi ante plenam ſeparationem reficiantur, & partes connectantur, manet benedictio. Advertat hic diligenter Sacriſta, quod teneatur inſtruere conficientes, & reficientes ſacras veſtes, ut, quoties diſſolvuntur, monendi ſint Superiores pro nova benedictione.

Reſ. 2. Uti paramentis valde ſordidis eſt mortale; alias per ſe veniale, & ſi alia haberi non poſſint, nullum.

Reſ. 3. Veſtes tritæ non ſunt adhibendæ ad uſus profanos, ſed vel exurendæ, vel e majoribus faciendæ ſunt minores, ex albis humeralia, ex ſtola manipulus.

Reſ. 4. Si veſtis reſarciatur, vel caſula nova tela ſuffulciatur, non indiget nova benedictione.

Reſ. 5. Rubricæ de coloribus Paramentorum vix obligant ſub mortali: niſi ob contemptum, vel ſcandalum V. G. in ſummo feſto celebrares publice in nigris. In hac Diœceſi ex ſpeciali mandato teneris te accommodare Officio Eccleſiæ, licet Miſſa, quam legis, diſcordet V. G. legis de Martyre in Eccleſia, ubi Officium eſt de Confeſſore, debes ſumere veſtes coloris albi.

(99) *D.* 3. Ex gravi præcepto requiritur miniſter: in neceſſitate, ut V. G. populus Miſſam audiat, magis pro viatico, licite celebras ſine miniſtro; ex ſola devotione cum tali, qui non poteſt reſpondere, modo alia miniſtret, poteſque tibi ipſi reſpondere. Per ſe eſt mortale, ſi miniſtret fœmina: poteſt tamen tolerari conſuetudo, ut in defectu, monialis reſpondeat a Choro extra conſpectum Sacerdotis ſibi reliqua miniſtrantis.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

(100) *Quid de Rubricis Miſſæ?*

Rubricæ Miſſalis aliquæ ſunt *præceptivæ*, quæ aliquid expreſſe præcipiunt, aut aliquid deſignant, quod alias ex jure, vel conſuetudine obligante jubetur: aliæ ſunt *directivæ tantum*, quæ ſolum quaſi conſulendo dirigunt Sacerdotem, quid circa divinum fieri conveniat.

D. Sacerdos ſub mortali tenetur obſervare ritus etiam accidentales in rubricis Miſſalis præceptivis præceptos; ſæpe tantum excuſat levitas materiæ, vel etiam inadvertentia. Directivæ etiam vix ſine peccato advertenter non obſervantur. Si fiat animo inducendi novum ritum, eſt mortale in re levi ob prohibitionem graviſſimam; idem eſt, ſi fiat cum ſcandalo, quod facile fit coram populo: vel ſi fiat ex contemptu ſaltem implicito; hinc, ſiquis ordinarie nullam curet obſervare ceremoniam, peccat graviter; virtualiter enim, & implicite contemnit rubricas ab Eccleſia ordinatas.

Reſ. 1. Eſt veniale, non orare matutinum, & laudes ante Miſſam, nullum, ſi accedat cauſa rationabilis (a).

Reſ. 2. Non eſt peccatum omittere preces, quæ ante Miſſam præſcribuntur, additur enim: *pro opportunitate Sacerdotis*, modo alias animus ſit in Deum directus. Idem eſt de precibus poſt Miſſam. Omittere præſcriptas inter induendum probabilius eſt veniale.

(101) *Reſ.* 3. Non lavare manus ante Miſſam eſt veniale, ſi ſint immundæ: poſt Miſſam, nullum.

Reſ. 4. Omittere in Miſſa partem ordinariam, hoc eſt: quæ ſemper dicitur, ut eſt Evangelium, Epiſtola,

(a) *Vid. Part. II. Tract. II. Diſſ.* 1. *Q.* 5. *Num.* 12. *Reſ.* 4.

la, per ſe eſt mortale, niſi excuſet pavitas materiæ; hinc omittere *Kyrie* tantum, ***tractum &c.*** non eſt niſi veniale: item non facere cruces omnes, deoſculationes, & ſimilia, quæ ſunt parvi momenti, vel myſterii. In Canone autem omittere quamlibet orationem, aut etiam aliqua verba, ita ut mutetur ſenſus, eſt mortale, alias veniale tantum. Hoc certum, minorem in Canone, quam aliis partibus omiſſionem ſufficere ad mortale.

Reſ. 5. Qui ex nimia feſtinatione mutilat, vel corrumpit ſyllabas, ſi ſenſus maneat, & abſit ſcandalum, peccat tantum venialiter, ſaltem extra Canonem: nullo modo, ſi fiat ex naturali defectu non emendabili.

Reſ. 6. Eſt veniale tantum omittere partem non ordinariam V. G. *Credo*, *orationes ſecundarias*, *Epiſtolas* præter unam, *Sequentiam*, in particularibus feſtis loco *ſpecialis Præfationis*, vel *Communicantes* legere communia.

Reſ. 7. In ſecunda ablutione uti ſolo vino non videtur excuſari a peccato; ſic enim habet praxis, & rubrica videtur præceptiva quoad modum.

Reſ. 8. Dicere *Gloria*, vel *Credo* ex indiſcreta devotione, vel negligentia, ubi foret omittendum, eſt veniale. Addere collectam ultra præſcriptas, vix erit peccatum, cum facile excuſet cauſa aliqua, V. G. devotio: fatemur tamen melius fieri, ſi omittat, & neceſſitatem ſuam in *Memento* Deo commendet; quia revera eſt abuſus contra rubricas, qualis etiam eſt Neo-Myſtarum, dum in Primitiis die Dominica, vel de duplici, aut æquivalenti addunt orationem pro ſe ipſo; quia talis collectæ additionem nullibi rubricæ, nullibi aliquod S. R. C. Decretum in præfatis Primitiis permittunt.

Reſ. 9.

Reſ. 9. Qui ſub longo cantu V. G. ad *Gloria* recitat memoriter horas minores non videtur peccare ſaltem graviter.

(102) *Reſ.* 10. Qui imperfecte mutat actiones V. G. facit crucem imperfectam, inclinat os ad Altare, non tamen oſculatur &c. vix a veniali excuſari poteſt.

Reſ. 11. Inverſio partium ejusdem rationis eſt veniale, ut ſi recitetur una oratio, vel Epiſtola ante aliam; ſi autem partes ſint diſſimiles, tunc invertere ſtudio eſſet mortale V. G. Evangelium legere ante Epiſtolam; quia gravis foret difformitas.

Reſ. 12. Si omnia, quæ alte legi debent, legas ſubmiſſe, non peccas, ſaltem ſi ita alte, ut verba excedant terminos ſecretæ orationis, licet populus audire non poſſit; econtra, ſi alte omnia dicas, quæ ſubmiſſe ſunt dicenda, plerumque peccas graviter juxta Navarrum, Cajetanum, & alios; præſertim ſi ſtudio fiat. Verba conſecrationis in præſentia plurium tam alte exprimere, ut circumſtantes illa clare intelligere, ediſcere, & ad profana iis abuti poſſint, poteſt eſſe mortale. Errant hic multi, dum alta voce dicunt: *Memento Domine*, &: *omnis honor*, *& Gloria*: debent enim ſubmiſſe dici.

(103) *Reſ.* 13. Miſſa legi debet conformis Officio diei Canonico, niſi ex rationabili cauſa velis legere votivam, vel de Requiem, idque ſpecialiter non prohibeatur. Legens contra rubricas V. G. in duplici de Requiem, ut Miſſam unius diei pro Miſſa alterius diei, ſeclufo contemptu, & ſcandalo, peccat tantum venialiter. Si ſtipendium acceperis pro legenda Miſſa votiva, vel de Requiem, & hoc prohibeant rubricæ, non obligaris; cum ſit de aliquo ſaltem minus laudabili. In duplici prohibitum eſt legere de Requiem, niſi ſtante funere miſſam ſolemnem. Pro diė Anniverſaria,

tertia,

tertia, ſeptima, trigeſima nequidem permittitur Miſſa ſolemnis de Requiem in duplici de præcepto, ut declaravit S. Congreg., eſt igitur differenda ad diem non impeditam, vel melius anticipanda.

Reſ. 14. Legi poteſt Miſſa de quovis Sancto Canonizato, licet nondum in Martyrologio habeatur: de Beatificato non licet, niſi in die aſſignato, ideoque non votiva per annum.

Reſ. 15. Miſſa nonniſi approbata legi debet, & quæ conceditur certo Ordini, non poteſt dici ab aliis. Miſſali Romano uti licitum eſt omnibus, & ubique. Miſſalibus propriis V. G. Religioſorum non licet uti nequidem in eorum Eccleſiis, niſi quatenus concordant cum Romano, vel Diœceſano; quia nonniſi pro iſtis Religioſis approbata ſunt: Sacellani tamen monialium proprias V. G. de Beato Ordinis poſſunt dicere, ſed ex Miſſali Romano de communi, quamvis introitus, & alia diſcordent ab iis, quæ in choro cantantur; ſic declaratum eſt Romæ.

(104) *Reſ.* 16. Miſſa debet legi devote, & attente; hoc enim exigit ſacra illa functio: voluntaria tamen diſtractio, ſecluſo periculo notabile aliquid omittendi etiam ſub Canone probabiliter eſt tantum veniale, quia non ſatis probatur gravis irreverentia, quæ communiter non agnoſcitur in diſtractione ſub Communione. Hoc inter alios Reverendiſſimus *Janſen* dicit eſſe valde probabile, cæterum longe probabilius videtur eſſe mortale voluntarie diſtrahi ſub Canone per partem notabilem. *Vid. infra Caſum* 17.

Reſ. 17. Abrumpens Miſſam ſine gravi cauſa peccat mortaliter; eſt enim gravis irreverentia. Cauſa abrumpendi etiam poſt conſecrationem eſt periculum mortis, vel ipſius Sacerdotis, vel alterius baptizandi, abſolvendi, imo & inungendi, ſi aliud Sacramentum ſuſcipere non poſſit; ſi jam abſolutionem receperit,

indecens videtur poſt conſecrationem abrumpere, niſi ſit in vicinia, debet autem Sacerdos in his ſe quam citiſſime expedire.

QUÆSTIO X.

Quomodo corrigendi ſint defectus in Miſſa?

Ut diſcas accurate legere Miſſam, neceſſe eſt, ut attente legas rubricas, & in initio ad illas ſollicite attendas: videmus enim in dies, quod, qui in principio negligit, nunquam addiſcat, & ſicut male aſſueſcit, male legat. Juvat in initio habere bonum inſtructorem, a quo diſcas practice modum decorum faciendi inclinationes, cruces &c.: *Item* attendere aliis, qui exacte peragunt omnia, nihil hic eſt ſpernendum tanquam parvi momenti; ſingula enim habent ſuam ſignificationem, & conferunt ad reverentiam tanto myſterio debitam, debetque Miſſæ privatæ impendi media circiter hora, ut vult Synodus Colonienſis. Scandaloſa eſt aliquorum in hoc myſterio feſtinatio: cavenda tamen etiam nimia prolixitas, per quam offenduntur circumſtantes.

(105) *D.* 1. Defectus, qui non ſunt circa ſubſtantiam, non ſunt ſupplendi, ſiquis longe proceſſerit, vel per hoc debeat invertere ordinem; quia vix ſine nota fiet, & omnia hic ita connexa ſunt, ut, ſi a propriis locis extrahantur, non cohæreant.

Reſ. 1. Si etiam ſtatim poſt *Dominus vobiscum* advertas te omiſiſſe *Gloria*, vel *Credo*, non debes repetere; quia non fiet ſine confuſione tua.

Reſ. 2. Si omiſeris orationem debitam, adde illius ſecretam: ſi etiam hanc omiſeris, omitte & aliam.

Reſ. 3. In dubio, an aliquid non eſſentiale omiſeris, nil teneris repetere: ſi tamen ſit aliquid grave, &

& non longe proceſſeris, conſultum eſt, ut repetas. Regulam generalem dat *D. Thomas*, ut eligatur illud, quod minorem admirationem cauſabit in adſtantibus; quia in hac actione Sacerdos repræſentans perſonam Chriſti debet ſe oſtendere irreprehenſibilem; hinc bona fide fac, quod primo videtur minus incommodum.

Reſ. 4. Si oriatur prudens dubium circa valorem conſecrationis peractæ, iteranda eſt conſecratio, ne Sacrificium maneat non integrum. In praxi non ſunt facile admittenda hæc dubia; ſunt enim ordinarie ſcrupuli.

Reſ. 5. Qui aliquid omiſſum ſupplet, non debet repetere, niſi quod omiſit, ſi poſſit ſuppleri ſe ſolo; quia nempe ſuam de ſe ſignificationem habet.

Reſ. 6. Si e manu ſacra Hoſtia decidat in ſacrum Sanguinem, & tota ſit madefacta, non debet extrahi, ſed dicantur omnia de more, fiantque utræque ceremoniæ ſupra calicem, & ſimul ſumantur dicendo: *Corpus, & Sanguis &c.* Si recipi poſſit pars non madefacta, id fieri debet.

(106) *Reſ.* 7. Si aranea V. G. incidat in calicem ante conſecrationem, debet vinum mitti in ſacrarium, novum mente offerri, & conſecrari: ſi poſt, debet aranea ablui, poſt Miſſam comburi, & cum ablutione mitti in ſacrarium: Sanguis vero, ſi non poſſit ſumi citra periculum vomitus, vel mortis, debet conſervari, donec corrumpatur, & tunc mitti in ſacrarium, vel poteſt panno imbibi, exſiccari, & combuſto panno cineres in ſacrarium mitti, ac novum vinum conſecrari.

Reſ. 8. Si in ſumptione advertas te conſecraſſe aquam pro vino, mentaliter offer, & conſecra novum vinum incipiendo ab illis verbis: *ſimili modo*, ſine nova panis conſecratione, reliquæ autem aquæ, quam

forte cum particula hoſtiæ habes in calice, affunde tantum vini, ut certo prævaleat.

Reſ. 9. Si poſt conſecrationem una ſpecies evaneſcat, rapiatur a vento, calix totus effundatur, ut nihil lambi poſſit, renovanda eſt cenſecratio; nam licet tunc Sacrificium fuerit integrum quoad conſecrationem, non tamen quoad ſumptionem. Si utraque ſpecies eſſet V. G. veneno infecta, nihil eſſet ſupplendum; quia non remaneret Sacrificium, quod compleri poſſit.

(107) *D.* 2. Sacerdos ſpecialiter tenetur in Miſſa excludere ſcrupulos; ſumme enim dedecent miniſtrum in perſona Chriſti offerentem, inhonorant hanc diviniſſimam actionem, populo ſcandalum præbent, devotionem impediunt; nihilominus multi etiam docti hic ſolent ſcrupulis vexari. Pro quibus breviter

Reſ. 1. Si laboret circa intentionem conſecrandi, notet doctrinam communem, vix eſſe poſſibile, ut Sacerdoti ratione utenti, & minimæ etiam conſcientiæ deſit intentio ſufficiens.

Reſ. 2. Aſſueſcat verba conſecrationis non altius dicere, quam reliqua, quæ dicuntur ſecreto, & quamvis ob ſtrepitum, vel aliam cauſam ſe ipſum non audierit, nil repetat; ſi enim moverit linguam, & organa vocis, imprudenter timet.

Reſ. 3. Mutilatio alicujus etiam ſyllabæ, raro invalidat formam; quia raro mutat ſenſum ſubſtantialem.

Reſ. 4. Verba conſecrationis dicat ſine timore, nec vi quaſi exhalans; eſt enim irreverentia, & certum eſt, quod nimia ſollicitudo recte dicendi ſit cauſa dicendi male.

Reſ. 5. Nullum verbum, aut ſyllabam repetat, quamvis timeat, ne non bene expreſſerit; quia in hoc poteſt peccare.

Reſ. 6.

Reſ. 6. Si fuerit diſtractus, & poſtea neſciat, an omnia dixerit, aut etiam conſecrarit, non debet ideo turbari, minus repetere; quia prudenter ſupponit ſe omnia recte peregiſſe, ſicut communiter facere ſolet.

Reſ. 7. Si circa aliquid fiat perplexus, non hæreat, ſed ſtatim faciat, quod primo intuitu videtur eſſe melius, in hoc permaneat, nec rurſus examinet, an bene ſe reſolverit, & quamvis poſtea inveniat ſe erraſſe, nil refert, nec ideo inquietetur; quia bona fides excuſat; nec debebat hærere.

De Euchariſtia.

Caſus I. Parochus 1. proceſſionaliter vadit ad certum locum, ubi volens celebrare nonniſi parvas hoſtias invenit. 2. Die feſto carens hoſtiis, ut populus Miſſam audiat, ſumit rubram, qua literas ſigillamus. 3. Renovans hoſtiam oſtenſorii ex parte corruptam hanc ſumit, & a ſe conſecratam reponit in oſtenſorio; alia vice, cum exponendum ſit Sanctiſſimum, poſt conſecrationem advertens non adeſſe hoſtiam, ſumit minorem ex Ciborio, majorem vero a ſe conſecratam relinquit, exponendam. Q. 1. *Quæ ſit materia primæ conſecrationis?* 2. *Quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Eſt panis triticeus uſualis, aqua naturali ſubactus, & igne toſtus (a): in Eccleſia Latina ſub gravi peccato ex pane azymo conſecrari debet hoſtia major, & rotunda. ℟. *Ad* 2. Si non poſſit facile haberi major, nec differri Miſſa ad alium locum propter ingens populi deſiderium audiendi illam ibi; potuit ſumere parvam, monendo prius plebem de carentia majoris. Rubram cum gravi ſacrilegio probabilius

(a) *Vid. Num.* 2.

bilius invalide conſecravit; quia per illam mixturam extrahitur a ratione panis uſualis, & ad uſum longe diverſum deſtinatur: per ſe etiam peccavit graviter non prius renovando hoſtiam oſtenſorii; male inſuper egit in duobus ultimis; quia debet ſumere de ſuo Sacrificio, & majorem, ideo per ſe loquendo peccavit graviter. Dum renovanda eſt hoſtia Oſtenſorii, duæ majores ſunt conſecrandæ, una reponenda in Oſtenſorio, altera pro Sacrificio, antiqua ſumenda poſt ſacrum Sanguinem: ſi in caſu ſimul conſecraſſet hoſtias minores, poſſet aliquam ex his ſumere, & majorem reſervare pro Oſtenſorio, ſi alius Sacerdos poſt ipſum non conſecraret.

Caſus II. Parochus ruralis die feſto celebraturus vino carens ex uvis ante domum pendulis aliquot botros exprimit. 2. Rigida hyeme ad conſecrationem calicis perveniens advertit ex viſu, & odore vinum fæculentum eſſe, multumque aceſcere, inſuper parum congelatum. 3. Præter intentionem vino conſecrando tantum aquæ affudit, ut dubitetur, an non quaſi media pars ſit aqua; hinc alia vice volens cautius procedere, unicam guttulam immittit: ſed ex poſt dubitat, an non commixta vino, cuppæ calicis, quem abſterſerat, adhæſerit. Q. 1. *Quæ ſit materia ſecundæ conſecrationis?* 2. *Quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Eſt ſolum vinum de vite (a) ſubſtantialiter non mutatum. *Ad caſum* ℟. *In* 1. Si uvæ fuerint maturæ, nec potuerit habueri aliud vinum, bene fecit; aderat enim cauſa ſufficiens; non, ſi ex ſola devotione celebraſſet; quia eſt indecens propter impuritatem, ſine cauſa hoc vinum conſecrare: ſi nondum maturæ, invalide conſecravit; quia nondum ſub-

(a) *Vid. Num.* 2.

ſubſtantialiter vinum (a). *In* 2. Vinum fæculentum, item aceſcens, valide conſecratur; manet enim ſubſtantia vini: ſed extra neceſſitatem illicite; quia dedecet dignitatem tanti Sacramenti. In caſu, etſi non potuiſſet diſcernere, an adhuc eſſet verum vinum, an acetum, debebat ſub conditione conſecrare, ſi aliud habere non potuerit, ut Sacrificium eſſet integrum ſaltem dubie: ſi ante Miſſam advertiſſet, debebat non celebrare; exponeret enim conſecrationem periculo nullitatis. *In* 3. Peccavit graviter; erat enim materia dubia; ergo debebat tantum vini ſuperfundere, ut eſſet materia certo valida. *In ultimo* etiam peccavit graviter exponendo ſe periculo transgrediendi præceptum grave de admiſcenda aqua; ergo, antequam conſecraret, denuo parum aquæ affundendum erat.

Caſus III. Æditus ad Altare portat minores hoſtias in capſula lignea dicens Sacerdoti, ut conſecret, quod ipſe facere intendit, ſed fortaſſis non advertens ad capſulam, aut quod extra corporale poſitæ ſint hoſtiæ, pergit celebrare de hoſtiis illis non amplius cogitans; in fine officii Æditus reperiens hoſtias in priori capſula, & loco cogitat non eſſe conſecratas, ideoque cum capſula domum portat: ſub menſa caſu fit mentio de illis hoſtiis, & diſputatur inter Paſtores congregatos, an ſint conſecratæ. Alius Neo-Sacerdos angitur circa guttulas vini calici adhærentes, & micas hoſtiæ minutas, an ſint conſecratæ. Q. *Quid de hoſtiis ad Altare adferri ſolitis? Quid in hoc caſu facti faciendum fuerit? Et quid pro futuro pro ſimilibus caſibus ſatis obviis?*

℞. 1. Si ponantur etiam in corporali non advertente celebrante, non ſunt conſecratæ; quia in ignotum non fertur intentio. *Vid. ſupra* (b). ℞. 2. Si viden-

(a) *Vid. Num.* 4. (b) *Num.* 8.

vidente Sacerdote adferantur in vaſe ſacro non cooperto, cenſentur conſecratæ; quia intentio conſecrandi ab initio habita manet virtualiter, quamvis, dum actu conſecrat, non recordetur niſi illius, quam præ manibus habet. ℞. 3. Si ſint tectæ in calice, vel ciborio poſitæ ſuper corporale, & Sacerdos ex oblivione non detexit tempore conſecrationis, communiſſime cenſentur adhuc conſecratæ; quia manet intentio, & Sacerdos bona fide proceſſit.

Obj. Sacerdos cenſendus eſt tantum habuiſſe eam intentionem, quam licite habere potuit, non enim præſumitur voluiſſe peccare, ſed non potuit licite habere intentionem conſecrandi non detectas, hoc enim eſt peccatum.

℞. *d. m.* Non potuit per ſe, & pro caſu, quo hoc adverteret. *c.* Ex hypotheſi oblivionis inculpatæ. *n.*

℞. 4. Si hoſtiæ ſint poſitæ extra corporale, vel in vaſe non ſacro, videntur non conſecratæ; quia major eſt irreverentia, quod hoſtiæ ſic conſecrentur, quam quod tantum in vaſe cooperto; hinc non ita facile præſumi poteſt, quod intentionem habuerit eas conconſecrandi (a). Attamen ſi intenderit hoſtias præſentes conſecrare, non advertens eſſe poſitas extra Corporale, videntur eſſe conſecratæ: quia Sacerdos bona fide proceſſit; deinde quamvis adverterit eſſe poſitas extra Corporale, potuit tempore oblationis velle aſſumere ad Corporale, quod dein inadvertenter omiſit, hinc manet dubium prudens, an ſint conſecratæ: hoc cum pariter ſit in noſtro caſu, debebat Sacerdos mox ire ad domum æditui, attamen ſine lumine aliisque ſacris veſtibus, hoſtias reverenter aſſumere ad Eccleſiam, in Tabernaculo ponere, ac altera die ſumere poſt ſacrum Sanguinem, vel in alia Miſſa, dum majorem

(a) *Vid. Num.* 10.

rem hoſtiam abſolute conſecrat, has ſimul conſecrare ſub conditione, ſi non ſint conſecratæ: Capſula lignea debebat comburi, cineres ad Sacrarium mitti; quia ſanctificata erat per contactum ſacrarum ſpecierum, ſi hoſtiæ fuerint conſecratæ.

℟. 5. Ad vitandas anxietates Sacerdos faciet intentionem generalem ſemel pro ſemper nunquam conſecrandi hoſtias extra Corporale, vel in vaſe non Sacro poſitas; econtra offerendi, & conſecrandi poſitas in Corporali, & vaſe ſacro, etiam caſu, quo oblitus fuerit detegere. Ad ultimum ℟. Ne guttæ diſperſæ adhæreant lateribus calicis, inclinato paululum calice infundatur vinum, ut vinum, & aqua per partem declivem relabantur absque eo, quod Guttæ aliquæ ſubſiliant. *Cætera vid. ſupra* (a).

Caſus IV. Parochus audiendis Confeſſionibus occupatus rogat Diaconum, ut Communionem diſtribuat, quod & facit. 2. Ex morbo convaleſcens nondum valens celebrare vadit ad Eccleſiam animo ſumendi Euchariſtiam, ſed, cum non inveniat Sacerdotem, ſe ipſum communicat. 3. Audiens aliquem ex ſuis ultra horam diſſitum infirmari, quia æditüus moram facit, currit ſine ſtola, & ſuperpelliceo non ſine gravi periculo reincidentiæ in priorem, imo periculoſiorem morbum. Interea 4. fœmina parturiens incidit in periculum mortis, cumque non adſit Sacerdos, Clericus minoriſta defert moribundæ Euchariſtiam. *Q. Quis ſit miniſter Euchariſtiæ? Et an hi bene fecerint?*

℟. *Ad* 1. Valide, & rite conficiendæ eſt omnis, & ſolus Sacerdos rite ordinatus, qui & ſolus eſt miniſter ordinarius diſtribuendæ (b). *Ad caſum* ℟. Si deficiat Sacerdos, cui committeret, bene fecit: poteſt enim

(a) *Vid. Num.* 9. (b) *Num.* 20.

enim Diaconus ut Miniſter extraordinarius Euchariſtiam miniſtrare ex commiſſione Sacerdotis, ſi adſit neceſſitas. *In 2.* Si abſuerit ſcandalum, bene fecit; idque licet adfuiſſet Diaconus. *Ex Concilio enim Nicæno 1. cap. 4. Si Sacerdoti deferatur viaticum a Diacono, debet ipſe propriis manibus ſe communicare;* ergo & in caſu. *In 3.* pro adminiſtranda præciſe Euchariſtia non debebat valde feſtinanter currere; repugnat enim reverentiæ Sacramento debitæ: attamen feſtinare, quantum patitur decentia. Pro pœnitentia (magis Baptismo) debebat currere etiam non integre veſtitus, etiam cum magno incommodo: ſi crediderit aliter ſe non perventurum, antequam moreretur; quia, licet ſe poſſit per contritionem juvare, hæc tamen eſt multis valde difficilis, ideoque neceſſitas gravis: quod ſine lumine, imo ſtola, bene fecit; quia excuſat neceſſitas: poterat & ob infirmitatem ſuam ire tecto capite, in quo alias eſſe poteſt irreverentia gravis. *In 4.* Cum parturiens non ſuſciperet aliud Sacramentum, potuit ſecluſo ſcandalo eam in munda charta, vel vitro deferre; quia per accidens cauſat gratiam primam, ſic olim factum legitur, & prohibitio non includit caſum tantæ neceſſitatis; debuit autem præire in eliciendis actibus fidei, doloris &c. Interim tamen non eſt practicandum ob conſuetudinem contrariam, & male uſus eſſet ſtola.

Caſus V. Titius alienus Parochus rogatur a domeſticis Petri (ut hi dicunt) in periculo proximo mortis conſtituti, ut Sacramenta miniſtret; quia proprius Parochus jubet domeſticos redire in craſtinum diem. Cajus Communionem diſtribuens videt mulierem acceptam Hoſtiam clam ex ore in ſtrophiolum emittere ad illam inhonorandam; ut ſuſpicatur. *Q. 1. Quænam requirantur ad licite dandam communio-*

nionem? 2. An Titius poſſit, & an teneatur, & quidem cum periculo odii, ac rixarum cum proprio Paſtore? 3. Quoties Parochus ſuis teneatur dare Euchariſtiam? 4. An, & qualiter peccaverit differendo in craſtinum? 5. An Cajus debeat corripere illam perſonam, & eripere ſacram Hoſtiam?

℟. *Ad* 1. Præter ſtatum gratiæ requiritur jurisdictio, vel privilegium, vel licentia ſaltem præſumpta; quia proprium Paſtoris munus eſt paſcere (a). *Ad* 2. Si domeſtici ſint tales, ut videantur plenam fidem facere de vero periculo, ne æger ſine viatico moreretur, tenebatur; quia deficiente Parocho, quilibet Sacerdos, in hujus defectu Diaconus, ex Charitate ſub mortali tenetur, ideoque poteſt ex præſumpta voluntate Epiſcopi. Nec eum liberant rixæ, quas timet cum Parocho. Si vero teſtimonium domeſticorum non elidat opinionem Parochi judicantis, non ſubeſſe periculum, non poterat: alias orirentur nimis magna confuſio, & ſcandala. *Ad* 3. Quoties ſubditi rationabiliter petunt, etiam ex ſola devotione (b). *Ad* 4. Niſi omnino prudenter judicaverit non adeſſe periculum, peccavit graviter contra charitatem, & juſtitiam. *Ad* 5. Non erat publice corripienda; eſt enim in poſſeſſione ſuæ famæ: quid ſi phlegma album ex ore emiſerit? ſi præſenſerit vomitum? Si recordata peccati mortalis putaverit ſe bene facere? Igitur obſervare debebat, quænam eſſet, & dein privatim examinare; ac ſacram Hoſtiam repetere.

Caſus VI. Parochus 1. habet in ſua Parochia pueros, fatuos, ſemifatuos: dubitat an his danda ſit Communio? 2. Scabinus fama publica dicitur Concubinarius, monitus eſt ſæpe a Parocho, ſed ſine fructu, attamen in Paſchate confitetur Religioſo,

(a) *Vid. Caſ.* 8. *de Sacram. in genere.* (b) *Ibid.*

gioſo, & , quia ſerio promittit emendationem, abſolvitur vidente Parocho, qui tamen ei communionem negat: quod idem 3. facit cuidam hiſtrioni, & 4. perſonæ pectore nudo accedenti. *Q.* 1. *Quomodo neceſſaria ſit Euchariſtia? 2. Quibus danda? 3. An bene fecerit Parochus?*

℞. *Ad* 1. Non eſt neceſſaria neceſſitate medii nequidem in voto; ad hoc enim requiritur, ut in re ſuſcepta per ſe cauſaret gratiam primam: eſt neceſſaria neceſſitate præcepti divini, & humani (a). *Primum* obligat omnes adultos etiam non baptizatos. *Secundum* ſolos baptizatos. ℞. *Ad* 2. Non debet dari parvulis uſu rationis carentibus, nec perpetuo amentibus: eſt enim contraria Eccleſiæ conſuetudo. Danda eſt pueris in articulo mortis, ſi ſciant eam diſtinguere a cibo profano, etiam illis, qui in amentiam inciderunt, ſi ante Chriſtiane vixerint. Furioſis, phræneticis, ſi alligati cibum ſumant, & abſit periculum irreverentiæ: ſemifatuis ſæpius, prout prudens judicaverit Confeſſarius (b). *Ad* 3. ℞. 1. Si fama orta ſit ex ſufficientibus indiciis, ita, ut adſit moralis certitudo, bene fecit: nec obeſt, quod ſciverit eſſe confeſſum, aut etiam abſolutum; quia per hoc non deſiit eſſe peccator publicus, donec publice oſtenderit ſe emendatum eſſe. Interim ſi ſimiles moniti ſe non emendent, deferendi ſunt ad Superiorem. ℞. 2. Si hiſtrio ille ſoleat turpes comœdias agere, bene fecit; eſt enim peccator publicus. Pariter, ſi valde ſcandaloſe nuda fuerit fœmina, bene fecit; alias male.

Caſus VII. Parochus vocatur 1, Ad Petrum morti proximum, qui nonniſi de ſuis doloribus loquitur: aſpicit Crucifixum porrectum, ſed moni-

(a) *Vid. Num.* 27. & *P.* 1. *Tract.* 1. *de Leg. n.* 83.
(b) *Num.* 28.

monitus de confeſſione, aut ut ſaltem pectus tundat, ita ſe gerit, ac ſi nihil horum intelligeret. 2. Ad Paulum moriturum, eoquod in ebrietate cæſus ab alio decidendo caput lethaliter vulneraverit. 3. Ad Cajum graviter infirmum non vocatur; adverterunt enim cognati, quod vellet facere Teſtamentum ad cauſas pias; erat enim cælebs, & dives: hinc rogarunt medicum, ut periculum mortis diſſimularet, ſicque ſine Teſtamento obiit, & Sacramento. *Q.* 1. *Quando obliget præceptum divinum communionis?* 2. *Quid cum duobus agere debuerit Parochus?* 3. *Quomodo peccaverint cognati, & medicus, & ad quid teneantur?*

℞. *Ad* 1. Obligat ſæpius in vita, ſicut alia præcepta affirmativa: in articulo, & morali periculo mortis (a). *Ad* 2. ℞. 1. Petrus interrogetur de rebus profanis, ſique apte, & competenter reſpondeat, interrogetur etiam de Sacris; & ſi taceat, præſumendus eſt impœnitens; ſaltem, ſi ſciatur fuiſſe malæ vitæ, ſicque nullo Sacramento dignus. Si dubitetur, an ſit privatus uſu rationis, nec conſtet eum eſſe in mortali, detur viaticum, & unctio ſub conditione; & quia aſpectus Crucifixi eſt ſignum dubium, etiam ſub conditione abſolvatur. ℞. 2. Stante ebrietate plena non potuit abſolvi defectu doloris ſupernaturalis, partis Sacramenti eſſentialis. In dubio, an ſit plena, abſolvatur ſub conditione; ſi conſtet eſſe ebrietatem plenam graviter culpabilem, nullum eſt dandum Sacramentum: præſumitur hoc, ſi ſolitus ſit ſe plene inebriare; alias in dubio non præſumitur, ſicque debet dari viaticum, ſi abſit periculum irreverentiæ, & Unctio extrema; habet ſe enim plene ebrius, ut furioſus, in quo ſufficit intentio implicita. *Ad* 3. R. Medicus peccavit graviter contra Charitatem, & Juſtitiam; quia ex Officio tenetur monere; ideo magis cognati

(a) *Vid. Num.* 29. & 33.

nati eum inducendo. Si dixiſſet, non adeſſe periculum, dolo impediiſſet, & ſic teneretur pro rata ſpei, uti & cognati, ſi ad hoc induxerint.

Caſus VIII. Neo-Parochus vocatus ad infirmos ſæpe angitur: nam 1. Non poteſt diſcernere, an adſit periculum, & ideo danda ſint Sacramenta. 2. Aliquis continuo evomit: & ideo timet dare Communionem. Quam 3. unus per vomitum ejicit, & 4. alter ob ſiccitatem oris non potuit deglutire, ſed tamdiu in ore retinuit, donec conſumpta cum ſaliva deſcenderit. *Q. Quid in his agendum Parocho?*

℞. *Ad* 1. Vocatus conferat viaticum, & unctionem; ac in dubio faciat, quod ratio, & neceſſitas poſtulaverit. Interim non adeo magnum periculum exſpectandum eſt, ut detur Communio non jejuno; dum autem viaticum defertur ad infirmum per urbem, vel pagum, aſſumantur duæ particulæ, ne redeundo homines obvii adorent continens pro contento. Aliud eſt, ſi ferat procul; tunc enim rediens poteſt exuere ſuperpelliceum. *Ad* 2. Petat, an ſoleat ſtatim rejicere omnem cibum, & ſic non detur; uti nec illi, qui per ſeceſſum emittit plane immutatum ob maximam irreverentiam (a). Si nonniſi poſt horam ſoleat ejicere, detur minima pars Hoſtiæ ſacræ, quia intra hoc tempus facile conſumetur. In dubio detur prius pars non conſecrata (b), quam ſi ſervet, detur etiam conſecrata. Si dubium maneat, detur adhuc? quia prævalet fructus certus Sacramenti incerto periculo materialis irreverentiæ. *Ad* 3. Species rejectæ mundentur: ſi velit, poteſt iterum ſumere, ſed non tenetur; communicavit enim per hoc, quod ad ſtomachum trajecerit. Si nemo velit ſumere, aqua diſſipentur in vitro;

(a) *Vid. Num.* 42. (b) *Num.* 28.

vitro; donec conſumantur, & aqua mittatur in ſacrarium. Si ita eſſent immixtæ ſordibus, ut diſcerni nequeant, comburatur totum, & cineres mittantur in ſacrarium. *Ad* 4. Non ſatisfecit præcepto; reipſa enim non communicavit, ideo debet de novo ſumere minimam partem cum liquore, licet hic prius deſcendat.

Caſus IX. Titius in Dominica in albis unam, alteramque guttulam aquæ deglutivit; hæret ergo perplexus, judicans ſe peccare communicando, inſuper & non communicando. 2. Parochus ipſius heri ſero bibendo ſubdubitat, an mediam noctem exceſſerit, attamen probabilius judicat, quod non exceſſerit. *Idem* 3. Viſitans infirmos aromata ori impoſuit, dubitat, an aliquid defluxerit. *Denique* rogatus a Berta per menſes aliquot graviter infirma, ut dominicis diebus det communionem, renuit, eoquod ipſa non poſſit manere jejuna. Q. 1. *Quale jejunium requiratur ante Communionem?* 2. *Quid faciendum fuerit Titio?* 3. *Quid Parocho?* 4. *Et an bene fecerit negando Communionem?*

℟. *Ad* 1. Requiritur naturale (a). *Ad* 2. Si in lotione oris præter intentionem gutta aquæ defluxerit, poteſt communicare (b), non, ſi ſtudio vel minimum ſumpſerit; non enim hic datur parvitas materiæ; Paſcha tunc celebrare poteſt altera die ex præſumpta voluntate Eccleſiæ, ſi ſumpſerit non advertens ad Præceptum Eccleſiaſticum Communionis Paſchalis. *Ad* 3. Poteſt accedente rationabili cauſa: habet enim jus celebrandi, quamdiu ex motivo probabiliori non oſtenditur obſtaculum. Interim heri debebat magis attendere, & in dubio de media nocte ex reverentia abſtinere. *In* 3. Poteſt, etſi aliquid ſalivæ immixtum præ-

(a) *Vid. Num.* 34. (b) *Num.* 36.

præter intentionem defluxerit, *ut ſupra in* 1. *Ad* 4. Male fecit; manente enim eadem periculoſa infirmitate poteſt ſaltem omni octiduo dari; quia pia Mater Eccleſia videtur hoc indulgere: cum tunc maxime indigeat ad vincendas tentationes (a).

Caſus X. Cajus Miſſam dicturus prævie Communionem diſtribuit, cum autem particula adhæreat digitis, hos inadvertenter lambit. 2. Sub Communione ſacra Hoſtia adhæret faucibus, ſicque ablutio prius deſcendit. 3. Mox poſt Communionem exſpuit. Imo 4. Cibum, vel potum ſumit. *Q. Quid ad illa reſpondendum ſit?*

℟. *In* 1. Male fecit: vel enim fuit conſecrata? Sicque eadem die bis communicat: vel non fuit? Sicque ex poſt communicat non jejunus: ideo, ſi conſtet aliquid deglutiſſe, & ſine ſcandalo poſſit, debet Miſſam omittere. *In* 2. Non obeſt, quia eſt una moraliter ſumptio, curandum tamen, ne fiat: & ideo Hoſtia relinquatur parum immota in lingua; ſic enim affluet ſaliva, & facilius decidet. *In* 3. Si conſtet nullum Hoſtiæ fragmentum in ore exiſtere, non peccat; quia ſputa vel ex capite defluunt, vel ex pulmone aſcendunt; non autem ex ventriculo, ubi ſpecies digeruntur. Congruum tamen eſt exſpectare diutius: vel in ſtrophiolum ſpuere. *Ad* 4. Decens eſt, abſtinere a cibo, & potu, ſed non eſt gravis obligatio.

Caſus XI. Cajus Sacerdos 1. cum laicis itineratur, cumque die feſto Miſſam audire non poſſunt, ipſe rogatur, ut celebret, ſed eſt in peccato mortali. 2. Vocatur ex confeſſionali, ut Miſſam legat, quam homines exſpectant, ſed inter audiendas Confeſſiones peccavit graviter. 3. Plene induto, & eunti

(a) *Vid. Num.* 38.

eunti ad Altare incidit Peccatum grave non confeſſum. Q. 1. *An requiratur Confeſſio ante communionem?* 2. *Quid in his potuerit, aut debuerit facere Cajus ante, in, & poſt Miſſam?*

℟. *Ad* 1. Exiſtens in peccato mortali tenetur prævie confiteri, ex verbis Apoſt. *Probet autem ſe ipſum homo*, quæ verba (ut ait Tridentinum) ſemper intellexit Eccleſia de confeſſione Sacramentali (a): eſt præceptum divinum: loquitur enim Apoſtolus in perſona Chriſti, niſi adſit neceſſitas celebrandi, & non poſſit haberi Confeſſarius ſpectatis circumſtantiis. ℟. *Ad* 2. *In* 1. Celebrare de ſe debebat, etiam, ut alii audirent: cum enim ſit Miniſter publicus, qui pro populo, & per quem populus offert, tenetur in defectu alterius offerre. In caſu *per ſe loquendo* tenebatur abſtinere; prævalet enim præceptum divinum de præmittenda confeſſione; ſi per hoc aliis dediſſet ſcandalum, tenebatur celebrare. Idem potuiſſet, ſi incurriſſet ſuſpicionem gravis peccati: imo tenebatur, ſi infamia illius redundaſſet in alios, uti ſi ſit Religioſus. *In* 2. Per ſe tenebatur confiteri; non enim ideo eſt periculum gravis infamiæ, cum plures ante Miſſam confiteantur, de quibus nemo prudens ſuſpicatur grave peccatum. *In* 3. Si fuerint alii præſentes, non tenebatur confiteri, ingeſſiſſet enim aliis ſuſpicionem gravis peccati; in Miſſa tenebatur elicere contritionem de peccato (b): poſt Miſſam tenebatur quamprimum confiteri, licet celebrare non velit (c).

Caſus

(a) *Vid. Num.* 43. (b) *Vid. Num.* 75.
(c) *Num.* 74.

Caſus XII. Virgo ad communionem accedit ſine devotione, & cum peccatis venialibus, quia tamen libenter communicat, rogat Confeſſarium, ut ter in hebdomade permittat. Conjux angitur de debito conjugali pridie communionis. Sacerdos celebrare volens, confitetur, quod priori nocte pollutionem procuraverit. *Q. Quid his reſpondebit Confeſſarius?*

℞. 1. Voluntaria carentia omnis devotionis non impedit quidem effectum primarium, impedit tamen ſecundarium, & multa auxilia actualia (a); ideo devotio per meditationes, pia ſuſpiria, actus fidei &c. excitanda eſt: hoc, quia non facimus, frigidi manemus ignem manducantes. 2. Eſt venialis irreverentia accedere cum actuali veniali, nulla cum habituali tantum. 3. Interroget virginem, cur tam frequenter communicare velit? Quomodo ſe præparet? Videat, an inde proficiat præſertim in Charitate (b)? Alias non permittat adeo frequentem communionem, ſicut nec pueris, niſi ubi ſpecialiter ſe præpararunt. 4. Conjugi dicat, ut, ſi non ita frequenter communicet, maritum roget, ut abſtineat in honorem feſtivitatis: ſi inde timeantur rixæ, vel offenſæ, reddat; quia implet opus ex juſtitia debitum. Sacerdoti dicat; ut, ſi poſſit, a Miſſa abſtineat iſta die ob reverentiam Sacramenti (c).

Caſus XIII. Titius 1. Miſſas legit, ut habeat, unde vivat. 2. Vovit legere Miſſam omni die Sabbati; dubitat, an pro hac poſſit accipere ſtipendium. 3. Accepit quinque Miſſas legendas pro defuncto patre petentis; ſed ille intellexit, & legit pro matre adhuc vivente. 4. Petitur Miſſa ad intentionem, ſed, ut citius ſe expediat, legit de Re-

(a) *Vid. Num.* 30. (b) *Num.* 51. (c) *Num.* 42.

Requiem. 5. Petitur Miſſa ad Altare privilegiatum pro defunctis parentibus, 6. Altare ibidem pro ſorore nuper defuncta; ſed ille legit alibi. *Q. Quid ad hæc reſpondebit Theologus?*

℞. *Ad* 1. Si primarius finis ſit pecunia, peccat graviter: ideo debet 1. Deum velle colere per ſacrificium, & hac via habere, unde vivat. *Ad* 2. ſi voverit, ut ſe excitet ad devotionem in B. V, poteſt: ſi in gratiarum actionem pro accepto beneficio; ſi pro animabus in purgatorio &c. non poteſt; quia cenſetur voviſſe Miſſam diſtinctam, ac debitam ex juſtitia. *Ad* 3. Miſſæ ſine dubio profuerunt animæ patris: ſi vere voluit ſatisfacere intentioni petentis, cui non oberat error ille accidentalis. *Ad* 4. Male facit; nec ſatisfacit obligationi quoad ſubſtantiam, cum ritum gravem Eccleſiæ ex levitate animi immutet. *Ad* 5. Non videtur peccaſſe ſaltem graviter: quia privilegium illud ad Altare ſolet dari pro uno, vel una defuncta; non pro pluribus; hinc legendo pro pluribus non poterat illis hoc privilegium applicare; de quo oportet monere dantem ſtipendium. In ultimo, ſi commode potuerit, peccavit graviter, nec ſatisfecit ſuæ obligationi (a); tenebatur enim legere in privilegiato, & quidem de requiem, ſi rubricæ permittant, ut declaravit Congregatio; alias de feſto, addendo collectam pro defuncta, exceptis feſtis primæ claſſis (b) ut volunt aliqui. Probabilius tamen collectæ additio in Miſſis de duplici, & æquivalenti non requiritur ad lucrandas in Altari privilegiato indulgentias plenarias; quia Alexander VIII. & Clem. IX. in Brevi a Clem. XI. approbato nullam faciunt mentionem additionis Collectæ pro defunctis faciendæ, quod fieri deberet, ſi hæc pro indulgentiis lucrandis requireretur.

(a) *Vid. Num.* 75. (b) *Vid. Num.* 74.

Caſus XIV. Sacerdos 1. De diverſis eadem die quinque acceptavit ſtipendia. 1. Pro felici morte hominis vix ultra duos dies ſupervicturi. 2. Pro felici partu jamjam imminente. 3. Pro recuperanda ſanitate periculoſe decumbentis. 4. Pro defuncto. 5. De B. Virgine in gratiarum actionem. 2. A quadam Virgine acceptavit 50. Miſſas pro felici morte legendas; quibus intra medium annum vix ſatisfaciet. 3. Solet pecuniam accipere pro Miſſis, quas transfert in alios pro libris, aliisque mercibus. *Q.* 1. *Quænam dilatio Miſſæ ſit mortalis?* 2. *An, & qualiter in his peccaverit Sacerdos?*

℟. *Ad* 1. Non poteſt dari regula generalis, ſed attendenda eſt mens rationabilis dantis ſtipendium, quæ diverſa eſt juxta diverſitatem finis intenti. Miſſæ pro defunctis circa peccatum grave non poſſunt differri ultra menſem circiter: pro imminente neceſſitate ſæpe non ultra unam, vel alteram diem (a). Hinc ℟. *ad caſum in* 1. peccavit graviter ſuſcipiendo onera miſſarum pro tribus prioribus neceſſitatibus eodem quaſi die concurrentibus: hinc debet alteri dare ſtipendium, & curare, ut mox legantur. *In* 2. Si virgo illa certo ſciat, Sacerdotem aliunde miſſis magis urgentibus gravatum, non peccat differendo; jam enim prudenter præſumitur, in tantam dilationem conſentire, præſertim, cum ſciat, ſibi adhuc vegetæ nullum ſpirituale damnum imminere. Idem eſt, dum communitati religioſæ offertur magnus præſertim miſſarum numerus; non cenſetur enim velle, ut ſtatim continuo legantur, cum ſciant, Communitates habere ſuas quotidianas obligationes, ſive ex fundationibus, ſive ex ſtipendiis prius acceptis. *In* 3. Res eſt valde periculoſa; ſæpe enim Miſſæ differuntur, imo omittuntur, dum merces indifferenter dantur ſacerdotibus. Item, ſi ex ven-

(a) *Vid. Num.* 68.

venditione mercium accipiat plus, quam ſtipendium acceptum, illicitum eſt, & reſtitutioni obnoxium. Idem videtur, dum merces non gratæ, minus utiles offeruntur, attamen acceptantur ex carentia ſtipendiorum; acceptans enim habet jus ad totam pecuniam, quæ data eſt pro ſolo celebrante. In praxi proin cavendum omnino a tali mercatura.

Caſus XV. Cajus fundavit hoſpitale, ut ibidem pauperes iſtius loci alerentur, & ſingulis diebus Miſſa legeretur; cum autem excreſcente pauperum numero proventus non ſufficiant, ab aliquot annis tantum diebus dominicis, & feſtis Miſſa celebrata eſt. *Q. An recte, & quid agendum?*

℟. Non recte: adminiſtratores tenebantur curare Miſſam quotidie, & quod ſupererat bonorum, adhibere pro pauperibus. Interim conſulere debent loci Epiſcopum, & ipſius mandato ſe conformare.

Caſus XVI. Titius raro celebrat, tum quia pluribus eſt occupatus negotiis, tum quia ſæpe in ſe non ſentit devotionem. *Q. Quoties teneatur Sacerdos celebrare, & an bene faciat Titius?*

℟. *Primo.* Omnis Sacerdos vi Sacerdotii tenetur celebrare ſub mortali ſaltem in ſummis Eccleſiæ feſtivitatibus ad minus quater aut quinquies in anno; ita communiſſime Theologi, vi autem legis Eccleſiaſticæ ulterius etiam in diebus dominicis, aliisque feſtis. Vid. n. 82.

℟. *Secundo.* Laudabile eſt frequenter imo quotidie celebrare; hoc ſolide ad longum probat Papa Bened. XIV. in Comment. de Sacrificio Miſſæ. Ex quo

℟. *Tertio.* Laudandus ideo non eſt Titius: S. Bonaventura dicit: *qui non celebrat, quantum in ipſo eſt,*

privat Deum laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpeciali beneficio, ſe ipſum medicina contra peccata quotidiana.

Nec obeſt, quod plurimis ſit occupatus, ſuppono utilius, aut quod non ſentiat devotionem; ſatis eſt, quod poſt diſcuſſam diligenter conſcientiam moraliter ſit certus, ſe eſſe in ſtatu gratiæ. Sæpe homo frigide vadit ad altare, ubi creſcit devotio, quæ non conſiſtit in ſenſibili cordis compunctione, vel lachrymis, quod eſt valde incertum ſignum. Interim religioſi, qui ex obedientia, Eccleſiaſtici, qui ex alia cauſa quaſi indies celebrant, ſedulo curent, ut per quotidiana exercitia, qualia ſunt meditatio, recollectio, examen conſcientiæ præſertim particulare, & lectio quotidiana libri ſpiritualis, affectus omnes inordinatos exuant: qui in his diligenter ſe occupant, facile erunt, & qui ſe non occupant, vix erunt in ſtatu quotidie celebrandi. Qui aliis utilibus multum eſt occupatus, breviter ſe præparet devoto cordis affectu invocando Beatiſſimam Virginem, ejus dignitatem pro ſe Chriſto pia ſimplicitate offerat, eſtque hæc tutiſſima via digne celebrandi, ut ajunt SS. PP. Idem eſt de communione laicorum.

Caſus XVII. Cajus *Primo* vix unquam ante Miſſam orat matutinum cum laudibus. *Secundo* dum ſe ſacris veſtibus induit, præſcriptas omittit oratiunculas, imo nunc hunc, nunc illum alloquitur. *Tertio* in Miſſa voluntarie diſtrahitur. *Quarto* rubicas Miſſalis parum curat, quia ignorat. *Denique* omnia in eodem tono recitat. *Q. An, & qualiter peccet?*

℟. *Ad primum:* ſi non nimis ſero celebret, per ſe loquendo ſaltem non peccat graviter, imo nullo modo,

modo, ſi gravis ſubſit cauſa. *Ad ſecundum:* peccat venialiter omittendo; dum autem intergarrit, prout frequenter fieri videmus, ſatis oſtendit, cum qua devotione accedat tremendum Miſſæ Sacrificium. *Ad tertium:* diſtractio voluntaria extra Canonem eſt peccatum veniale, ſub Canone per notabile tempus videtur mortale; tum quia Sacrificium eſt actus Religionis excellentiſſimus; tum quia vix aberit periculum errandi. Adhibenda eſt in omnibus conveniens attentio, & devotio; non eſt tamen obligatio eliciendi affectus, quos verba indicant; Miſſa enim absque eo eſt oratio, & actus Religionis: ſic dicendo V. G. *Credo*, non tenetur elicere actus internos fidei, ſatis eſt dici devote.

Ad quartum. ℟. *Primo:* Eſt peccatum ex genere ſuo mortale negligere Rubricas Miſſalis; quia Pius V. in virtute ſanctæ Obedientiæ præcepit omnibus, ut Miſſam juxta ritum, & formam, quæ in Miſſali habetur, decantent, & legant, neque in Miſſæ celebratione alias ceremonias, vel preces addere, vel recitare præſumant: interim a mortali excuſat levitas materiæ, imo ſine peccato dici poſſunt ſecreto magis, & mentaliter quædam orationes jaculatoriæ breves. Hinc

℟. *Secundo.* Omnes presbyteri præſertim ab initio omnem adhibere debent operam, ut rubricas Miſſalis, ritus, & ceremoniaa perfecte calleant, & exacte quælibet etiam minima obſervent ſcientes, maledictum vocari eum, *qui facit opus Dei negligenter* Jerem. 48. Opus Dei per excellentiam eſt ipſum tremendum Miſſæ Sacrificium. Experientia conſtat fideles ad pietatem, & devotionem excitari, ſi videant ſacerdotem cum reverentia, & gravitate Miſſam celebrare, dum contrarium videntes ſcandalizantur, ac paulatim in devotione, imo fide viva deficiunt. Singulariter caveat ſacerdos, ne dum ſe vertit ad popu-

lum, dicendo V. G. *Dominus vobiſcum:* oculis vagetur.

Ad ult. ℞. Aliqua debent dici alta, alia ſubmiſſa, alia media voce; ſic enim vult Eccleſia gravibus cauſis adducta. Canon, & verba Conſecrationis dici debent ſubmiſſa voce, quæ autem ſecreto dicenda ſunt, ita pronuntiet ſacerdos, ut ipſemet ſe audiat, & a circumſtantibus non audiatur: media voce recitantur, *Orate fratres*, *Sanctus*, *Nobis quoque peccatoribus*, *Domine non ſum dignus*, hæc quatuor verba tantum. *V. ſupra. Q. 9. n.* 101. *reſ.* 12. Circa illa, quæ alta voce dicenda ſunt, cavendum eſt, ne nimia vocis elatio turbet alios celebrantes; ſatis eſt, ſi adſtantes attenti vocem percipere poſſint. Finaliter notandum: non ſufficit rubricas bene diſcere; ſæpius attente relegendæ ſunt, juvat etiam attendere aliis, qui exacte peragunt ſed omnia.

Caſus XVIII. Titius juvenis ſacerdos in exequiis Miſſam, quantum poteſt accelerat, ne ab aliis Sacerdotibus exſpectantibus objurgetur, quorum aliqui pro præmio certant, quis celerius Miſſam legat. Q. 1. *Quantum temporis debeat impendi Miſſæ?* 3. *Quid de acceleratione?*

℞. 1. Non poteſt dari regula generalis, unus eſt altero expeditior: Miſſæ privatæ ordinarie impendi debet media circiter hora, ut dicunt communiter; hoc enim temporis ſpatium ſufficit, & minus eo non ſufficit ad omnia cum debito decore, & devotione peragenda. Abſurdum eſt operi diviniſſimo ad mediam horam non velle immorari; aliqui adeo feſtinanter rem divinam perficiunt, ut grave ſcandalum dent populo. Attamen vitanda etiam eſt nimia prolixitas ſub memento, & ſub meditatione poſt ſumptum ſacrum Corpus, quæ audientes tædio afficit. *Pietati habe-*

habenæ laxandæ ſunt in cubiculo, vel ſacriſtia pro præparatione, & gratiarum actione. Ita ex S. Philippo Nerio monet Benedict. XIV. ℟. 2. Accelerare Miſſam per ſe eſt veniale, niſi ſyllabæ ita abſorbeantur, ut ſenſus notabiliter mutetur, vel adſit ſcandalum; ſi quandoque ſit cauſa ſolito citius celebrandi, lucrum temporis quæratur ſub utroque memento, omittantur privatæ devotiones, & non ſiſtatur inter actiones; vaniſſimum autem eſt quærere gloriam in legenda celeriter Miſſa: ſunt ſacerdotes ait *Benedictus XIV.* qui dum ſe apud nobiles pro ſacellano commendant, inter merita hoc exponunt, quod paucis minutis Miſſam expediant.

Caſus XIX. Parochus in ſolemnitate cantans Miſſam, dum alius concionem habet poſt *Credo*, ille veſtes deponit ſacerdotales, & domum vadit, videns, an omnia in culina ſint parata. *Q.* 1. *An Miſſa poſſit interrumpi? 2. Quid ad Caſum?*

℟. 1. Non licet per ſe, & ſine gravi cauſa interrumpere Miſſam ſive poſtea perficiendam ſive non; Miſſa enim eſt una actio totalis, quæ debet ſine interpolatione fieri. ℟. 2. Interrumpere Miſſam poſtea perficiendam licitum eſt ob concionem, promulgationem edictorum, ſolemnitatis, Profeſſionis Religioſæ &c. Ita praxis Eccleſiæ. ℟. 3. Interrumpi poteſt, & debet etiam poſt conſecrationem ad baptizandum infantem periclitantem, abſolvendum moribundum, de quo ſupra. ℟. 4. Si Sacerdos prævideat ſibi ſuperventuram vertiginem, vel aliam paſſionem, quæ ſit impeditura ſumptionem, poteſt ſtatim, ac completa eſt conſecratio, ſumere; quia ſumptio ſacrificii eſt de jure Divino: ergo prævalet inſtitutioni Eccleſiæ de præmittendis, quæ intercedunt conſecrationem inter, &

& communionem, & quamvis poſtea non ſuperveniret, non debet turbari, ſufficit, quod probabiliter timuerit, nec omiſſa debent poſtea ſuppleri: eſſet enim inordinatio. ℞. 5. Parochus peſſime fecit deponendo veſtes ſacras, pejus exeundo ex templo; quia, quoad fieri poteſt, debet manere moraliter in celebratione.

Caſus XX. Sacerdos ſumendo calicem advertens loco vini aquam fuiſſe affuſam, curat ſibi affundi vinum, illudque conſecrat, dicendo: Hic eſt enim &c. Parochus ruralis celebrans die feſto ſub Miſſæ ſacrificio graviter infirmatur, incidit in animi deliquium, vel moritur. *Q. An in primo bene; & quid agendum in ſecundo.*

℞. *Ad* 1. Ut Caſus jacet, valde male: tria enim per ſe loquendo commiſit peccata gravia: 1. Non infundendo aquam vino conſecrando, niſi reſidua fuerit in calice. 2. Non præmittendo oblationem mentalem, idem eſt, dum propter oblivionem aqua infunditur poſt offertorium. 3. Non incipiendo a verbis *ſimili modo;* quamvis enim non ſint de eſſentia, eſt tamen grave omittere. *Ad* 2. ℞. 1. Si ante conſecrationem deficiat, Miſſa omittitur; quia ſacrificium nondum eſt ſubſtantialiter inchoatum; alius ſacerdos Miſſam lecturus eandem materiam adhibeat a priore celebrante oblatum, & cum ea Miſſam celebret. ℞. 2. Si poſt conſecrationem corporis ante conſecrationem ſanguinis, vel utroque valide conſecrato fiat impotens, aut moriatur, Miſſa per alium ſacerdotem, qui necdum illa die conſecravit, & eſt naturaliter jejunus, ſi haberi poſſit, expleatur, idque ex præcepto divino graviter obligante incipiendo ab eo loco, ubi alter deſiit, & tunc ex utraque perſona juxta Concilium Toletanum unus moraliter Miniſter

Chri-

Chriſti componitur. ℟. 3. Si naturaliter jejunus, vel alius expeditus haberi non poſſit, per non naturaliter jejunum, quin & per eum, qui eadem die celebravit, aut per quemcunque alium, dummodo ſe diſponat, id fiat, ſi alioquin Miſſæ ſacrificium deberet manere imperfectum; quia prævalet præceptum de perfectione ſacrificii. ℟. 4. Si non obierit, & poſſit ſumpto etiam juſculo revocari, ipſe compleat, præceptum enim, ut ſit idem, prævalet præcepto jejunii; ſi ipſe complere non poſſit, ſacerdos ſupplens dividat hoſtiam ab infirmo conſecratam, & partem det infirmo, aliam ipſe ſumat. ℟. 5. Si infirmus hoſtiam ſimul, & ſanguinem a ſe conſecratum ſine effuſionis periculo ſumere poſſit, id fieri debet, & ſecundum varios Miſſa non eſt explenda per alium, & omnes aliæ preces omittendæ. ℟. 6. Si intra tempus notabile, vel ut loquitur *Benedict. XIV.* ante meridiem alius Sacerdos haberi non poſſit, laicus etiam paratus non poſſet ſumere hoſtiam, minus ſanguinem, ſed in tabernaculo erunt recondenda, ut altera die celebrans ſumat poſt ſanguinem a ſe conſecratum. ℟. 7. Si impotens utramque ſpeciem conſecravit, & unam tantum ſumpſit, ſupplens alteram tantum debet ſumere; ſi neutram ſumpſit, debet ſumere utramque, ſi panem tantum conſecravit, ſufficit, ut ſupplens ſolum vinum conſecret, & utrumque ſumat. ℟. 8. Si Parocho facto impotente ſuppleat Vice-Paſtor, & ablutionem non ſumat, ut maneat naturaliter jejunus, poterit poſtea Miſſam ordinariam legere, ut reliquus de pago populus Miſſam audiat alioquin non auditurus in caſu neceſſitatis, & ex præſumpto prudenter conſenſu Epiſcopi, non autem mere ob devotionem, vel ut V. G. ſepeliat defunctum; quia per ſumptionem Corporis, & Sanguinis Chriſti per ſe amiſit jus celebrandi, & iterato communicandi.

di. Denique, ſi ponatur caſus, quod celebrans inchoato indubie Canone inveniatur mortuus, maneatque prudens dubium, an ante, vel poſt conſecrationem ſit mortuus, incipiat ſupplens a Canone *Te igitur Clementiſſime &c.* & ſub conditione conſecret eandem hoſtiam & calicem, de quibus eſt dubium, & pergat usque ad finem Miſſæ, vel ſupplens inchoet Miſſam ab initio, novamque hoſtiam, & novum cum aqua vinum, ſi ſit æquale dubium apponat in alio calice, & conſecret, intendatque conſecrare abſolute, de quibus conſtat, non eſſe conſecrata, conditionate, de quibus eſt dubium.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS

RERUM, ET MATERIARUM IN HAC PARTE TERTIA CONTENTARUM.

In quo Numerus paginam, Littera V. Vide denotat.

A.

Ablutio baptiſmalis a quo fieri debeat 227. qualis & cui parti applicanda 228. an per immerſionem, vel affuſionem 229. quid de occiſiva 230. quid ſi mater in partu moriatur 237 ſeq. V. *Baptiſmus.*

Abortus an baptizandus 238.

Abſolutio a peccatis num licite conferatur ſub conditione 218. a cenſuris ex metu num valida 14.

Acceptatio qualis requiratur ad contractum 5. qualis ad promiſſionem 41. quid de acceptante in fraudem creditorum peccuniam ſibi donatam 67 ſeq. aut ad debitum alteri procurandum 68. V. *Contractus. Promiſſio.*

Accuſationis via quando in judiciis procedatur 159. quinam teneantur alios accuſare 163.

Actio quanti minoris quid 9.

Actuarius. V. *Notarius.*

Adul-

Adultus quando debeat ſuſcipere baptiſmum 243.

Advocatus quis 167. num peccet defendendo cauſam injuſtam ibid. ſeq. 170 ſeq. quid ſi non poſſit clienti ſtatim ſervire 168. num & quando poſſit acceptare a cliente pecuniam 35 ſeq. num convenire de parte litis pro ſtipendio 168.

Alearum ludus quid, & an licitus 118 ſeq.

Altare fixum & portatile qutd 344. quando amittat conſecrationem 345. quomodo debeat eſſe ornatum ibid. ſeq. V. *Miſſa.*

Amentes quæ ſacramenta valide ſuſcipiant 202. V. *Sacramentum.*

Ancilla. V. *Famulus.*

Angeli num ſint miniſtri ſacramentornm 186. V. *Miniſter.*

Animæ purgantes num ſint capaces fructus ſacrificii miſſæ 333.

Antichriſios contractus quid, & an licitus 63.

Applicatio miſſæ qualis requiratur & ſufficiat in celebrante 319. quidſi nulli ibid. vel incapaci applicetur ibid. ſeq. quando fieri debeat applicatio 320. an valeat facta ſub conditione 321. num liceat eam anticipare ibid. quid ſi mutetur, & ſecunda ſit contraria primæ ibid. quid ſi ſubditus applicet contra voluntatem ſuperioris, aut poſt mortem relinquat miſſas neglectas 320. V. *Miſſa. Sacerdos.*

Aqua an & in qua quantitate vino conſecrando miſcenda 275. congelata an differat ſubſtantialiter a non congelata 182. quæ ſit materia valida baptismi 226. V. *Baptiſmus. Euchariſtia.*

Arti-

Articulus mortis in quo differat a periculo mortis 293. V. *Communio.*

Artifices num licite conveniant de non perficiendo opere ab altero incepto, aut de pretio pro docenda arte 89. V. *Monopolium.*

Aſſecuratio quid, & quomodo differat a fide-juſſione 115. pro pretio an & quando licita ibid.

Aſſeſſor in judicio quis 168. num poſſit revelare litiganti ſtatum cauſæ 170 ſeq.

Aſtutiæ num licitæ in ludo 120 ſeq. V. *Ludus.*

Attentio quid, & quæ requiratur in miniſtro Sacramentorum 192 ſeq.

B.

Baptiſmus Flaminis quid 252. ſanguinis quid ibid. ſeq. fluminis quid 225. materia ejus remota 226. 255. quæ proxima 227 ſeqq. forma 231 ſeqq. 256. quæ in hac eſſentialia 231. quid ſi omittatur particula *in* ibid. ſeq. vel repetatur 256. quid de baptiſmo in nomine Jeſu collato 232. quis miniſter 233 ſeqq. 257. num licite recipiatur ab hæretico 236. quid ſi duo ſimul eundem baptizarent, vel unus ſimul plures 257. aut ſi baptizes puerum ab alio in aquam projectum 228. aut ſubmittas aquæ tecto defluenti ibid. quid de clerico nondum diacono, ſi ſolemniter baptizet 234 ſeq. quomodo peccet baptizans ſine licentia parochi 235, ſubjectum baptiſmi 236 ſeqq. quomodo hoc debeat eſſe diſpoſitum 204 ſeq. num ſit iterabilis 240 ſeq. collatus ab hæreticis, vel obſtetrice num repetendus 241. 258. quando iterandus ſub conditione 241. ad quid teneatur, qui rebaptizatur ſub conditione 242. ficte ſuſceptus num reviviſcat 209. 224. & quid ad hoc requiratur

tur 210. 224 ſeq. quomodo neceſſarius 242. quos cauſet effectus 244. num licite conferatur extra Eccleſiam 245. 259 ſeq. aut ſine ceremoniis 245. num invitis parentibus 239. V. *Ablutio. Aqua. Diaconus. Infantes. Obſtetrix.*

Beata Virgo an indiguerit baptiſmo 244.

Beneficiatus an propria authoritate poſſit minuere numerum miſſarum 330. alteri committens miſſam vi ſui beneficii legendam num teneatur ad ſtipendium extraordinarium 325. num poſſit teſtari de reditibus ſuperfluis 144. V. *Miſſa. Stipendium. Teſtamentum.*

Bonitas rei quotuplex 52. V. *Mutuum.*

C.

Cambium quid 97. quotuplex ibid. an cuilibet licitum 99. an liceat ex eo quærere lucrum 98. 126. an etiam ob majorem pecuniæ valorem in uno, quam alio loco 99. quid de cambio temporali, vel francofurtenſi 100.

Campanæ benedictæ efficacia 213. V. *Sacramentalia.*

Carceris effractio an licita Reo & proximis conſanguineis, ut eum liberent 166. V. *Reus.*

Catholicus num licite agat patrinum prolis natæ ex parte hæretica 247. V. *Patrinus.*

Cauſæ quæ a judice præferendæ 158. V. *Judex.*

Cenſus quid & quotuplex 91 ſeq. 122. an licitus 93. 122 ſeq. quid de prohibitione Pii V. in hac materia 94. 123. num poſſit fundari in re aliena 94. aut non fructifera 95. quid ſi res cenſui ſubjecta pereat ibid. ſeq. num cenſui licite addatur pactum commiſſorium 96. quid de cenſu vitalitio ibid. ſeq.

num licite creetur cenſus ex penſionibus non ſolutis 123.

Ceremoniæ quid 210, earum variatio aut omiſſio quale peccatum 211. ceremoniæ baptismi 249 ſeqq. confirmationis 262 ſeq.

Cerevisia an materia ſufficiens baptismi 215. 226.

Character quid, & quæ hujus ſignificatio 175.

Chyrographum num minoris emi poſſit, quam contineat 79 ſeq. V. *Emptio.*

Ciborium num debeat eſſe conſecratum 347. quoties, quando & quomodo renovandum 287 ſeq. V. *Miſſa.*

Clericus num teneatur ſequi forum civile ſi hoc juraſſet 30. num poſſit fidejubere de reditibus ad ſuſtentationem pertinentibus 113. quomodo ipſi prohibita negotiatio 89 ſeq. an poſſit negotiari per alium 91. V. *Contractus. Fidejuſſio. Negotiatio.*

Codicillus quid 133. quæ hujus forma 140.

Commodatum quid 48. 68. ad quid teneatur commodans 49. ad quid commodatarius ibid. 68. ex qua culpa teneatur 68. quid ſi hic re commodata aliter ac conventum ſit, utatur 48 ſeq. an in pari periculo res ſuas præferre poſſit commodatis 68.

Communio an, quomodo & quando ſit præcepta 291 ſeqq. 364. 365. frequens an ſuadenda, vel permittenda 309 ſeq. 370. ſub utraque ſpecie an neceſſaria 311. an poſſit dari laico 312. an cauſet majorem gratiam ibid. V. *Euchariſtia. Viaticum.*

Conductio quid 101. ad quid obligetur conductor 102. an debeat facere expenſas in re conducta ibid. num poſſit detrahere de penſione expenſas, quas facere debuit 103. num ſolvere penſionem debeat, ſi impediatur ab uſu rei conductæ 102. aut ſi nihil recipiat ex re conducta 104. an majorem, ſi recipiat fructus extraordinarios ibid. ex qua culpa tenea-

tur de damno 103. 126 ſeq. quid ſi conduxerit quis famulum, cujus opera ex poſt non indiget 103.

Confeſſarius in ſtatu peccati mortalis excipiens confeſſiones an peccet 194 ſeq. quid ſi advertat ſe eſſe invalide baptizatum 259. ſi de abſolutione data dubitet 215 ſeq. ſi pœnitentes paſſim, dum peccata non ſatis certa adferunt, vel de eorum diſpoſitione dubitat, ſub conditione abſolvat 217. num peccet ſuper indiſpoſitum proferens formam abſolutionis ſine animo abſolvendi 201. aut dicens occulte: te non abſolvo ibid. num poſſit negare ſacramentum illi, quem ex confeſſione novit indignum 198. 222. num licite annotet ultimam teſtatoris voluntatem animo eam indicandi hæredibus 139. quid ſi infirmus ipſi depoſuiſſet marſupium in ordine ad reſtitutionem 70. quid ſi in præjudicium hæredum ſuadeat legata pia 148 ſeq. num licite Reo fugam conſulat, aut ad hanc inſtrumenta præbeat 167.

Confeſſio an requiratur ante communionem 303. 218. 369.

Confirmatio quid 261. ejus materia ibid. cui parti corporis applicanda 262. 268. ejus forma 262. quid de ceremoniis ejus ibid. ſeq. Subjectum ejus 265. 268. ejus miniſter 263 ſeq. an ſit obligatio hoc ſacramentum ſuſcipiendi 265 ſeq. diſpoſitiones requiſitæ & effectus ejus 302. quid de patrino 262 ſeq.

Conjuges in mortali contrahentes quomodo peccent 194. ante Communionem num abſtinere debeant a debito conjugali 302. 370. *Euchariſtia. Miniſter.*

Conſecratio. V. *Euchariſtia.*

Conſenſus quis legitimus 5.

Contractus quid 1. 31. quotuplex 2. 16. 31. qualem pariat obligationem 3, qualis ad eum requiratur conſenſus ibid. 31. num animus ſe obligandi aut im-

implendi 4. quid ſi fiat per procuratorem 6. quando fiat ſub Cauſa & Demonſtratione, cum die & modo 15. 34 ſeq. quid de conjunctivo & disjunctivo 16. quid de conditionato ibid. ſeqq. quid ſi conditio foret turpis aut impoſſibilis 17. ſeq. quæ ſit materia contractus 24. de re turpi num validus ibid. ſeq. 35. ſeq. hic num pariat obligationem ſi unus partem ſuam poſuerit 25 ſeq. an contractus firmetur juramento, ſi ſit invalidus 27 ſeqq. 36 ſeq. quinam contrahere poſſint 20. ſeq. V. *Error.*

Curatoris obligatio erga minorennem 20.

D.

Damnum emergens an & quando excuſet ab uſura 60. V. *Uſura.*

Denuntiatio juridica quando fiat 159. V. *Accuſatio.*

Depoſitum quid 49 ſeq. 69. Depoſitarius an uti poſſit re depoſita 50 ſeq. quid poſſit, vel non poſſit circa depoſitum 69. an teneatur ex caſu fortuito 51. quid ſi depoſitum apud Religioſum pereat ibid. ſeq. ad quid teneatur deponens 69.

Devotio actualis an requiratur in ſucipiente Sacramentum 205.

Diaconus in mortali baptizans an, & quomodo peccet 194. an & quando poſſit ſolemniter baptizare 234. 257. an in baptismo adhibere chrysma 245. num diſpenſare Euchariſtiam 285. 361 ſeq. & quas tunc adhibere debeat veſtes 289. V. *Baptismus. Ceremoniæ. Euchariſtia. Miniſter.*

Diſtractio voluntaria ſub miſſa quale peccatum 192. 353. 374 ſeq. V. *Attentio.*

Diſtribuens Euchariſtiam in mortali quomodo peccet 195. V. *Miniſter.*

Dolus quid 6. an irritet contractum 7. aut illum faciat reſcindibilem 9. ſeq. 32. V. *Contractus. Error.*

Dominorum obligatio erga famulos 106 ſeqq. 128. V. *Salarium.*
Donatio quid 44. 67. quotuplex 44 ſeq. an & in quibus caſibus ſit revocabilis 46. mortis cauſa quomodo firmetur 140. quid de donatione omnium bonorum 45 ſeq.

E.

Ebrius num valide contrahat 21. quid ſi ſe inebriaſſet ex intentione contrahendi 5. V. *Contractus.*
Eccleſia quot modis polluatur 339 ſeq. num per mortem cauſatam ex veneno, num per actum conjugalem 340. num violata Eccleſia violetur altare ibid. vel cœmeterium ibid. quando execretur 342. Eccleſia annullando matrimonium claudeſtinum num mutarit materiam Sacramenti 182. V. *Materia.*
Effectus Sacramentorum 206 ſeq.
Electio in contractibus disjunctivis penes quem 16. V. *Contractus.*
Elocatio. V. *Locatio.*
Emphytheuſis quid & quotuplex 108. ad quid teneatur Emphytheuta 109. num hic perdat Emphytheuſin, ſi canonem debito tempore non ſolvat ibid. num ad hunc teneatur pereunte re ibid. 129. quid ſi profiteatur in religione 130. ad quid teneatur dominus directus 109. num poſſit augere laudemium ibid. 129.
Emptio & venditio quid 73. 122. quæ & qualis ſit iniqua 74. quid de emptione rei furtivæ, aut pro pretio furtivo 86. V. *Mercatores. Pretium. Venditio.*
Epiſcopus excommunicatus num valide confirmet 264. num licite extra Diœceſin ſuam ibid. num poſſit dare licentiam celebrandi in oratoriis 342.
Error quotuplex, & quis irritet contractum 6. 32. quando cenſeatur eſſe circa qualitatem 7. quid ſi dubitetur an fuerit ſubſtantialis 8. accidentalis an & quan-

quando faciat contractum reſcindibilem 9 ſeq. 32. error in demonſtratione num invalidet contractum 16. 34 ſeq.

Euchariſtia quid 271. an Sacramentum ibid. ſeq. num remoto obice reviviſcat 209. ejus materia 272. 357. an panis ex fabis, vel ex tritico aliis granis permixto 272. num azimus & fermentatus 273. quid de vino albo, hiſpanico, ex pomis expreſſo 274. quid de acetoſo, congelato, fæcibus infecto ibid. 358 ſeq. quid de muſto ibid. aqua an vino miſcenda 275. 358 ſeq. quomodo materia debeat eſſe præſens 276. num debeat videri ibid. quomodo determinata 277. quid ſiquis ex multis aliquot indeterminatas vellet conſecrare hoſtias ibid. aut putans ſe habere unam, habeat duas ibid. vel ſi inſcio ſacerdote ſit appoſita ibid. vel de appoſitis ſub conſecratione non cogitet 278. 216 ſeq. 359 ſeq. num una ſpecies licite conſecretur ſine alia 281. qualiter Chriſtus ibi præſens 282. quamdiu maneat præſens 284. quæ ſit forma conſecrationis 280. quomodo profeſeranda ibid. quid per Ly *hoc* & *hic* demonſtretur 281. miniſter hujus 361 ſeq. 285. num mendicantes poſſint adminiſtrare 286. quomodo aſſervanda 287. quo tempore diſtribuenda 288. an in nocte nativitatis Domini ibid. vel ſub miſſa defunctorum ibid. ſeq. num ſine lumine, vel ſacris veſtibus 289. 361 ſeq. quid ſi hoſtia inter diſtribuendum cadat 290. aut particula in patena reperiatur ibid. ſeq. quid de guttulis vini calici adhærentibus 278. ſumptio an Sacramentum 174 ſeq. Euchariſtia quomodo neceſſaria 291. 364. num danda parvulis in agone 292. 364. num amentibus, phræneticis 293. num energumenis, muto & ſurdo a nativitate ibid. quid de moribundo, ſi in paſchate communionem negligat 294. qualis requiratur diſpoſitio ex parte

corporis 296 ſeqq. qualis ex parte ſtomachi 302. 366. quæ in anima 303 ſeqq. quid cauſet 306 ſeqq. num poſſit prodeſſe non ſumenti 308. V. *Communio. Confeſſio. Jejunium. Pollutio. Sacerdos. Sacrificium.*

Executor teſtamenti quis eſſe poſſit, & ad quid teneatur 154 ſeq.

Extrema unctio in oleo non benedicto num valida 182. vel in chrismate 213 ſeq. remoto obice num revivifcat 209. quid ſi ante unctiones forma legatur e libro 214 ſeq.

F.

Falcidia quid 147.

Famulus num teneatur ad compenſationem Damni ſine culpa ſecuti 103. aut ex eo, quod fures non detulerit hero 127 ſeq. quid ſi ante tempus ſervitium deſerat 107. num licite retineat, ſi aliquid vel vendiderit ultra, vel emerit infra pretium ab hero taxatum 127 ſeq. num poſt mortem heri poſſit occulte accipere rem ab hero ſibi donatam 138. aut exigere ab hæredibus legatum ſibi promiſſum, ſed non in teſtamento expreſſum 139. V. *Locatio. Teſtamentum.*

Feudum quid 109.

Fidei-Commiſſum quid 133 ſeq.

Fidejuſſio quid 113. 130. num ſit pretio æſtimabilis 113. Fidejubere qui poſſint ibid. obligatio fidejuſſoris num tranſeat ad hæredes 114. 130. ſeq. fidejuſſor an & quando conveniri poſſit 114.

Fides num requiratur in miniſtro Sacramentorum 193.

Filius-familias quis 20 ſeq. an & de quibus bonis contrahere poſſit 21. quantum licite exponat ludo 120. an poſſit reclamare donis inter parentes factis 67. naturalis an ſuccedat patri ab inteſtato, aut poſſit inſtitui hæres 146. V. *Contractus. Donatio. Hæres.*

Fœmi-

Fœmina num poſſit fidejubere 113. V. *Fidejuſſio.*

Forma Sacramentorum a quo & quomodo determinata 181. quando mutetur ſubſtantialiter & accidentaliter ibid. ſeq. quot modis fiat mutatio 183 ſeq. V. *Sacramentum.*

Fraudes in ludo num licitæ 117. V. *Ludus.*

Fructus miſſæ quotuplex 317. generalis an ſit idem, ſi a pluribus, vel paucioribus participetur 318. V. *Miſſa. Sacrificium.*

G.

Glacies an materia valida Baptismi 226. V. *Aqua. Baptismus.*

Gradus conſanguinitatis quomodo computentur a civiliſtis 146.

Gratia quid 178. quotuplex ibid. ſeq. efficax & ſufficiens quid 179. num omnibus detur ſufficiens ibid. ſeq. Sacramentalis quid 179. 206. num æqualis conferatur in omnibus Sacramentis 207 ſeq.

H.

Hæres quis inſtitui poſſit 144. quotuplex 146. in quæ ſuccedat ibid. ſeq. qualis ab inteſtato, & quis neceſſarius 146. hæres ex aſſe quis ibid. quæ hæredis privilegia 147. ex teſtamento non ſolemni an poſſit adire hæreditatem & an teneatur ſolvere legata 137. 149 ſeq. ad quid teneatur ſi conſtet de voluntate defuncti expendendi aliquid ad cauſas pias 138. ſuccedens in bona locata an teneatur ſtare contractui 104 ſeq.

Hæreticus num poſſit eſſe patrinus baptismi 246 ſeq.

Herus an teneatur ad damnum a famulo cauſatum 126 ſeq. V. *Conductio.*

Hoſpes an teneatur ad compenſationem rei depoſitæ, ſi ablata fuerit 69. V. *Depoſitum.*

Hoſtiæ minores quando apponendæ pro conſecratione 279.

Hypotheca quid 116. quotuplex ibid. an eadem res poſſit ſimul hypothecari pluribus ibid. V. *Pignus.*

I.

Jejunium quale requiratur ad communionem 296. 367. num admittat parvitatem materiæ ibid. quomodo frangatur 297. num per tabacum ibid. ſeq. quid de eo, qui ſaccharum veſperi imponit ori 198. quid ſi guttula aquæ defluxerit 197. 367. vel Sacerdos dubitet an bibendo mediam noctem exceſſerit 367 ſeq. aut ante miſſam communionem diſtribuat, & digitos lambat 368. quid ſi ablutio ante ſacram hoſtiam deſcendat 368. non jejunus quando poſſit communicare 299. quando & an pro dando viatico conſecrare 300.

Impubes quis 20. num obligetur civiliter ex contractu 23. num poſſit teſtari 144. V. *Contractus. Teſtamentum.*

Indicia contra aliquem quæ ſint legitima 160 ſeq.

Infamia publica quid 160. de uno crimine an det jus interrogandi de alio ibid.

Infans quis 20. num valide contrahat 21. quæ ſacramenta valide ſuſcipiat 202. expoſiti num licite rebaptizentur 242. V. *Baptismus.*

Infeudator quis 110. V. *Feudum.*

Infirmus an & quando poſſit communicare non jejunus 299. V. *Euchariſtia. Jejunium.*

Ingratitudo donatarii num faciat donationem revocabilem 46.

Intentio quid & quotuplex 186 ſeq. an requiratur in miniſtro Sacramentorum 187. 216. num ſufficiat ponendi actum externum 187. aut generalis faciendi quod Eccleſia 189. an requiratur actualis, aut ſuffi-

ſufficiat habitualis ibid. quid de eo qui timet, ne habeat ſufficientem 190. an debeat eſſe directa ibid. metu extorta num obſit valori ibid. an ſufficiat conditionata 191. 217. quid de eo, qui habet duas contrarias 192. qualis requiratur in ſuſcipiente 203. 123. num explicita in omnibus Sacramentis 203 ſeq. 224.

Interruptio verborum num obſit valori Sacramentorum 184. 214 ſeq.

Judex quis dicatur, & quæ in eo requirantur 157. an poſſit acceptare munera 158. 169 ſeq. quid ſi acceptet leviora munuſcula 158. num licite acceptet & retineat pecuniam pro ſententia iniqua 35 ſeq. quot modis in criminalibus procedere poſſit 159. num teneatur quandoque facere inquiſitionem generalem ibid. ſeq. num teneatur reo providere de advocato 166. num ei dare tempus communicandi 194. quid de judice, qui metu tormentorum ſine ſufficientibus ad torquendum indiciis elicit confeſſionem, aut promiſſione immunitatis non obligatum fateri inducit ad confeſſionem 162 ſeq. quid ſi advertat omitti aliquid, quo allegato lis eviceretur 170 ſeq.

Juramentum num firmet contractum 28. 36 ſeq. ad hoc quid requiratur 30. an & quando, & a quo petenda relaxatio ibid.

L.

Laudemium quid, & quoties ſolvendum 109. V. *Emphyteuſis.*

Legatum quid 133. an corruat corruente teſtamento 137. 142. quid ſi nemo ex hæredibus adiret hæreditatem 141. aut teſtator morte præventus teſtamentum non abſolverit 138. an acquiratur ab ignorante 141. quando ſolvendum ibid. ſeq. quid ſi legatum impleri non poſſit juxta mentem teſtatoris 142.

aut fuerit impletum 152. ſub modo an revocetur, ſi modus non impleatur 153. legatarius an amittat legatum, ſi conditionem non impleat 152 ſeq.

Legitima quid 146.

Libellus quid 110.

Locatio quid 101. ad quid obligetur locator ibid. operam ſuam pluribus locans an poſſit a ſingulis accipere integrum ſtipendium 105.

Lotteria quid 73.

Lucrum ceſſans an excuſet ab uſura 60. V. *Uſura.*

Ludus quid, & an licitus 117. 131. quotuplex 117. quando illicitus 118. 131. quæ conditiones ad ludum requirantur 117 ſeq. lucrum ex ludo prohibito num ſit reſtituendum 119. quid de eo qui ludit cum non potente alienare ibid. ſeq. aut qui ludit cum animo non ſolvendi 120. quid ſi alium ad luſum induxerit 131.

M.

Martyrium quid 252 ſeq. an Sacramentum 174. num remittat culpam & pœnam ex opere operato 253. quando conferat gratiam 254.

Mater parturiens num teneatur permittere ſectionem, ut baptizetur infans 238. an & quando manifeſtare patrem prolis 247 ſeq.

Materia Sacramentorum quotuplex 181. 213 ſeq. an & quomodo a Chriſto determinata 181. quando mutetur ſubſtantialiter ibid. ſeq. quando accidentaliter 182. ejus mutatio an & quæ Sacramentum reddat invalidum 181. 213 ſeq. quomodo debeat eſſe determinata in intentione miniſtri 191. V. *Forma. Intentio. Miniſter. Sacramentum.*

Matrimonium num poſſit fieri nutibus 180. num poſſit miniſtrari peccatori publico, vel hæretico 199. ex metu an validum 14.

Mer-

Mercatores an licite duplo plus exigant, quam merces valeant 75. num licite conveniant inter ſe de pretio mercium 87 ſeq. quid de corrumpentibus pondus, menſuram &c. 76. quid de iis, qui honorariis alliciunt ad tabernas ſuas emptores ibid. V. *Emptio. Monopolium. Pretium.*

Mercis nomine quid veniat 73. V. *Emptio.*

Metus an & quis invalidet contractum 11. 34. quo jure 12. quid ſi fuerit levis 14. num in incutiente pariat obligationem reſtitutionis 15.

Miniſter juſtitiæ num poſſit reo conſulere fugam. V. *Carceris.*

Miniſter Sacramentorum quis 186. quotuplex 193. quis indignus 195. num debeat eſſe in ſtatu gratiæ 193. 218. an poſſit Sacramentum adminiſtrare indigno 197. 222. indigno conſentienti num poſſit dare hoſtiam non conſecratam 200. quid ſi ſine intentione conſecrandi proferat verba conſecrationis ſuper panem 201. mutans materiam vel formam quomodo peccet 183. V. *Intentio. Sacramentum. Simulatio.*

Minorennes qui dicantur 20. an obligentur ex contractu ſine conſenſu curatoris inito 22. quid ſi in contractu ſint læſi 23. V. *Contractus.*

Miſſa pro quibus offerri poſſit 330 ſeq. num pro hæreticis, excommunicatis 331. num pro animabus in purgatorio 333. num in die animarum debeat offerri pro defunctis 321. quoties in die 335. quo tempore ibid. ſeq. num feria quinta, ſexta, & ſabbatho hebdomadæ ſanctæ 334 ſeq. in quo loco legenda 337 ſeqq. num in oratoriis 342 ſeq. num in Eccleſia polluta, vel execrata 339. de quibus ſanctis & beatis 352. quænam ad celebrationem miſſæ requirantur 344 ſeqq. quid ſi quis celebraret ſine calice, vel cum calice non conſecrato 347. aut ſine

ſacris veſtibus 348. vel utatur ſordidis 549. aut coloris indebiti ibid. ſi ſtipendiata qualis legenda 326 ſeq. 370 ſeq. num debeat ſervari locus & tempus 327 ſeq. fundatæ quot 328. 373. & cui applicandæ 328 ſeq. quid ſi fundator juſſerit in miſſa tantum orari pro anima ſua 329. quid ſi quis quotitie obligatus una vel altera vice non celebret 330. defectus miſſæ num ſupplendi 354 ſeq. quid in dubio an aliquid ſit ommiſſum ibid. ſeq. quid ſi hoſtia cadat in S. ſanguinem 355. vel aranea ibid. ſi in ſumptione advertas defectum vini ibid. ſeq. ſi poſt conſecrationem evaneſcat una ſpecies 356. quid hic ſpecialiter circa ſcrupuloſos notandum ibid.

Mohatra contractus quid & an licitus 64.

Monaſterium an & quando nomine profeſſi ſuccedat in hæreditatem 145.

Monopolium quid & quibus modis licitum, vel illicitum 87 ſeq.

Monſtrum an baptizandum 238.

Montes pietatis quid & an liciti 64.

Moribundus. V. *Euchariſtia. Infirmus. Viaticum.*

Muſtum an ſit valida materia conſecrationis 274. V. *Euchariſtia.*

Mutus an & quale Sacramentum miniſtrare poſſit 180.

Mutuum quid 52. 71. in quo valore reſtituenda ſit pecunia 53. 71. quo tempore mutuum ſit reſtituendum 54. quo loco 55. num per partes 54. in qua ſpecie ibid. ad quid teneatur mutuans 53 ſeq. an poſſit, & quando quid plus exigere 60 ſeq. cui cedant commoda ex re mutuata 55. an & quando licite mutuo addatur pœna 63. 71 ſeq.

N.

Negotiatio quid & quotuplex 89. an licita ibid. quibus & ſub queis pœnis prohibita ibid. ſeq. V. *Clericus.*

Neo-

Neomyſta conſecrans in ordinatione num poſſit acceptare ſtipendium 322. V. *Stipendium.*

Nix an materia ſufficiens baptismi 213 ſeq. 226. V. *Materia.*

Notarius 168. an & quomodo peccare poſſit in officio ſuo 169. num peccet ſine cauſa nimis dilatando ſcripturam 170 ſeq.

O.

Obex gratiæ quid & quotuplex 208. 224. ad hunc tollendum quid requiratur 224 ſeq.

Obligatio quotuplex 3. V. *Contractus.*

Obſtetrix in quibus a parocho inſtruenda 234. ad quid teneatur in dubio an mater editura ſit prolem vivam 237. quid de obſtetrice ſtrophiolo madefacto parvulum abluente 255. quid de ea, quæ ſolita fuit contra intentionem Eccleſiæ baptizare 258 ſeq. V. *Baptismus.*

Oleum non benedictum an materia ſufficiens extremæ unctionis 182.

Olla fortunæ. V. *Lotteria.*

Opus bonum peccatoris num reviviſcat per contiricnem 210.

Oratorium quid 342. an ibi audiendo miſſam ſatisfiat præcepto 343.

Ordo num reviviſcat 209. an poſſit conferri occulte indigno publice petenti 197 ſeq.

Orphanus quis 20.

P.

Papa num poſſit irritare juramentum in damnum tertii 30. an ſimplici ſacerdoti dare licentiam confirmandi 265.

Paramentorum uſus. V. *Euchariſtia. Rubricæ.*

Parentes quantum poſt mortem relinquere debeant prolibus 148. quomodo peccent, ſi in teſtamento

uni

uni filio plus relinquant, quam alteri ibid. num licite mittant pro baptismo prolis ad hæreticum 236. num peccent graviter differendo Baptismum 243 ſeq. aut prolibus periclitantibus non procurando viaticum 292. num licite adſumant proles ſecum ad lectum 248. V. *Baptismus. Euchariſtia.*

Parochus aſſiſtens matrimonio in mortali an peccet 194. quomodo obligatus ad ſacramenta adminiſtranda 220 ſeq. quoties celebrare 334. quid ſi per oblivionem die jovis ſancto non reſervaſſet hoſtiam majorem 335. an & quando teneatur abrumpere miſſam pro adminiſtrandis ſacramentis 223 ſeq. 353. ad quid obligetur circa baptismum 247 ſeq. *Confirmationem* 266 ſeq. *Euchariſtiam* 311. quid ſi velit mutuas accipere pecunias pro neceſſitate Eccleſiæ 72.

Pater an teneatur ſolvere debita filii, ſatisfacere pro damnis ab eo cauſatis 22. an poſſit uni filio plus dare quam cæteris 67. an licite baptizare propriam prolem 257.

Patrini qui & quot in Baptismo adhibendi 246. a quo deſignandi ibid. 259 ſeq. horum obligatio 246. quinam nequeant eſſe ibid. ſeq. quid ſi in confirmatione patrinus non eſſet confirmatus 262 ſeq. 269.

Peccatori publico num licite miniſtretur ſacramentum 198. 222. V. *Miniſter.*

Pecunia quotuplicem habeat valorem 98. præſens quo ſenſu melior abſente 58 ſeq. V. *Cambium. Mutuum.*

Penſio qualis in cenſu exigi poſſit 96. V. *Cenſus.*

Peregrini ubi baptizandi 235.

Pharmacopola vendens ſpecies exoletas, aut alias, quam præſcriptas a medico quomodo peccet 32 ſeq.

Pignus quid 116. an & quando res in pignus data poſſit vendi ibid. an oppignorari alteri ibid. ſeq. cujus ſit rei oppignoratæ periculum 117. quid de

pacto

pacto legis commiſſoriæ in pignore pro mutuo 63. *Hypotheca. Uſura.*

Pœnæ iterantium baptismum 241. uſurariorum 65 ſeq.

Pollutio num impediat ſuſceptionem Euchariſtiæ 301. 370.

Precarium quid 48. an ſtatim repeti poſſit, & per quid finiatur 49.

Pretii nomine quid intelligatur 73. juſtum quid & quotuplex ibid. ſeq. 122. an poſſit augeri ob infortunium venditoris 75. an ex eo, quod emptor merce valde indigeat 76. ſeq. vel propter affectum ſpecialem, quem habet vendens erga rem illam 77. aut ob ſolutionem dilatam 78. 122. quid ſi brevi ſit minuendum 78 ſeq. 122 ſeq. num propter rei raritatem poſſit accipi quodlibet 79. V. *Emptio. Mercatores. Venditio.*

Procurator quis 167.

Prodigus quis 20. an poſſit valide contrahere 24. an valide teſtari 144. V. *Contractus. Teſtamentum.*

Promiſſio quid & quomodo obliget 37 ſeq. 67. non acceptata an obliget 38. quæ materia quoad illam ſit gravis 40. in materia gravi an poſſit obligare leviter 39. quomodo debeat acceptari 41. quid ſi ante acceptionem moriatur promiſſarius, vel promittens 42 ſeq. abſenti facta an poſſit revocari 43. an remitti ab eo, qui nomine abſentis acceptavit ibid. acceptata quando deſinat obligare ibid. ſeq.

Puella an poſſit acceptare & retinere munera ex malo affectu ſibi oblata 35 ſeq.

Pubes quis 20.

Pupillus quis 20. ſine authoritate tutoris contrahens an obligetur 22. an obliget alium ſecum contrahentem 23. quid ſi contrahat cum ipſo tutore 22. V. *Minorennis.*

Q. Qua-

Q.

Qualitas quando ingrediatur ſubſtantiam 7 ſeqq. V. *Contractus. Error.*

R.

Referens quis dicatur, & in quibus peccare poſſit 168.

Regulares num poſſint omnibus Chriſti fidelibus miniſtrare Euchariſtiam 286. num etiam per modum viatici ibid. quam incurrant pœnam hanc ſine licentia parochi alienis ſubditis miniſtrando 285 ſeq. num poſſit ubique celebrare in portatili 337. num in oratoriis a ſuperioribus erectis 338. num in cubiculis ſuis ibid. V. *Communio. Miſſa.*

Religioſus an valide contrahat ſine conſenſu ſuperioris 21. quantum licite ludo exponat 120. an poſſit eſſe hæres 144. num licite agat patrinum 247. V. *Baptismus. Contractus. Hæres.*

Repetitio verborum num mutet ſubſtantialiter formam Sacramenti 183. V. *Forma.*

Reſtitutio in integrum quid, & quibus competat 23. V. *Minorennis. Pupillus.*

Retractus gentilitius quid & quibus concedatur 87.

Reus an & quando poſſit uti reſtrictione mentali & quando teneatur fateri veritatem 165. an & quando condemnari ſine accuſatione eſt teſtibus 161. num poſſit prodere ſocios 165. an carcerem infringere 166. muneribus corrumpere cuſtodes, vel alio modo decipere ibid. ſeq. V. *Carceris. Confeſſarius. Judex.*

Rubricæ de coloribus paramentorum quomodo obligent 349. quomodo aliæ 350 ſeqq. quid ſi quis ante miſſam non oret matutinum 350. non lavet manuas ibid. in miſſa aliquid omittat ibid. ſeq. vel addat 351. actiones mutet 352. partes invertat ibid. verba debite non exprimat, vel mutilat 351. aliam,

quam præſcripta ſit legat 353. vel ſine devotione & attentione ibid. aut illam abrumpat ibid. ſeq. 377.

S.

Sacerdos an & quomodo peccet celebrans in mortali 194. an teneatur prævie confiteri 303. 368. ſeq. quid ſi in tali ſtatu baptizet 194. quoties teneatur celebrare 333 ſeq. 373. quantum temporis celebrationi impendere 376. ad quid teneatur, ſi ob defectum confeſſarii & neceſſitatem celebrandi ante miſſam confiteri non potuerit 305. 369. miſſas alteri oblatas negligens quomodo peccet 40 ſeq.

Sacramentalia quæ dicantur 211. num & quomodo remittant venialia 212. an proſint defunctis ibid. ſeq.

Sacramentum quid 173. quis illud poſſit inſtituere 174. quomodo dividantur 175 ſeq. quot ſint ibid. ex quibus eſſentialiter conſtituantur 180. mortuorum num per accidens gratiam ſecundam, & vivorum primam cauſare poſſint 176. num licite petantur a miniſtro indigno 195 ſeq. 219 ſeq. quid ſi dubitetur de indignitate miniſtri 196. num ab excommunicato 196. 219. ficte ſuſcepta an remoto obice reviviſcant 208 ſeqq. 224 ſeq. quid ad hoc requiratur 224 ſeq. ſubjectum Sacramentorum 201 ſeq. ad valorem quid in hoc requiratur 202. 223. quid ad fructuoſam ejus ſuſceptionem 205. quid de eo, qui in peccato veniali ſuſcipit Sacramentum 205. effectus Sacramentorum 206 ſeqq. V. *Effectus. Forma. Gratia. Intentio. Materia. Miniſter. Obex. Simulatio.*

Sacrificium an Sacramentum 174. quid, & an in miſſa offeratur 312 ſeq. crucis an ſit valoris infiniti 313. miſſæ in quo eſſentialiter conſiſtat ibid. ſeq. num in conſecratione utriusque ſpeciei 314. in quo differat ab

ab Euchariſtia ut Sacramento 316, quid cauſet in juſtis & peccatoribus ibid. valor illius an infinitus 317 ſeq.
Salarium famulis quale ſit dandum 106. 128. an etiam tunc, quando dominus non indiget opera famuli conducti 103. quid ſi famulus ad tempus laborare non poſſet, aut infirmaretur 106 ſeq.
Sanguinis Baptismus quid 252 ſeq. V. *Martyrium.*
Sartores num aliquid retinere poſſint, ſi emant nomine aliorum 85.
Scientia in judice requiſita 157. V. *Judex.*
Scrupuloſus an peccet repetendo formam Sacramenti 185. 215 ſeq.
Simulatio Sacramenti quid, quotuplex, & an licita 200 ſeq.
Societatis contractus quid 110. 130. quas requirat conditiones 110 ſeqq. an licitus ſi interveniat titulus aſſecurationis & venditionis 111 ſeq. an & quando licitus in traditione animalium 112. quando finiatur, & quid ſi finitus ſit ibid. ſeq.
Solutio momentanea quid 29. V. *Contractus.*
Species Euchariſtiæ per vomitum ejectæ num adorandæ 284. V. *Euchariſtia.*
Sponſio quid, & an licita 121. 131.
Spurius quis, & an poſſit inſtitui hæres 145. quid ſi pater ipſi non providerit de neceſſariis ibid. num poſſit retinere accepta vi hæreditatis 156.
Stipendium an & quantum acceptari poſſit pro miſſa 324. an pro miſſa ex voto 370 ſeq. an majus ratione cantus, temporis vel loci 325. an dari alteri minus accepto, dum quis alteri miſſam legendam committit ibid. num duplex ex eo, quod uni applicetur ſatisfactorius, alteri impetratorius 326. quid ſi detur incongruum, vel absque determinato numero miſſarum ibid. quid de eo, qui recipit ſtipendia nimis

mis multa 322 ſeq. aut qui differt miſſas ex juſtitia debitas ibid. 372. ad quid obligetur ſtipendiatus, qui omiſit miſſam ſtipendiatam, vel ſi finis miſſæ neglectæ ceſſet 323. quomodo applicandæ miſſæ, ſi ſtipendia a diverſis ſint collecta 324. quid de ſacerdote transferente pecunias in alios pro libris 372 ſeq.

Sumptio Euchariſtiæ num ſit Sacramentum 174 ſeq.

T.

Teſtamentum quid 132 ſeq. ſolemne ſcriptum quas ſolemnitates requirat 134. his omiſſis an in validum pro utroque foro ibid. ſeq. ſi ſit ad cauſas pias quando valeat 136 ſeq. quid ſi ſit metu extortum 141. quis poſſit teſtari 144.

Teſtes quot in quavis cauſa requirantur 163. quomodo teſtis teneatur dicere veritatem 164. in quibus excuſetur ibid. ſeq. quid de teſtibus domeſticis 171 ſeq.

Tituli ab uſura excuſantes 60 ſeq. 72.

Tortura an & quando adhibenda 161 ſeq. qualis eſſe debeat 162. an omnes torqueri poſſint ibid. quid ſi ſemel fuerit quis tortus non confeſſus ibid. vel ſi in tortura faſſus poſtea revocet ibid. V. *Judex*.

Transactio quid 121. quid ſi hæc facta ſit circa rem dubiam, quæ poſtea invenitur certo ad aliquem pertinere 131 ſeq.

Trebellianica quid 147.

Tutor quis, & ejus officium 20.

V. U.

Valor rei quotuplex, & quis in mutuo attendendus 53. V. *Mutuum*.

Venditio quid 73. 122. ſi vendens ultra ſummam accipiat an teneatur reſtituere 74. ſi res ſint notabiliter meliores, num vendens tunc taxam excedere poſſit

poſſit ibid. an teneatur monere emptorem, ſi hic offerat ultra juſtum pretium 75. quid ſi fraude vel mendacio inducat emptorem ad emendum majori pretio 78. quid ſi juret non poſſe minoris vendere ibid. quomodo peccet rem vitiatam vendens 80. 123 ſeq. ſi venditor non interrogetur de defectu an teneatur manifeſtare vitium 81. cui res vendita pereat, aut melioretur 83 ſeq. 123 ſeq. vendens nomine alterius, an poſſit retinere exceſſum, ſi pluris vendiderit, quam præſcriptum erat 85. 123 ſeq. an & quando teneatur emptori de evictione 123. V. *Emptio. Famulus. Mercatores. Pretium. Sartores.*

Veniale peccatum num impediat effectum Euchariſtiæ 309. 370.

Veſtes ſacræ quando amittant benedictionem 348 ſeq. quid de attrittis 349.

Viaticum num dandum parvulis 292. num amentibus & phrœneticis 293. num Reo ſtatim occidendo 294.

Voluntas ultima quid 132. an revocabilis 140. quid ſi fuerit jurata ibid. ſi impleri non poſſit an quo immutanda 142. V. *Teſtamentum.*

Uſura quid 55. 71 ſeq. quando fiat 56 ſeq. num ſit uſura obligare ad aliquid, ad quod alter jam ante erat obligatus 57. quotuplex 58. quale peccatum & quomodo prohibita ibid. quot tituli ab uſura excuſantes 60 ſeqq. 71 ſeq. uſurarius an acquirat dominium uſurarum 65. uſurariorum pœnæ ibid. ſeq.

Uxor an & de quibus bonis inſcio marito contrahere poſſit 21. quid ſi exponat ad luſum 131 ſeq.

Acc 3223 240 S17
Sasserath, C. Reineri
AUTHOR
Theologia Moralis
TITLE